


BIBLIOTECA NAZIONALE DI TORINO
DONO
BERTOLINI


BIBLIOTECA




JO. ORTWINI WESTENBERGII
JCTI ET ANTECESSORIS DUM VIVERET
IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA
LONGE CELEBERRIMI

OPERA OMNIA
JURIDICA

NUNC PRIMUM COLLECTA
ATQUE
IN TRES TOMOS DISTRIBUTA.
CURANTE
JOANNE HENRICO JUNGIO.

TOMUS III. ET ULTIMUS.





Hanoveræ & Bremæ
APUD GEORG. LUDOW. FÖRSTERUM 1758.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM BENEVOLUM.

Non minus verum, quam egregium eſt, quod ex ſententia Socratis, qui primus Philoſophiam de cœlo devocaſſe creditus eſt, Divinus docet Plato *, quodque poſt eos ſuo tempore ſemper in ore habuit Imperator Philoſophiſſimus, Marcus Aurelius Antoninus, tum demum beatam fore Rempublicam, ipſumque genus humanum, ſi Philoſophi regnarent in civitate, aut Reges & Potentes legitime & juſte philoſopharentur **: Philoſophiam innuentes, quæ Lex eſt vitæ, quæque virtutes continet, nec non officia, & bene vivendi diſciplinam: Quæque nos primum

* de Rep. Libr. v. ** Capitolin. *in Marco* c. 27.

ad Dei cultum, deinde ad Jus hominum, quod in generis humani ſocietate ſitum eſt, erudit; ſeu artem, quæ optimos homines facit, bonos & malos cognoſcit, & contra Leges agentes recte tractat vel punit; Adeoque Divina noſſe, & gubernare humana; Quo nihil Reip. magis ſalutare ac neceſſarium concipi poteſt.

Quod non tantum profeſſus eſt, ſed & re ipſa præſtitit MARCUS AURELIUS ANTONINUS Imperator, qui PRINCEPS fuit optimus, &, æquo jure cum omnibus agens, juris fuit religioſiſſimus *, Legum ambigua mire diſtinxit, Leges ſeveriores novis Conſtitutionibus temperavit, & Remp. ſaluberrimis & æquiſſimis Conſtitutionibus conſtituit ac firmavit **.

Quibus quantum ſplendoris Juri Romano ac-

* *l.* 87. §. *ult. D. de leg.* 2. *l.* 5. *C. de repud.* ** S. Aur. Vict. *de Cæſ. in Marco.* v. infr. Diſſ. 1. §. 29. *& ſeqq.*

accesserit, non melius apparere potest, quam si ipsa earum Constitutionum fragmenta exponantur ac illustrentur; Quod sequentibus *Dissertationibus* præstare conatus sum.

In quibus illud inprimis agendum visum est, ut eas colligerem Leges, in quibus ipsa verba Constitutionum supersunt, easque & ipsa verba, quibus usi sunt Impp. neque dubium habent, exhiberem, iisque exhibitis expositionem & illustrationem subjicerem.

Sunt sane & multæ aliæ Leges, in quibus D. Marci Constitutiones, quantum ad sensum attinet, proponuntur, sed ipsa verba tamen non referuntur. Quas si omnes omnino pro merito exponere animus esset, res immensi esset laboris, scopum nostrum & rationem instituti longe excedens, ac proinde eas intactas relin-

quendas esse duxi; Quin & sunt contra, præter exhibitas, aliæ, quæ D. Marco a quibusdam tribuuntur, sed an recte, ab aliis dubitatur; Quas, ubi justæ dubitandi rationes subesse videbantur, omittendas censui.

Quales maxime sunt sequentes:

I. *l.* I. *C. de hered. inst.* quæ ita habet:

Imp. Titius Ælius Antoninus A.

Antestiano *seu* Anthestiano.

qui deportantur, si heredes scribantur, tanquam peregrini capere non possunt, sed hereditas in ea causa est, in qua esset, si scripti non fuissent. Sine die & consule. In cujus inscriptione in plerisque Codicibus exhibetur, Titius Ælius Antoninus A: sed quis sit Imp. Titius Ælius Antoninus, merito dubitatur. In Editione enim B. de Tortis habetur, Ticius

Elius

Ælius Antoninus A. A. A. * In aliis, M. Ælius. In nonnullis, T. Aurelius. In plerisque vero veteribus, Titus Ælius Antoninus. Ut probabile sit, legendum esse, Titus Ælius Antoninus. Qui nullus alius est, quam Titus Antoninus Pius, qui hoc prænomine ab aliis Antoninis Impp. discernitur. vid. *l.* 1. *C de edend. l.* 1. *C. de proc. l.* 2. *C. si adverſ. cred.* Cont. Cuj. ad *d. l.* 1. *C. de her. inſt.* Foquelin. ad §. 2. *I. de vulgar. ſubſt.* 11. *l.* 1. *C. de impub. & al. ſubſt.* cujus verba hæc ſunt:

M. Ælius Antoninus A.

Secundo.

Cum heredes ex diſparibus partibus inſtituti, & invicem ſubſtituti ſunt, nec in ſubſtitutione facta eſt ullarum partium mentio; verum eſt, non alias

par-

* add. Diſſ. xxxiii. §. 1. Diſſ. xxxvi. §. 1.

partes testatorem substitutioni tacite inseruisse, quam quæ manifeste [in] institutione expressæ sunt. D. CLARO & SEVERO *Conss.* 171.

Sed nec hic Codices conveniunt. In d. Editione B. de Tortis habetur, IMPERATOR TICIUS ELIUS A. A. A. *Secundo.* In aliis, M. ÆLIUS & ANTONINUS; & proinde Imp. MARCO adscribi solet. Sed tum legendum esset, M. AURELIUS ANTONINUS. M. enim ÆLIUS & ANTONINUS Impp. nusquam conjunctim occurrunt. Verus ejus Legis auctor etiam est TITUS ÆLIUS ANTONINUS PIUS; uti apparet, tum ex subjectis Consulibus CLARO & SEVERO, qui Consules fuerunt sub ANTONINO PIO, A.U.C. 898. post natum Christum 147. tum ex §. 2 *l. de vulgar. subst.* ubi D. PIUM sic rescripsisse aperte dicitur: *Etsi ex disparibus partibus* ait (Imp.) *heredes scriptos invicem substituerit, & nullam*

men-

mentionem partium in ſubſtitutione habuerit; *eas videtur in ſubſtitutione partes dediſſe*, *quas in inſtitutione expreſſit. Et ita* D. Pius *reſcripſit.* add. Cont. Cuj. ad *d. l.* 1. Muret. ad *d.* §. 2.

III. *l.* 1. *C. de his qui in exil. dat. vel. ab ord. mot. ſunt.* quæ ſic exhibetur:

Imp. M. Antoninus A. Diogeni.

Quibus poſthac ordini ſuo, *vel advocationi ad tempus interdicitur*, *poſt impletum temporis ſpatium non prorogabitur infamia.*

Et ita quidem in pleriſque habetur Editionibus, ſine Conſulum ſubſcriptione; ſed in MS. Codice Contii (quomodo & expreſſum id eſt in Edit. Ruſſardi) additur: *Pars Edicti Imperatoris propoſita Romæ* v. *Idus Julias*, *duobus Aſpris Conſulibus.* Quæ propoſitio incidit in tempora *Antonini Caracallæ*. Duo enim *Aſpri*,

testibus Fastis, Consules fuere A. U. C. 964. post N.C. 213. cum imperio præesset Antoninus Caracalla. Et ita legendum esse probabile reddit *l.* 3. §. 1. *D. de decur.* Ubi Ulp. rescripsit: *Sed si quis ob falsam causam, vel aliam de gravioribus, non ad tempus sit relegatus, sed ad tempus ordine motus, in ea est causa, ut possit in ordinem redire.* Imperator *enim* Antoninus Edicto proposito *statuit, ut cuicunque, aut quacunque causa, ad tempus ordine, vel advocationibus, vel quo alio officio fuisset interdictum, completo tempore nihilo minus fungi bonore, vel officio possit. Et hoc recte; neque enim exaggeranda fuit sententia, quæ modum interdictioni fecerat.* add. *l.* 3. *C. ex quib. caus. infam. irr. l.* 13. §. 1. *D. ad L. Corn. de fals.* Quibus accedit, quod per *Antoninum* simpliciter positum, in Jure nostro, plerum-

que

que intelligatur *Antoninus Caracalla.* v. *l.* 17. *D. de ſtat. hom. l. ult. pr. D. de Senat. l.* 18. §. 2. *D. de min. l.* 12. *pr. D. de relig. l.* 32. *pr. D. de don. int. vir. & ux. l.* 12. §. *ult. D. de fideic. lib.*

IV. *l.* 2. *D. de SCto Silan.* cujus verba hæc ſunt: Divus Marcus Commodus Piſoni *reſcripſit in hæc verba:*

Cum conſtiterit apud te, Piſo *Cariſſime*, Julium Donatum, *poſteaquam conterritus adventu Latronum profugerit villam ſuam, vulneratum eſſe, mox teſtamento facto purgaſſe officium ſervorum ſuorum: nec pietas pro ſervis, nec ſollicitudo heredis obtinere debet, ut ad pœnam vocentur, quos abſolvit Dominus ipſe.* Hæc enim Lex non D. Marci & Commodi eſt, ſed ſolius Commodi, qui in nummis & lapidibus modo L. Aurelius Commodus, modo Marcus Commodus An-

TONINUS dicitur, modo M. COMMODUS simpliciter vocatur. v. Goltz. *in Thes. c.* 4. *p.* 81. 82. Rupert. *Obs. ad Synops. Besold. c.*XIV. Occo *Impp. Rom. Numism. p.* 217. Ut recte inter Leges, quæ COMMODO tribuuntur, eam referat Cl. Wieling. *Jurispr. rest. p.* 369.

v. Edictum Imp. MARCI de *Christianis.* Historiam, quæ contigerit, cujusque occasione Edictum illud a D. MARCO sit conditum, paucis, ex versione Stephani, ita refert Xiphilin. *in M. Antonin. Philos. Quum* MARCUS *Legionem unam haberet ex militibus Melitenis* (*hi omnes Christum colunt*) *ad eum Præfectus Prætorianorum venit, nescientem in illo prælio quid consilii caperet, timentemque toti exercitui, eique fertur dixisse, nihil esse, quod ii, qui Christiani nominantur, precibus impetrare non possint, esseque*

que Legionem unam in exercitu hominum hujus generis. Qua re cognita MARCUM *ab iis petiisse, ut Deo suo supplicarent; quod cum fecissent, Deum eos exaudisse subito, percussisseque hostes fulmine, ac Romanos pluvia recreasse. His rebus* MARCUM *vehementer obstupefactum Edicto Christianos bonore affecisse, ipsamque Legionem* Fulminatricem *appellasse. Atque his de rebus Epistola* MARCI *extare dicitur.* add. Tertull. *Apol. c.* 5. Euseb. *Chron. Lib. post.* N. MMCLXXXVIII. *Hist. Eccl. L.* V. *c.* 5. Zonar. *Annal. L.* XII.

Quam Epistolam Baron. *Annal. Eccles. ad Ann. Christi* 176. Ant. Benbellon. de Godent. *Comm. ad Edict. Imp. Dioclet. de malef. & Manich. in Cod. Hermog. P.* 11. *c.* V. §. 3. aliique, eandem esse volunt, quæ exhibetur apud Justinum Martyrem *Apol.* 11. *in fin. n.* 2. Sed uti, Epistolam

aliquam Imp. MARCI ea de re extitisse Latinam, vix negari potest, sic dicta Epistola, quæ nunc legitur in Apologetico Justini *d. l.* multis, iisque magni nominis Viris, non sine ratione, suspecta videtur & spuria. Ipsa Epistola sane pluribus verbis concepta est, quam ut hic commode locum inveniat. Ne quid tamen desideretur, & ut eo melius de ea judicari possit, eam integram exhiberi operæ pretium videtur.

Inscriptio Epistolæ, vertente Sylburgio, ita habet: MARCI *Imperatoris Epistola ad Senatum Romanum*; *qua testatur*, *Christianos victoriæ Romanorum contra Barbaros causam fuisse.*

Ipsius autem Epistolæ partes possunt constitui duæ.

Quarum priore, ipsa Historia, prout contigisse dicitur, præmittitur, cujus verba hæc

sunt:

ſunt: *Imperator Cæſar* M. AURELIUS ANTONINUS [*Philoſophus*] *Germanicus*, *Parthicus*, *Sarmaticus*, *Populo Romano & Sacro Senatui Salutem. De magnitudine conſilii inſtitutique mei vos certiores feci. Supra modum conſequutæ ſunt in Germania ærumnæ graves, ad confinium periclitantibus laborantibusque, & a ſeptuaginta quatuor Draconibus nono milliario oppreſſis nobis in Cotino. Qui cum non longe abeſſent, exploratores id nobis indicarunt: & itidem Pompejanus copiarum noſtrarum militarium Præfectus ea ſignificavit, quæ prius nobis cognita erant. Oppreſſus autem eram ab ingenti multitudine, cum mecum eſſent copiæ delectæ Legionis Primæ, Decimæ, Geminæ, Ferentariorum, Miſtæ. Cum ergo renunciatum eſſet, exercitum ex omni turba conferta noningentorum ſeptuaginta millium adeſſe:*

ipſe

ipse quoque vires meas inquirens, & copiarum numerum iniens, & cum multitudine Barbarorum atque hostium conferens, ad rem Divinam, Diis Patriis, per preces faciendam, decurri. Neglectus autem ab illis, & vires meas in angustum redigi cernens, evocavi eos, qui apud nos Christiani *dicuntur, ac per inquisitionem magnum inveni numerum, acriusque in eos infremui: Quod quidem minime factum oportuit, propter eam, quam in eis comperi esse virtutem: Unde illi pugnam, non autem a telorum, armorumque expeditione, neque a tubarum classico, exordiuntur; quod ingratum hoc eis sit, propter Deum, quem in conscientia gerunt. Quapropter æquum est, quos* ἀθέους *a Deo alienos esse suspicati sumus, ut eos norimus, Deum conscientia suapte sponte illapsum atque ibi inclusum [seu potius incolentem] habere. Nam pro-*

projicientes se in terram non pro me tantum, sed & pro exercitu, qui tum ibi aderat, universo, precati sunt; ita ut solatio nobis essent, in præsenti fame & siti: in quintum enim jam diem, aquam, quod ea defecisset, non ceperamus. Nam in meditullio Germaniæ, & in finibus hostium eramus. Simul atque illi in terram sunt provoluti, & Deum precatione invocarunt, quem ego ignorabam, confestim aqua de cœlo est consequuta: ad nos quidem illa frigidissima, in Romanorum vero imminentes hostes grando ignea. Sed & cum Oratione illa illico præsentia Dei adfuit, tanquam insuperabilis & invicti. Inde igitur incipientes, permittemus hisce Christianis *esse, ut ne id genus armorum adversus nos [precibus] illi utentes voti compotes fiant.*

Quibus præmissis pars altera subjicitur, quæ

*** Edi-

Edictum Imperatoris exponit, verbis sequentibus: *Quocirca consulens statuo, ne hominem hujusmodi, quod videlicet* Christianus *sit, accusare liceat. Si quis autem inveniatur* Christianum, *propterea quod* Christianus *sit, deferre, delatum ipsum* Christianum, *qui hoc sit professus, nulloque alio crimine accusatum, quam quod* Christianus *sit, manifesto se pro eo gerere, delatorem vero ipsum vivum comburi volo. At* Christianum *confessum, ac proinde eo nomine tutum atque securum, is, cui Provinciæ præfectura credita est, ad pœnitentiam ejusmodi professionis, & statum illiberalem non traducet. Hæc vero etiam Senatusconsulto confirmari volo, & Constitutionem in foro Trajani proponi jubeo, ut legi possit. Illam quoque in Provincias mittendam curabit* Verasius Pollio *Præfectus. Quicunque autem hac uti, & habere exemplar* vo-

voluerit, ne recipere id ex eo, quod a nobis profectum est, probibeatur.

Dictam autem Epistolam genuinam non esse, multa coarguunt. Non enim Imperatores istis temporibus alia lingua quam Latina ad Senatum scribere solebant, neque ad Senatum & populum simul, sed ad Senatum tantum; neque Senatum *Sacrum* vocare, quod a moribus Romanorum illo tempore plane erat alienum. Neque verisimile est, Eusebium Epistolam illam præteriturum fuisse, si extitisset, qui non solet talia præterire, ne Latina quidem, quæ ipse Græce convertere solet, uti multa ex Tertulliano. Ut mittam styli inelegantiam & obscuritatem, δεξιώτης, aliaque prorsus improbabilia. Fides sane illius Epistolæ vel ex eo solo convellitur, quod Justinus Martyr martyrio

jam coronatus sit Anno Christi 168. dudum ante quam victoria de Quadis reportata est, quod contigit A. C. 174. Auctore Eusebio; postquam L. VERUS, Severo & Herenniano Coss. inter Concordiam & Altinum extinctus erat, A. post C. N. 171. uti ostensum supra Dissert. 1. §. 16. De quibus aliisque eo pertinentibus plenius disserentes videantur Scaliger ad *Euseb.* Chron. *Lib. Post.* Pag. 223. & seq. Salmas. ad *Capitolin. in vita* MARCI *c.* XXIV. Witſ. *Diatrib. de Legion. Fulminatric. Christianor. sub Imp. Marc. Aur. Anton.* aliique. Ad quos, ne actum agam, B. Lectorem remitto.

Illud tamen paucis addendum, male etiam ad confirmationem dicti Edicti in partes vocari Ulpianum, dum in *l.* 3. §. *ult. D. de Decur.* sic respondet: *Eis, qui* Judaicam Superstitionem *sequun-*

quuntur, D. SEVERUS & ANTONINUS, *honores adipisci permiserunt, sed & necessitates imposuerunt, quæ superstitionem non læderent.* Quasi illa Constitutio sit VERI & ANTONINI, in gratiam *Christianorum*, etiam ante partam de Quadis victoriam, vivo adhuc VERO Imp. promulgata. Nam non est illa Sanctio VERI & ANTONINI, sed Impp. SEVERI & ANTONINI scil. CARACALLÆ, neque de *Religione Christiana* loquitur, sed de *Superstitione Judaica* proprie dicta, cujus etiam mentio in *l.* 21. *C. de Hæret.* Licet enim in quibusdam Editionibus, pro SEVERI & ANTONINI habeatur VERI & ANTONINI, & sic legendum censeat Alciat. *Dispunct. L.* III. *c.* 8. & alibi *Superstitio Judaica* videatur significare Sectam *Christianorum*, v. Arrian. *L.* II. *c.* 9. Suet. *in Claud. c.* 25.

Lipſ. ad *Tacit. Ann. L.* xv. *c.* 44. & ita eam etiam accipiat Alciat. *d. l.* re ipſa tamen diverſæ (uti notum) fuere Religiones, quemadmodum varia fuiſſe ſuperſtitionum genera notant Impp. in *l.* 49. *C. de Decur.* Neque ratio patitur, ut lectio *d.* §. *ult.* mutetur, uti recte contra Alciat. monuit A. Auguſtin. ad *Modeſt. ad l.* 15. §. 6. *D. de excuſ.* Lectionem enim illam tuetur Codex Florentinus, a quo ſine gravi ratione recedendum non eſſe, nunc conſtat inter Eruditos. Non etiam ſolet VERUS Imp. ANTONINO præferri, ſed ubi Divi Fratres conjunguntur, hic ordo (quem & ratio temporis & Imperii exigit) ſervatur, ut MARCUS ANTONINUS VERO præponatur. v. d. Diſſert. 1. §. 13. Idemque efflagitat fides hiſtorica. Quandoquidem bellum ab Imp. MARCO, cum Quadis, qui Marco-

comannorum vicini erant, gestum est, subactis jam Marcomannis & Jasygibus, v. Dio *L.* LXXI. & ex eo Xiphil. *in M. Antonin. Philos.* & Victoria de Quadis, maxima illis clade illata, ope pluviæ, ad preces Christianorum, Divinitus largissime missæ, parta, non sub VERO & ANTONINO, sed mortuo jam L. VERO. Quippe qui, uti dictum, mortuus est A. C. CLXXI. cum victoria illa parta sit A. C. CLXXIV. cum Imp. MARCUS solus præesset Imperio. Uti memoriæ prodidit Euseb. *Chron. Lib. Post. ad Ann. D.* CLXXIV.

Illud denique verbo monendum censeo, Dissertationes hasce nostras, variis luculentis Indicibus, in usum Lectorum, locupletatas esse, opera & industria Viri Juvenis Doctissimi, & ad majora nati, ABRAHAMI HAVERCAMPI,

Viri

PRÆFATIO.


Viri Clariſſimi, SIGEBERTI HAVERCAMPI, Collegæ Conjunctiſſimi, Filii digniſſimi.

Quantum vero ad errores attinet typographicos, quosdam hic notari curavimus. Præter quos ſi qui forte deprehendantur & alii, eos humanitati & ingenuitati tuæ committimus.

CORRIGENDA.

Pag. 10. § 8 *lin.* 8. & 12. del. *l.* 1. *C. de imp. & al. ſubſt.* *P.* 16. §. 30. l. 8. l. Vadimoniorum. *P.* 96. §. 6. *l.* 2. poſt *Ducis* add. v. Cuj. *ad* §. 6. *J. de teſt. ord.* *P.* 104. in *inſcript.* l. Trigenſimo. *P.* 103. *l. pen.* l. admiſerint *P.* 115. *l.* 4. l. Severus. *P.* 249. §. 2. *l.* 5. l. caup. *P.* 320. *l.* 9. l. Conſtitutionis. *P.* 332. §. 24. *l.* 2. l. ignoraverint. *P.* 364. §. 3. *l.* 10. l. *& re jud.*

JOAN-



JOANNIS ORTWINI WESTENBERGII
JCTI ET ANTECESSORIS
DIVUS MARCUS,
SEU
DISSERTATIONES
AD
CONSTITUTIONES
MARCI AURELII ANTONINI IMPERATORIS.

DISSERTATIO I.

I. Marci Aurelii Antonini *origo*, *&* *Parentes.* II. *Ubi & quando natus sit?* III. IV. *Quodnam ipsius primum fuerit nomen, & quomodo deinceps vocatus?* V. *An* Pius *cognominatus sit?* VI. VII. *An &* Philosophus? VIII. *A quo adoptatus sit?* IX. *Quam habuerit uxorem?* X. *Quomodo, & a quibus ad dignitates provectus sit?* XI. XII. *Quem primum habuerit Imperii socium.* XIII. XIV. *Quinam in Jure nostro veniant nomine* Divorum Fratrum? XV. Theophilus *notatus.* XVI. XVII. *Quemadmodum* L. Vero *mortuo, solus Imperio præfuerit?* XVIII. *Eaque ratione* solius Marci, *quin &* Antonini *nomine venire soleat?* XIX. XX. *Quemadmodum postea A. C.* 176. *filium suum* Commodum *Imperii consor-*

tem fecerit? XXI. *Qui non est idem cum* Vero, *contra* Pith. XXII. *Quando sit mortuus?* XXIII. Marci Aurelii Antonini *laudes*. XXIV. *Studia & eruditio.* XXV. *In Philosophia.* XXVI. *Et Jure.* XXVII. XXVIII. *In primis in Jure Naturæ.* XXIX. XXX. XXXI. *Quomodo Jus Romanum auxerit, emendaverit, multa nova constituerit, & sic Remp. Legibus constituerit & firmarit?* XXXII. Capitolinus *exponitur.* XXXIII. XXXIV. *Quas per* Constitutiones Divi Marci *intelligamus.*

MARCUS AURELIUS ANTONINUS IMP. antiquissimo & nobilissimo genere natus, quippe cujus origo paterna à Numa Pompilio, materna à Malennio Salentinorum Rege pendebat, Eutrop. *Brev. Rom. Hist. L.* VIII. *c.* 5. *Ed. Cell.* Capitolin. *in Marc. c.* 1. Patrem habuit *Annium Verum*, *Anniæ* seu *Galeriæ Faustinæ* uxoris Antonini Pii Imp. fratrem; v. Capitol. *in Antonin. Pio. c.* 1. 4. *Marc. c.* 1. 5. Matrem *Domitiam Calvillam*, Calvisii Tulli bis Consulis filiam. Avum Paternum *Annium Verum*, (cujus & ipse mentionem facit *Lib.* 1. *de reb. suis*, sive *iis*, *quæ ad se pertinere censebat*, §. 1.) qui, a Vespasiano & Tito Censoribus in Patricios adscitus, Consul fuit & Urbi Præfectus, Aviam *Rupiliam Faustinam* Rupilii Boni Consularis filiam: Proavum *Annium Verum*, Prætorium, ex Succubitano municipio Hispaniæ factum Senatorem. Avum Maternum *Calvisium Tullum*, Proavum *Catilium Severum*, bis Consulem & Urbi Præfectum. Capitol. *in Marc. d. c.* 1.

II. Natus est Romæ, sexto Cal. Majas, in monte Celio, in hortis, Avo suo Annio Vero iterum & Augure Coss. A. C. 121. v. Capit. *d. c.* 1.

III. Principio *ævi sui* i.e. ætatis suæ (v. Hor. II. *Serm. Sat.* VI.

✠.

ỷ.97.&1.*Ep.Od.ult.* ỷ.26.27. S.Aur.Vict. *in Tit.*)nomen habuit *Catilii Severi* materni Proavi: uti Capit. *d.c.*1. ex Dione emendat Cl.Salmasius. Xiphil. *Epit. Dion. in Hadrian. circ.fin.* Ἦν δὲ οὗτος ὁ Ἀντονῖνος Μάρκος, ὁ Κατίλιος πρότερον ὀνομαζόμενος Ἀννίου Βήρου τοῦ τρὶς ὑπατεύσαντος καὶ χιλιαρχήσαντος ἔγγονος. *Erat porro* Marcus Antoninus, *qui* Catilius *ante appellabatur*, *filius Annii Veri*, *qui tertium Consul ac Tribunus militum fuerat.* Post togam virilem vero, (quam accepit anno ætatis XV. Capit. *in Marc. c.* 4.) adoptatus est ab Avo paterno, & *Annius Verus* appellatus. Post excessum autem patris, qui non longe post secutus est, ab Hadriano Imp. *Annius Verissimus* vocatus est, πρὸς τὴν τοῦ Ῥωμαϊκοῦ ῥήματος ἔννοιαν, Xiphil. *d. l.* hoc est, uti id explicat Casaub. ad Capit. *d. c.* 1. quod esset veritatis amantissimus, tenacissimus. Deinde cum jussu Hadriani ab Antonino Pio adoptatus esset, abolito *Annii* nomine, *Aurelii* nomen adscivit. Et denique, mortuo Antonino Pio, etiam *Veri* nomen sustulit, & *Antonini* accepit. Capit. *in Marc. c.* 1. 5. 7. Lampr. *in Anton. Diadumen. c.* 6. ut plene postea MARCUS AURELIUS ANTONINUS dictus sit.

IV. *Marcum Antoninum Verum* vocant Eutrop. *L.* VIII *cap.* 5. & Cassiod. *Chron. Marcum Bojonium* vero S. Aur. Victor, *de Cæs. in Marc.* ex eo forte, quod adoptatus est ab Antonino Pio, qui *Titus Aurelius Fulvius Bojonius Antoninus* vocatus est. v. Capit. in *Anton. Pio. c.* 1. Eutrop. *L.* VIII. *c.* 4.

V. *Pium* cognominatum, tradit Suidas in voc. Μάρκος. Μάρκος, ait, Βασιλεὺς Ῥωμαίων ὁ Εὐσεβὴς ἐπικληθείς. *Marcus Romanorum Imperator cognomento* Pius. Qui locus, uti suspectus est Merico Casaubono, in *not.* ad testimonia de Marco, Libris Marci Imp. τῶν εἰς ἑαυτὸν *de reb. suis*, præmissa, ita Antoninum Philosophum, *Pium* non minus, quam Antoninum qui eum adoptaverat, tum in Fastis, tum non uno loco in jure nostro, v. *l.* 42. *l.* 30. §. 6. *D. de fideic. lib.* vocari statuit P. Faber, *Lib.* III. *Sem. c.* 12. Quemadmodum & Pius ipse *Hadria-*

drianus, propter adoptionem ab Hadriano factam, aliquando dicitur. v. §. 2. *I. de SCt. Tert. l.* 37. *D. de jud.* junct. *l.* 5. §. 1. *D. ad L. Jul de vi publ.* Vin. *comm. ad d.* §. 2. Cl. Van Eck. *ad t. D. ad SCt. Tert.* §. 1. Quam sententiam non tantum probabilem reddit, quod Marco mortuo, Commodus ejus filius, aliique deinde Impp. *Pii* cognominati sint, Xiphil. *Epit. Dion. in Commod.* Lamprid. *in Commod. c.* 8. *Nov.* 78. *c.* 5. sed etiam confirmare videtur *l.* 6. §. 8. *D. de excus. Est autem* (inquit Modestinus JC.) *Imperatoris* Commodi *constitutionibus inscriptum capitulum*, *ex* Epistola Antonini Pii, *in qua manifestatur*, *& philosophos habere immunitatem tutelarum. Sunt autem hæc verba:* Consimiliter autem his omnibus, *Divus Pater meus*, mox ingrediens principatum, constitutione existentes honores & immunitates firmavit, *scribens*, Philosophos, Rhetores, Grammaticos, Medicos, immunes esse &c. Ubi Commodus *Divum patrem* suum vocat, eumque *scripsisse* dicit *Philosophos*, *Rhetores*, *Grammaticos*, *Medicos*, *immunes esse*, qui paulo ante *Antoninus Pius* appellatus est, qui utique alius quam *Marcus Aurelius Antoninus* Imp. esse nequit; cui, utpote & ipsi Philosopho, vel maxime conveniebat, statim in initio Principatus, immunitates & Privilegia Philosophis, aliisque Eruditis, jam ante concessa firmare. v. *l. ult.* §. *ult. D. de mun. & hon.*

VI. Multi etiam eum *Philosophum* cognominatum statuunt. Et sane in multis MSS. codicibus Capitolini *in Marco*, (teste Casaub. *ad Capit. in Marc. pr.*) hæc inscriptio legitur, *M. Antoninus Philosophus*, cui similis est illa in Dionis seu Xiphilini & Zonaræ codicibus, Μάρκος Ἀντωνῖνος Φιλόσοφος. Statimque Capitolinus incipit, *Marco Aurelio in omni vita Philosophanti viro &c.* quemadmodum & Suidas in v. Μάρκος. Μάρκος, ait, ὁ καὶ Ἀντωνῖνος, Βασιλεὺς Ῥωμαίων, ὁ ἐπαινετὸς κατὰ πάντα Φιλόσοφος. *Marcus qui & Antoninus*, *Romanorum Imperator*, *laudatus ille per omnia Philosophus.* Philostratus etiam *in vita Philisci*,

lisci, Ἀντωνῖνος, inquit, δὲ ἦν Αὐτοκράτωρ ὁ τοῦ Φιλοσόφου παῖς. *Antoninus Imperator erat* Philosophi *filius*. Quin & Justinianus Imp. *Nov.* 108. *Præf.* §. 2. *in f.* de Marco nostro loquens, ὁ Φιλόσοφος, dicit, ἐν Βασιλεῦσι Μάρκος. *Philosophus* (sic vertendum, non *Philosophatus*) *inter Imperatores Marcus*: nec non *Nov.* 22. *cap.* 19. *in fin.* ὁ Φιλοσοφώτατος ἐθέσπισε Μάρκος. *Philosophissimus sancivit Marcus.* v. *l. ult. in fin. C. de rep.* ut & *N.* 60. *c.* 1. *pr.* Καθὰ καὶ Μάρκος ὁ Φιλοσοφώτατος τῶν αὐτοκρατόρων ἐπὶ τῶν ἑαυτοῦ γέγραφε νόμων. *Sicut & Marcus Philosophus Imp.* seu *Philosophissimus Imperatorum* (uti vetus habet MS.) *in suis conscripsit Legibus.* Eoque pertinet quod Vulcatius Gallicanus *in Avid. Caſſ. c.* 1. ex epistola Veri memorat, Marcum Antoninum ab Avidio Cassio per contemtum, *Philosopham aniculam* vocatum esse; nec non illud ejusdem Avidii Cassii, apud Vulcat. Gallic. *in Avid. Caſſ. c.* 13. *An ego Proconsules, an ego Præsides putem, qui ob hoc sibi à Senatu, & ab Antonino Provincias datas credunt, ut luxurientur, ut divites fiant. Audisti Præfectum Prætorii* nostri Philosophi, *ante triduum quam fieret, mendicum & pauperem, sed subito divitem factum.*

VII. Nusquam tamen legitur, vel vivo ei, vel mortuo, à populo vel Senatu cognomen *Philosophi*, uti Cæsari Octaviano *Augusti*, v. Sueton. *in Aug. c.* 7. Trajano *Optimi*, v. Xiphil. *Epit. Dion. in Trajan.* T. Aurelio Antonino *Pii*, Capitol. in *Anton. Pio, c.* 5. delatum esse; omnes etiam saxorum inscriptiones, omnes nummi hoc cognomen ignorant: quin & non Marcum tantum, sed etiam L. Verum & Commodum ita appellatum esse, ex *Apologia* Justini Martyris 2. *ad Anton. Pium*, nec non *inscriptione legationis* Athenagoræ ad Marcum, manifestum est. In fronte enim *Apologiæ* Justini Martyris hæc sunt verba: Καὶ Οὐηρισσίμῳ υἱῷ Φιλοσόφῳ, καὶ Λουκίῳ Φιλοσόφῳ. Et paulo post subjicitur, ὑμεῖς μὲν οὖν ὅτι λέγεσθε εὐσεβεῖς, καὶ φιλόσοφοι, καὶ φύλακες δικαιοσύνης, καὶ ἐραστὰὶ

παιδείας, ἀκούετε πανταχοῦ. *Ac vos quidem & Philosophi, & Justitiæ custodes, & eruditionis amatores; quod sic vocemini, ubique auditis. Legatio* autem Athenagoræ pro Christianis ad Marcum, sic inscribitur, Αὐτοκράτορσιν Μάρκῳ Αὐρηλίῳ Ἀντωνίνῳ, καὶ Λουκίῳ Αὐρηλίῳ Κομμόδῳ, Ἀρμενιακοῖς, Σαρματικοῖς, τὸ δὲ μέγιστον, Φιλοσόφοις. *Imperatoribus Marco Aurelio Antonino, & Lucio Aurelio Commodo, Armeniacis, Sarmaticis, & quod maximum est, Philosophis.* Ut non sine ratione Cl. Casaubonus, & Salmasius *ad Capitolin. in Marc. pr.* eosque secutus Rupertus *Obs. ad Besold. Synops. in Marc.* titulum *Philosophi* Marco, ob summum Philosophiæ studium, cui deditus erat, ceu meritum virtutis elogium, ἐπίθετος, non ἐπωνύμως censeant datum fuisse.

VIII. Patre mortuo, ab Avo paterno adoptatus & educatus est, Capitol. *in Marc. c.* 1. 4. sed postea Hadriani jussu adoptatus est ab Antonino Pio (qui & ipse post Ælii Veri Cæsaris mortem ab Hadriano adoptatus erat, Spart. *in Ælio Vero, c.* 6.) ea lege, ut quemadmodum Antoninus ab Hadriano adoptabatur, ita sibi ille non tantum adoptaret Marcum Antoninum fratris uxoris suæ filium, & L. Verum Ælii Cæsaris, qui ante ab Hadriano adoptatus erat, filium, sed & Marcus sibi L. Commodum seu Verum adoptaret. v. Spart. *in Adrian. c.* 24. Capitol. *in Anton. Pio, c.* 4. *in Marc. c.* 5. Spart. *in Æl. Vero, c.* 5. 6. 7. Ad exemplum Augusti, qui non ante Tiberium adoptavit, quam is Germanicum adoptasset, ut protinus, adoptione facta, inciperet Germanicus Augusti nepos esse. Sueton. *in Tib. c.* 15. Tacit. *Annal. L.* IV. *c.* 57. §. 11. *I. de adopt.*

IX. Uxorem, post excessum Adriani, duxit *Anniam* seu *Galeriam Faustinam* juniorem, consobrinam suam, Antonini Pii filiam; repudiata L. Cejonii Commodi filia, quæ ei, cum virilem togam, quinto decimo ætatis anno, sumsisset, ex Hadriani voluntate desponsata erat. Capitol. *in Marc. c.* 4. 6.

6. 19. in *Anton. Pio, c.* 1. 10. Quam, cum complures ex ea liberos sustulisset, v. Herodian. *L.* 1. *Hist. c.* 2. Capitol. *in Marc. c.* 20. 21. 22. in radicibus montis Tauri, in vico Halalæ, subito morbo (doloribus podagricis, uti tradit Xiphil. *in Epit. Dion. in Marco*) exanimatam amisit. Capit. *in Marco, c.* 26.

X. Ad dignitates adhuc infans ab Hadriano provectus est. Sexenni enim Honorem Equi publici (sic locum vexatissimum restituit Eruditiss. Salmasius, quem sequitur Clar. Græv. *Præf. in Tom.* 1. *Ant. Rom.*) Hadrianus detulit, & octavo ætatis anno in Saliorum collegium eum retulit. Capitol. *in Marc. c.* 4. Deinde cum quinto decimo ætatis anno virilem togam sumsisset, paulo post Præfectus Urbi, Latinarum feriarum causa, creatus est. Annos autem agens octodecim, gratia ætatis facta, Quæstor; & adhuc Quæstor, ab Antonino Pio Consul designatus, Cæsarisque appellatione donatus est. Postea vero, cum Faustinam duxisset uxorem, Tribunitia potestate, nec non imperio extra Urbem Proconsulari, ornatus, ab eodem Antonino Pio, finem vitæ sibi adesse sentiente, vocatis amicis ac Præfectis, ut successor Imperii omnibus commendatus atque firmatus, post Pii excessum, Regimen publicum suscipere à Senatu coactus est. Capitol. *in Marc. c.* 4. 5. 6. 7.

XI. Sed non solus Imperio præfuit; simul atque enim Imperium suscepit, licet ei soli istud à Senatu delatum esset, *Lucium Verum*, fratrem simul & filium adoptivum, ut fidem datam servaret, in societatem potentiæ adscivit, Cæsaremque & Augustum dixit, filiamque suam *Lucillam* ei uxorem dedit, & *Lucium Aurelium Verum Commodum Antoninum* vocavit. Capitol. *in Marc. c.* 7. in *Vero, c.* 3. S. Aurel. Vict. *de Cæs. in Marc.* Cassiod. *Chron.*

XII. Atque ita tum primum Romana Resp. duobus æquo jure Imperium administrantibus paruit, cum usque ad eos singulos semper habuisset Augustos. Nam ipsi sunt, qui pri-

mum

mum *duo Augusti* appellati sunt, & quorum Fastis Consularibus sic nomina præscribuntur, ut dicantur non tantum *duo Antonini*, sed & *duo Augusti*; tantumque hujus rei novitas & dignitas valuit, ut Fasti consulares nonnulli ab his sumerent ordinem Consulum. Eutrop. *L.* VIII. *c.* 6. Capitol. *in Marc. c.* 7. *in Vero, c.* 5.

XIII. Iidemque sunt, qui in Jure nostro *Divi Fratres*, v. §. 6. 10. *I. de excus. tut. l.* 7. *D. de D. R. l.* 13. §. 1. *D. de off. Præf. l.* 3. *D. de in jus voc. l.* 36. *D. de jud. l.* 42. *D. de cont. emt. l.* 28. *D. de test. mil. l.* 26. *D. de pœn. l.* 9. §. 2. *D. ad L. Pomp. de parric. l.* 6. *D. de mun. & hon.* nec non *Fratres Imperatores*, appellantur. *l.* 33. *D. de pœn. l.* 38. §. 4. *D. ad L. Jul. de adult.* Non tantum enim *Divus Marcus cum Fratre suo* rescripsisse legitur, *l.* 31. *D. ad L. Corn. de fals.* sed & *Divus Marcus & Lucius* Impp. *l.* 57. §. 1. *D. de R. N.* Impp. *Antoninus & Verus* Augusti, *l.* 17. *D. de S. P. R. l.* 29. *D. de prob. l.* 37. *D. de pact. l.* 3. *pr. D. de transact. D. Marcus & Verus*, *l.* 24. *D. de tut. & curat. dat. D. Marcus & Lucius Verus*, *l.* 11. §. 23. *D. de leg.* 3. & passim in legibus nostris, junguntur.

XIV. Licet enim *L. Verus* Marci Antonini filius esset adoptivus & gener, fuit tamen ejusdem & jure adoptionis frater; ut plenius monitum §. VIII.

XV. Ut adeo vehementer erret Theophilus, in antiquaria juris enarratione, cæteroquin haud quaquam spernendus auctor, dum in *Paraphr. ad* §. 6. *I. de excus. tut.* Divos Fratres *Severum* & *Antoninum* fuisse statuit; Τȣ̃το γὰρ, inquit, (uti in plerisque editionibus habetur, licet in editione Fabrotti, quod mireris, verba Σεβῆρος καὶ Ἀντωνῖνος ἀντέγραψαν sine ulla admonitione omissa sint) οἱ θειότατοι Ἀδελφοὶ, Σεβῆρος καὶ Ἀντωνῖνος ἀντέγραψαν. *Id enim Divi Fratres Severus & Antoninus rescripserunt. Marcus* enim & *Verus*, uti jam dictum, fratres erant adoptivi, *Severus* autem & *Antoninus* Pater & filius naturales. v. Spart. *in Severo, c.* 10. 16. *& ibid. Casaub.* Nisi

forte

forte pro Σεϐῆρος, Βῆρος, uti censet Scaliger *ad Euseb.p.*220. vel, quod malim, Οὐῆρος, scriptum sit. Add. A. Huber. *P.*1. *Digr. L.* III. *c.* 26.

XVI. Sed L. Verus, postquam cum Marco Antonino imperaverat annis fere undecim, uti tradunt Capitol. *in Vero*, *c.* 11. Eutrop. *L.* VIII. *c.* 5. Cassiod. *Chron.* & nummi confirmant, v. Rupert. *Obs. ad Besold. Synops. in Marc.* Severo & Herenniano Coss. A. C. 171. inter Concordiam & Altinum, apoplexia extinctus est. Capit. *d. l.* Eutrop. *d. l.* Cassiod. *d.l.*

XVII. Post cujus obitum Marcus Antoninus solus Remp. tenuit, plurimaque de jure sancivit. Unde non paucæ D. Marci Constitutiones, v. *l.* 2. *D. de offic. Jurid. l.* 10. *pr. D. de in jus voc. l.*7. §.8. *D. de don. inter vir. & ux.* Orationes, v. *l.*1. *pr. l.*2.7. *D de fer.* Rescripta, v. *l.*39. *D. de adopt. l.*8. *l.*10. *pr. D. de pact.* Decreta, *l.*13. *D. quod met. caus. l.*25. §.16. *D. de hered. pet. l.* 3. §.2. *D. de injust. rupt. irr. test.* & Edicta, v. §.14. *I. de usuc.* in jure nostro occurrunt. Eoque pertinet, quod Imp. in §.6. *I. de excus.* ait, *Propter paupertatem excusationem tribui, tam Divos Fratres, quam* per se Divum Marcum *rescripsisse.*

XVIII. Solius enim *Marci* nomine in legibus nostris appellari solet; licet & nonnunquam tum apud Vulc. Gall. *in Cass. c.* 8. 11. 13. 14. tum in Jure nostro, v. *inscript. l.* 1. *C. de nec. her. inst.* junct. *Coss. subj.* tantum *Antoninus*, ab ejusdem tamen ætatis maxime Jurisperitis, dicatur: veluti à Scævola in *l.* 24. *D. ad municip.* dum ait, *Et ita Imperatores Antoninus & Verus (Augusti) rescripserunt.* Papyrio Justo, *inscr. l.* 60. *D. de pact.* in verb. *Imperator Antoninus Avidio Cassio rescripsit.* nec non Marcello, *l.* 7. *D. de in integr. rest.* in verb. *Divus Antoninus Marcio Avito Prætori de subveniendo ei, qui absens rem amiserat, in hanc sententiam rescripsit; l.* 3. *in fin. D. de conj. cum emanc. lib.* in verb. *Sicut etiam Imperator Antoninus in persona neptis ex filia rescripsit; l.* 3. *D. de his quæ in test. del.* in verb. *Sententia Imperatoris Antonini Augusti Pudente & Pollione*

consulibus. A quo Marcello & alibi *Aurelius Imp. Antoninus* dicitur; *l. 48. D. de cond. & dem.* ad *Marcum* enim *Antoninum* nostrum, non vero ad *Antoninum Pium*, uti censet Grot. de Vit. Jurisc. *L. 11. c. 8. §. 4.* iis verbis respici, vel inde liquet, quod nusquam *Aurelius* de Antonino Pio, sed de Marco perpetuo dicatur, in antiquis lapidum nummorumve instrumentis. Unde etiam emendanda inscriptio *l. 1. C. de pet. hered. l. 1. C. de imp. & al. subst. & l. 1. C. quom. & quand.* ubi pro *M. Ælius Antoninus*, legendum *M. Aurelius Antoninus*, uti tum ex prænomine *Marci*, quod in *dd. ll.* præmittitur, tum ex nominibus Coss. *Clari & Cethegi* in d. *l. 1. C. de pet. hered.* & *d. l. 1. C. de imp. & al. subst.* qui in Marci annum decimum incidunt, facile intelligitur; add. Illustr. Ezech. Spanh. *ad Const. Anton. m*, quæ est in *l. 17. D. de stat. hom. Exerc. 11. c. 9.*

XIX. Cum autem Marcus Imp. annos fere sex solus imperasset, Pollione & Apro Coss. A. C. 176. (seu ut Cassiod. *Chron.* & Prosp. Aquit. *Chron.* tradunt, Commodo & Quintillo Coss. A. C. 177.) filium suum *Commodum Antoninum* Imperii consortem fecit. Lamprid. in *Commod. c. 2.*

XX. Quorum, sub nominibus *D. Marci* & *Commodi*, nec non *Antonini & Commodi filii*, similiter frequens in jure nostro mentio est, variaque Rescripta, *l. 14. D. de off. Præs. l. 33. §. 1. D. de adm. & peric. tut. l. 15. §. 2. l. 26. D. de excus.* Orationes, *l. 16. D. de sponsal. inscr. & pr. l. 60. D. de R. N.* aliæque Constitutiones occurrunt.

XXI. Ut parum recte sentiant, qui cum Pith. *not. ad collat. leg. Mosaic. tit. 4. L. Verum* cum *Commodo* confundunt, cum nusquam Verus, vel in nostris, vel in aliis libris *Commodus* vocari soleat. Licet enim idem, quod à Marco & Commodo rescriptum est in *l. 14. D. de off. Præs.* Divis Fratribus tribuatur in *l. 13. §. ult. D. eod. l. pen. §. 2. D. ad L. Pomp. de parric.* ex eo tamen non sequitur, *Commodum*, cujus in *d. l. 14.* mentio fit, *Verum* esse; potuit enim Marcus id

id ipſum, & cum Vero fratre, & cum Commodo filio, diverſis temporibus, reſcripſiſſe: quemadmodum & diverſi Impp. eandem rem diverſis perſonis, non raro reſcripſiſſe, leguntur. v. Merill. IV. *Obſ. c.* 16. Menag. *Amœn. c.* 31. Cl. van Eck. *ad t. de O. J.* §. 50.

XXII. Sed non diuturnum fuit hoc commune Marci & Commodi Imperium. Poſtquam enim cum eo triennium fere regnaſſet, & fortunatam Remp. virtute & manſuetudine ſua reddidiſſet, octavo decimo anno (ſecundum alios 19. v. Profp. Aquit. *Chron.*) Imperii ſui, ſexageſimo & primo vitæ (ſecundum Xiphil. 59.) Commodo & Vero Coſſ. A. C. 179. Vindobonæ in Pannonia, omnium mortalium gemitu, ultimum diem clauſit. Capitol. *in Marc. c.* 18. Eutrop. *L.* VIII. *c.* 7. Caſſiod. *Chron.*

XXIII. Imperator ſane fuit omnium, qui unquam Principatum tenuerunt, optimus, Xiphil. *in Marc.* ut nec ipſa adulatio talem videatur poſſe confingere; Capit. *in Vero*, *c.* 11. Imperiumque ita adminiſtravit, ut & victis hoſtibus, Parthis ſcil. Quadis, Marcomannis, aliisque Germaniæ populis (unde & *Parthicus* & *Germanicus* dictus eſt, v. Capit. *in Marc. c.* 8. 12. 17. 21. 22. Xiphil. *in Marc.* Eutrop. *L.* VIII. *c.* 5. *& ſeqq.*) Triumphator extiterit magnificus; & æquo jure cum omnibus agens, quippe qui imaginem ſtatus popularis, in quo per æquitatem jurisque æquabilitatem res adminiſtrentur, jam inde a teneris, uti ipſe teſtatur *L.* 1. *de reb. ſuis*, §. 14. animo conceperat, juris fuerit religioſiſſimus: *l.* 67. §. *ult. D. de leg.* 2. ut mirari eum facilius, quis, quam laudare poſſit. Eutrop. *L.* VIII. *c.* 7.

XXIV. Adjumento fuerunt (neque enim de Vita ejus, rebusque geſtis, quod jam dudum fecerunt alii, commentarium ſcribere animus eſt) liberalium artium ſtudia, quibus ſupra omnes Imperatores excelluit. Adeo quidem, ut non tantum famam, quod Philoſophorum ſpecie Remp. vexaret,

purgaverit, Capit. *in Marc. c.* 23. Platonisque sententiam, (quam semper in ore habebat, Capit. *in Marc. c.* 27.) *Florere Resp. si aut Philosophi imperarent, aut Imperatores conversarentur cum Philosophis*, re ipsa probaverit; sed & librum *Institutionis Imperialis* filio reliquerit, Niceph. *Eccles. Hist. L.* III. *c.* 31. aliaque egregia conscripserit, v. Herod. *L.* I. *c.* I. Suid. *in voc.* Μάρκος, Ipsi Marc. *de reb. suis, L.* III. §. 12. Ex quibus Libri ejus XII. τῶν εἰς ἑαυτὸν i. e. *de rebus suis*, seu *de iis, quæ ad se pertinere censebat*, doctissimis notis Merici Casauboni, ut & eruditissimo commentario Th. Gatakeri illustrati, etiamnum supersunt.

XXV. Maxime quidem studiis incubuit Philosophicis, Philosophiæ deditus Stoicæ, Eutrop. *L.* VIII. *c.* 6. Capit. *in Marc. c.* 3. (quæ ad dogma Christianum, præ ceteris priscorum Philosophorum scitis, uti in *Præloqu. ad M. Antonin. de reb. suis*, multis ostendit Cl. Gatakerus, proxime accessit) tantumque in Philosophia enituit, ut iturus ad bellum Marcomannicum, timentibus cunctis, ne quid fatale proveniret, rogatus sit non adulatione, sed serio, ut præcepta Philosophica ederet, & per ordinem parenesеon, hoc est, præceptionum, per triduum disputaverit. v. Capit. *in Marc. c.* 16. Vulcat. Gall. *in Avid. Cass. c.* 3. S. Aur. Vict. *de Cæs. in Marc.*

XXVI. Studuit tamen & Juri, Præceptore maxime usus JCto egregio *L. Volusio Mæciano;* Capitolin. *in Marc. c.* 3. qui floruit sub Antonino Pio, & Marco, Impp. v. Bertrand. *de Jurisper. L.* I. *p.* 93. *& seqq.* Grot. de *Vit. Jurisc. L.* II. *c.* 7. §. 10 *seqq.* & Marco nostro, nec non L. Vero, carissimus fuit, uti ipsi fatentur Div. Fratres, Doctrinæ ejus & virtutibus simul testimonium dantes, in *l.* 17. *D. de jur. patr. Sed & Volusius Mæcianus* (inquiunt) *amicus noster, ut & juris civilis, præter veterem & bene fundatam peritiam, anxie diligens, religione Rescripti nostri ductus, sicut coram nobis adfirmavit,*

non

non arbitratum se aliter respondere debere. Vid. infr. Differt. XIV.

XXVII. In primis autem Jus Naturale fideliter excoluit, (uti testantur & ipsi inimici ejus, interque eos Avidius Cassius apud Vulcat. Gallic. in *Avid. Cass. c.* 13. *Marcus Antoninus*, ait, *philosophatur, & quærit de clementia, & de animis, & de honesto & justo* &c. *nec sentit pro Rep.*) ejusque fundamentum, in dictamine rectæ rationis, verissimo Juris naturalis fonte, v. Ep. ad Rom. *c.* 2. ℣. 14. 15. sapientissime posuit; simulque eos, qui rationi naturali vivunt convenienter, feliciter agere posse, non uno loco ostendit. Egregie ipse Marcus *Lib.* I. *de reb. suis. Edit. Gatak.* §. 17. Diis acceptum refero, *quod de modo vitæ naturæ convenienter agendæ, claras satis ac frequentes eas, cogitationes, in animo habuerim, ut, quantum ad Deos attinet, ac suggestiones, adjutationes, inspirationes, ab ipsis profectas, nihil obstet omnino, quo minus juxta naturæ præscriptum confestim vivam, nisi ipse tandem in culpa sim, qui Deorum submonitiones, & tantum non claras præceptiones neutiquam observem.* Et mox *L.* II. §. 5. *Animumque ab aliis omnibus cogitationibus abducas. Abduces autem, si tanquam vitæ tuæ novissimam actionem unamquamque peregeris, temeritate omni liberam, & declinatione per affectus vim* a rationis dictamine. Item *L.* III. §. 12. *Si* rationi rectæ *obsecutus, sedulo, strenue, placide egeris, nec extra institutum accessorium aliquod respexeris, sed genium tuum purum integrumque servaveris, ac si illum statim redditurus esses; hunc, inquam, si adhæseris, nihil ulterius expectans, nihil fugitans, sed quod præ manibus est, juxta* naturæ dictamen, *agere, & in dictis quibusque, heroico animo, veritatem libere proloqui, contentus, prospere plane victurus es.* Ut & *L.* IV. §. 4. *Si intellectus nobis communis est, etiam* ratio, *qua rationales dicimur, communis est. Si hæc, lex quoque communis est. Hoc si conceditur, cives sumus, & hoc dato politiæ alicujus participes, & ex consequenti civitatis instar mundus est.* Nec non *L.*

IV. §. 12. *Duo ista semper in promtu habenda sunt, alterum*, πρὸς τὸ πρᾶξαι μόνον ὅπερ ἂν ὁ τῆς βασιλικῆς καὶ νομοθετικῆς λόγος ὑποβάλλῃ; *nihil ut facias, nisi, quod partis, regere legemque dare natæ* (i. e. mentis, v. Gatak. *ibid.*) *ratio suggerit, idque ad generis humani utilitatem. Alterum, ut in partem diversam transeas, si quis affuerit, qui te corrigat.*

XXVIII. Unde hunc fontem perpetuo fodiendum monet; *L.* VII. §. 59. Ἔνδον βλέπε, inquit, ἔνδον ἡ πηγὴ τοῦ ἀγαθοῦ, καὶ ἀεὶ ἀναβλύειν δυναμένη, ἐὰν ἀεὶ σκάπτῃς. *Introspice te, intus est boni fons, qui perenniter scatebit, si jugiter foderis.* Ex eoque omnem Justitiæ rationem deducit, *L.* XI. §. 1. dum ait, *Propria sunt animæ rationalis & ista, proximos deligere, veracem & verecundum esse, nihil sibi præferre, quod & legis est proprium. Ita inter* rectam rationem, *&* Justitiæ rationem, *nihil interest.* Ultimumque dicit seu extremum, *L.* XII. §. 31. ἕπεσθαι τῷ λόγῳ καὶ τῷ θεῷ. *Rationi ac Deo obsequi.*

XXIX. Ut mirum non sit, si legum ambigua sub hoc Imp. mire distincta, leges severiores novis constitutionibus temperatæ, & ipsa Resp. constitutionibus saluberrimis constituta ac firmata sit. v. S. Aur. Vict. *de Cæsar. in Marc.* Cassiod. *Chron.*

XXX. Quarum multas memorat Capitol. *in Marc. c.* 9 *& seqq. Liberales*, inquit, *causas ita munivit, ut primus juberet*, apud Præfectos ærarii Saturni, unumquemque civium natos liberos profiteri, intra trigesimum diem, nomine imposito. *Per Provincias Tabulariorum publicorum usum instituit, apud quos idem de* originibus *fieret, quod Romæ apud Præfectos Ærarii, ut si forte aliquis in Provincia natus causam liberalem diceret, testationes inde ferret, atque hanc totam legem de assertionibus firmavit* (v. *infr.* Diss. VII. §. 15.). Aliasque de Mensariis, & auctionibus *tulit. d. c.* 9. Porro *c.* 10. *Senatum multis cognitionibus, & maxime ad se pertinentibus, judicem dedit.* De statu defunctorum, *intra quinquennium quæri*

jussit

jussit (v. *l.* 1. §. 3. *D ne de stat. def. post quinquenn. quær. l.* 2. *pr. D. de collus. deteg.*). *Senatoribus detulit, ut quoties de eorum capite esset judicandum, secreto pertractaret, atque ita in publicum prodiret, nec pateretur Equites Romanos talibus interesse causis. Senatum* appellationibus *à Consule judices dedit. Judiciariæ rei singularem diligentiam adhibuit, fastis dies judiciarios addidit, ita ut ducentos triginta dies, annus, rebus agendis, litibusque disceptandis, constitueret.* Prætorem Tutelarem *primus fecit, quum ante tutores a Consulibus poscerentur, ut diligentius de tutoribus tractaretur* (v. §. 4. *I. de Attil. tut. infr. l.* 3. §. 9. *D. de excus.*). *De* Curatoribus *vero, cum ante non nisi ex lege Lætoria, vel propter lasciviam, vel propter dementiam, darentur, ita statuit,* ut omnes adulti curatores acciperent, non redditis causis. (v. *l.* 1. §. *ult. D. de min.*). Deinde *c.* 11. *Cavit & sumtibus* publicis; *&* calumniis quadruplatorum *intercessit, apposita falsis delatoribus nota.* Delationes, *quibus Fiscus augeretur, contemsit. De* alimentis publicis *multa prudenter invenit*; omnique rei frumentariæ consuluit. v. *infr. Dissert* XVII. Gladiatorum spectacula *multifariam temperavit. Temperavit etiam* scenicas donationes, *jubens,* ut quinos aureos scenici acciperent, *ita tamen, ut nullus editor decem aureos egrederetur.* Vias *etiam urbis atque itinerum diligentissime curavit. Datis Juridicis Italiæ consuluit, ad id exemplum, quo consulares viros reddere jura præceperat. Leges etiam addidit,* de vicesima hereditatum, de tutelis libertorum, de bonis maternis, *& item* de filiorum successionibus pro parte materna; (*v. pr. I. de SCt. Orphit.*) utque Senatores peregrini quartam partem in Italia possiderent. *Dedit præterea* Curatoribus regionum *ac* viarum *potestatem, ut vel punirent, vel ad Præfectum Urbi puniendum remitterent, eos, qui ultra vectigalia quicquam ab aliquo exegissent.* Et denique *c.* 13. *Tanta pestilentia fuit, ut vehiculis cadavera sint exportata, sarracisque. Tunc autem Antonini* Leges sepeliendi *sepulchrorumque asperrima sanxerunt;* *quan-*

quandoquidem caverunt, ne uti quis vellet (forte cum Salmas. legendum *ne quis belle*) fabricaret fepulchrum: *quod hodieque fervatur*. Quibus addi poteft, quod Xiphil. *Epit. Dion.* in *Marc.* ait, *Marcus non delectabatur cædibus, idque ex eo licet animadvertere, quod Romæ fpectabat gladiatores, tanquam athletas certantes fine periculo.* Nec non, quod notat S. Aur. Vict. *de Caf. in Marc. Legum ambigua mire diftincta, vadimoniorumque * Solenni remoto, denunciandæ litis operiendæque ad diem commode jus introductum. Data cunctis promifcue Civitas Romana.* De quo tamen vid. Ill. Ezech. Spanh. *ad Conft. Anton. Exerc.* 11. *c.* 2.

XXXI. Sed multo plures Conftitutiones D. Marci occurrunt in libris Juris noftri, Inft. fc. Pandectis & Codice. Quibus cum confultiffimus Princeps, Jus Romanum, tum auxerit, tum in multis mutaverit & emendaverit, tum vero egregie exornaverit, operæ pretium fane eft, ut eo magis conftet, quantum fplendoris, per æquiffimas hujus Imp. conftitutiones, Juri Romano acceflerit, in *Conftitutiones* MARCI, paulo accuratius inquirere, fragmenta earum colligere, eaque commentariis illuftrare.

XXXII. Ait quidem Capitolin. *in Marc. c.* 11. Marcum Imp. *jus magis vetus reftituiffe, quam novum feciffe.* Sed iftud non ita accipiendum, quafi Marcus in nullo Jus antiquum emendaverit nullafque novas leges promulgaverit; ipfe enim Capitolinus, quædam, primum eum conftituiffe, uti §. xxx. vidimus, notavit, & abunde hoc docebunt ea, quæ deinceps ex legibus noftris proferentur: v. §. *ult. I. de ufuc. pr. I. de SCt. Orph. pr.* §. 1. *I. de eo, cui lib. cauf. bon. add. l.* 1. §. *ult. D. de min. l.* 1. §. 1. *D. quand. appell.* Adeoque illud voluiffe videtur, Marcum Antoninum Imperatorem, Jus antiquum, in multis neglectum forte & male abrogatum, reftituiffe, neque facile & fine evidenti utilitate Jus vetus mutaffe, vel novum conftituiffe; quippe qui, fi quis alius, pro-


probe novit, jus novum aliquando iniquum esse, (quo sensu Jus *novum* accipitur, in Edicto Prætoris, quod est in *l.* 1. §. 1. *D. quod quisque jur. in alt. stat.* v. *l.* 3. *pr. l.* 1. *D. eod.*) & in rebus novis constituendis evidentem utilitatem esse debere, ut recedatur ab eo jure, quod diu æquum visum est. *l.* 2. *D. de constit. Princ.* v. Rhadam. *seu* Diss. *N. de Jur. Rhadam. p.* 20. *& seq.*

XXXIII. *Constitutiones* autem *Marci Imp.* cum dicimus, omnes eas intelligimus, quæ toto eo tempore, quo imperio præfuit, promulgatæ sunt. Licet enim annos aliquot una cum *Marco Verus* & *Commodus* regnaverint, eorumque nomina multis Constitutionibus simul inscripta sint, a solo *Marco* tamen eas profectas, & proinde ei soli adscribendas esse, nulli dubitamus.

XXXIV. *L. Verus* enim vitæ erat luxuriosæ, magisque delicias, quam administrationem Reip. curabat, quum contra *Marcus* horis omnibus Reip. actibus incubaret, omniaque, quæ ad bellum erant necessaria, disponeret, & ordinaret. v. Capit. *in Marc. c.* 8. Spart. *in Vero, c.* 10. Quod & ipse *Marcus* satis aperte significavit, cum gratias ageret Senatui, quod fratrem consecrasset; *Occulte* enim, ut ait Capit. *in Marc. c.* 20. *ostendit, omnia bellica consilia sua esse, quibus Parthi superati sunt.* Eaque haud dubie ratio est, quare Capitolinus Leges supra memoratas a *Marco Antonino* latas esse referat, neque *L. Veri*, nisi *c.* 13. ullam mentionem faciat. *Commodi* autem neque ea tum ætas erat, neque id ingenium, ut ei talia adscribi possint. Unde & Tryphoninus, in *l.* 67. §. 3. *D. de R. N. Orationi D. Marci* adscribit, quod Paulus tribuit *Orationi Antonini* & *Commodi* in *inscr. l.* 60. *D. eod.* & Rescriptum *Divi Marci*, quod est in *l.* 2. *C. ut in possess. leg.* ab Alexandro Imp. *Divo Marco* adscribitur & *Commodo*

in *l.* 2. *C. eod.* v. Cl. Noodt ad *t. D. de off. Præf. Urb.* & *infr.* Differt. XIII. §. 10.

XXXV. Cum vero quædam Conftitutiones *Divorum Fratrum*, quædam folius *Marci*, quædam *Marci & Commodi* nominibus infcriptæ fint, eodem fervato ordine, quem & temporis ratio exigit, *Marci Aurelii Antonini Conftitutiones* examinandæ funt.



DIS-

DISSERTATIO SECUNDA.

CAPUT I.

I. *Transitus ad* Constitutiones Principum. II. III. *Quid sit* Constitutio Principis? IV. *Quam variae sint* Leges Regiæ? V. *An unquam lata sit* Lex Regia, *de qua* l. 1. pr. *&* D. de Constit. Princ. *&* §. 6. I. de J. N. G. & C. *dubium*. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. XIV. XV. *Variæ de ea re Eruditorum sententiæ referuntur*. XVI. Legem Regiam *revera & quidem primum Augusti temporibus latam videri*. XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. XXII. XXIII. XXIV. XXV. XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX. XXXI. *Probationes exhibentur*. XXXII. *Rationes dubitandi quædam removentur*. XXXIII. XXXIV. XXXV. XXXVI. *Non tamen semel tantum & in perpetuum eam latam, sed sub seqq. Impp. repetitam*. XXXVII. *Neque statim sed successu temporis* Regiam *dictam esse*.

PRiusquam autem, ad ipsas MARCI AURELII ANTONINI Imp. Constitutiones, quæ supersunt, accedamus, de *Constitutionibus Principum* quædam præmittenda sunt.

II. Est autem *Constitutio Principis* nihil aliud, quam *Principis Placitum*, §. 3. *I. de J. N. G. & C.* seu id, *quod Principi* vel Imperatori (uti statim sequitur) *placuit*, *ut Legis habeat vigorem*. De quo Ulp. *in l.* 1. *pr.* & §. 1. *D. de const. Princip.* *Quod Principi placuit* Legis *habet vigorem*, *utpote cum* Lege Regia, quæ de Imperio ejus lata est, *Populus ei & in eum*, *omne suum imperium & potestatem conferat. Quodcunque igitur Imperator per* Epistolam *&* subscriptionem statuit

tuit, *vel* cognoscens decrevit, *vel* de plano interlocutus est, *vel* Edicto *præcepit*, Legem *esse constat. Hæc sunt*, *quas vulgo* Constitutiones *appellamus*. Quæ totidem fere verbis repetuntur §. 6. *I. de J. N. G. & C.* add. *l.* 2. §. 12. *in f. D. de O. J.*

III. Ait Ulpianus, Populum R. *Lege Regia*, omne suum imperium & potestatem, in Principem contulisse, adeoque Principem vi summi imperii, seu Majestatis, jus legis condendæ habere.

IV. Complures autem occurrunt *Leges Regiæ*: I. *Lex Regia charitatis;* de qua Jacobus Apostolus *Epist. c.* II. ẏ. 8. Εἰ μέντοι νόμον τελεῖτε βασιλικὸν, κατὰ τὴν γραφήν· Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτὸν, καλῶς ποιεῖτε. *Quod si* Legem Regiam *præstatis*, *secundum scripturam*, Diliges proximum tuum sicut te ipsum, *bene facitis.*

II. *Jus Regium Israëliticum;* quod duplex statui solet, *Jus* scil. *Regium Mosis*, Deut. XVII. ẏ. 15. & *seqq.* & *Samuelis.* 1 Sam. VIII. ẏ. 11. & *seqq.*

III. *Leges Regiæ*, quæ a *Regibus* Romanis latæ sunt. v. *l.* 2. §. 36. *D. de O. J. l.* 2. *D. de mort. inf.* Coll. Leg. Mos. & Rom. T. 4. §. 8. Dion. Halicarn. *Antiq. Rom. L.* II. *c.* 24. & *seqq.*

IV. *Lex Regia*, quæ de *Regia Majestate* lata est, eamque Imperatoribus Romanis concessit; de qua sola Ulp. d. l. loquitur, uti ex verbis, *quæ de ejus Imperio lata est*, manifestum est.

V. Sed an unquam lata sit talis *Lex Regia?* & quo tempore? mire variant Eruditi.

VI. Multi *Legem Regiam* cum ipsa Urbe natam contendunt, nullamque esse aliam, quam eam, qua Romulo, primo Romanorum Regi, Regia potestas data est; v. Dionys. Halic. *Antiq. Rom. L.* II. *c.* 4. 5. 6. eoque referunt verba Liv. *L.* XLIV. *c.* 6. *Ex utro tandem genere ea Lex esse videtur, quam* *abro-*

abrogamus, an vetus Regia Lex, *ſimul cum ipſa Urbe nata?* Quam a ſubjecta materia *Regiam* dictam, temporibusque Cæſarum, maxime vero Auguſti, in Remp. revocatam eſſe ſtatuunt. v. P. Manut. *de Leg. Rom. c.* 2. Cuj. ad §. 6. *I. de J. N. G. & C.* Hotom. *Antiq. Rom. L.* 1. *P.* 1. Coraſ. Miſc. *L.* VI. *c.* 8. *n.* 3. Giphan. ad *d* §. 6. Rittersh. ad *d.* §. 6. A. Matth. Coll. Pand. *Diſp.* III. *th.* 5. Carpzov. *de Lege Reg. German. C.* I. *Sect.* VIII. *n.* 12. *& ſeqq.*

VII. Quemadmodum autem d. Livii locus de Lege Regia, non quæ de Regia poteſtate, ſed quæ a Rege lata eſt, ab aliis non male accipitur; ita veriſimile non eſt, ſi vel maxime de ea ibi ageretur, Auguſtum, qui, ne Regiæ dominationis ſuſpectus fieret, nomen *Romuli*, *Regis*, *Dictatoris*, & maxime *Domini* aſpernatus eſt, imo ut maledictum & opprobrium ſemper exhorruit, vid. Dion. Caſſ. *L.* LIII. *p.* 507. Sueton. *in Aug. c.* 52 53. Tacit. *Ann. L.* III. *c.* 56. paſſurum fuiſſe, legem revocari, qua regia poteſtas Romulo data eſt.

VIII. Quidam ex L. XII. Tab. *Regio imperio duo ſunto: Hique præeundo, judicando, conſulendo, Prætores, Judices, Conſules, appellantor.* eam repetendam cenſent, atque interpolatione levi, tributum uni, quod illic duobus aſſignatur. v. H. Bernh. in *Rom. Princ.*

IX. Verum hæc Lex non Decemvirorum, ſed Ciceronis eſt, *L.* III. *c.* 3. *de Legib.* Platonico more Legiſlationis imaginem, in ficta, ad inſtar Romanæ, & condenda Rep. adumbrantis: uti rectiſſime monet V. Cl. J. F. Gronov. *Orat. de Leg. Reg. p. m.* 27. Add. Pollet *Hiſt. For. Rom. L.* III. *c.* 4. *à pr.*

X. Nonnulli ad Sullanam Dominationem deſcendunt, Legemque illam Regiam eſſe, quæ a L. Flacco Interrege, in favorem Syllæ Dictatoris, *ut* ſcil. *omnia, quæcunque ille feciſſet, rata eſſent*, lata eſt; vid. Cic. *Or.* III. *cont. Rull. c.* 2. *L.* 1. *c.* 7. *de LL.* eamque ſub Principibus, maxime vero Auguſto, inſtauratam eſſe ſtatuunt. v. Muret. ad *l.* 1. *pr. D. de*

 conſt.

const. Pr. Brocus *ad* §. 6. *I. de J. N. G. & C.* Bach. *ad a. l.* 1. *D. de const. Princ. n.* 1. Cujus sententiæ etiam aliquando fuit M. Schoock, *Disp. Hist. exhib. C. Octav. Cæs. Aug.* habita *Groning. A.* 1647. *th.* 97. Testis locupletissimus est, (ait Schook d. l.) Appian. *L.* 1. *Bell. civ.* sic per Interpretem suum loquens, *Lucius Valerius Flaccus Interrex a Senatu proditus, destituta Coss. civitate, Carbone & Mario interfectis, tulit legem, ut Sylla perpetuus Dictator crearetur, & quæcunque is fecisset rata essent. Unde cum Populus Romanus vidisset, se nihil amplius secundum Leges decernere posse, nullumque in Rep. sibi relictum esse locum, ut qui arbitrabatur rem amplius ad se non pertinere, Syllam Dictatorem & Principem, qui pleno jure regnaret, creavit, & ita sub Rege fuit. Postmodum vero populus jugo servitutis adsuetus,* Lege Regia *omnem potestatem in Principem transfudit, ut, quod necessum erat pati,* Legis Regiæ *titulo contegeretur.* Hæc Appian.

XI. Sed non habentur hæc eo modo apud Appian. *d. L.* 1. quo exhibentur a Schoockio; verba Appiani per Interpretem loquentis *Edit. Steph. p.* 411. 412. & *Toll. p.* 686. hæc sunt. *Tum Sylla scripsit Flacco, rogaret Quirites, ex ipsius Syllæ sententia, velintne jubeantque, quoniam præsens rerum status ita postulet, Dictatorem creari, revocato prisco more post annum quadringentesimum: idque non ad certum aliquod tempus, sed donec res Urbanæ ac Italicæ, totumque imperium, bellorum procellis concussum eatenus, ordinatum firmatumque fuerit. Quæ rogatio haud dubie ad ipsum spectabat: nec dissimulavit cupiditatem, adjecto in fine literarum, si ita visum fuerit Patribus, se potissimum Reip. navaturum hanc operam. His literis in Urbem perlatis, S. P. Q. R. inops consilii, quippe qui nec legitima comitia retineret, nec in sua potestate esset, per comitiorum simulacrum libenter accepit oblatam libertatis fucatæ speciem, creavitque Syllam tyrannum potestate singulari, ad tempus quantum ipsi libeat. Nam & olim Dictatura tyrannis*

erat

erat, circumscripta brevi tempore: sed tum amotis terminis nihil ei defuit ad absolutam tyrannidem. Verbis tamen res cohonestata est, Dictatorem eum creatum perferendis legibus, quas ipsi ferre visum fuerit, constituendæque Reip. Sic P. R. Imperio Regum assuetus circiter C. Olympiadas, atque alius ferme totidem regimini populari sub annuis Consulibus, rursum ad Regni formam redit, peracta apud Græcos CLXXV. Olympiade. Quorum sane longe alius sensus est.

XII. Plerique eam temporibus Augusti adscribunt; & Alii quidem, sub Augusto eam latam, sub sequentibus autem Imperatoribus repetitam statuunt. Neque statim *Legem Regiam*, sed successu temporis, cum firmatum jam satis imperium, neque exosum amplius esset nomen *Regium*, ita vocatam esse. v. Bach. ad πα' πρῶτ. *p.* 42. 43. nec non ad §. 6. *I. de J. N. G. & C.* Vin. ad *d.* §. 6. *n.* 1. Wiss. *ad l. Disp.* 111. *th.* 24. Voet. *de Stat. Sect.* 11. *c.* 1. *n.* 4. 6. *Ampl.* Ulr. Hub. *P.* 1. *Digress. L.* 1. *c.* 16. *& seqq.* B. G. Struv. *Hist. Jur. c.* 2. §. 1.

XIII. Alii vero Legem, qua Populus omne suum imperium, & potestatem, in Principem contulerit, ea formula atque expressis istis verbis, nullam latam esse censent; pro explorato tamen ponunt, rem ipsam sine nomine extitisse, atque id ipsum tempus, quo *Legem Regiam* neque audire quisquam hoc sensu, neque loqui tacitum ferret, fuisse, quo illa tacite & paulatim nata, & quasi per consuetudinem introducta sit. vid. Gronov. *d. Orat. de Leg. Reg. p.* 31. *& seqq.* Bockelm. *ad t. D. de const. Princip.* §. 22.

XIV. Nonnulli denique temporibus Vespasiani eam natam & latam asserunt. v. Zas. *ad leg.* 1. *D. de const. Princip.* A. Cont. *Lect. subseciv. Lib.* 1. *cap.* 6. Clapmar. *de Arcan. Rerump. L.* 11. *c.* 15.

XV. Quæ sententiarum diversitas quosdam forte movit, ut Legem Regiam in dubium vocarent, & merum figmentum seu σόφισμα πολιτικὸν esse censerent. Tentavit id Vultei. *comm.*

comm. ad §.6. *I. de J.N.G. & C. n.* 6 ubi, quæ de Lege Regia dicuntur, refert ad Jus Regium, ex 1 Sam. VIII. ỳ. 11. & *feqq.* vel aliarum gentium, quæ Reges suos habuerunt, more repetitum, idque non latum, sed ad exemplum illarum usurpatum esse: & postea ex professo defendere conatus est M. Schoockius, *Epist. de Figmento Legis Regiæ*, ed. *Groning.* 1661. & *Tr.* (qui inde natus est) *de Quadrupl. Leg. Reg. S.* III. ed. *Francof. ad Viader.* 1668.

XVI. Sed Legem quandam, qua Populus Romanus omne Imperium & potestatem Principi & in Principem concessit, & quidem Augusti temporibus, expresse latam, sub sequentibus Imperatoribus autem repetitam esse, nisi omnem antiquis scriptoribus, & monumentis, fidem derogare velimus, dicendum videtur.

XVII. Docet hoc I. Pomponius, (qui vixit temporibus Hadriani, Antonini Pii, nec non Divorum Fratrum, arg. *l. pen. D. de stip. serv.* junct. *l.* 7. *pr. D. de reb. dub.* & *l.* 42. *D. de don. int. vir. & ux. l. pen. D. de pollic.* v. Rupert. *ad Enchirid.* Pompon. c. 1. G. Grot. *de Vit. JCtor. L.* 11. *c.* 7. §. 1. cum adhuc in recenti esset memoria constitutum primum Imperium) dum in *l.* 2. §. 11. *D. de O. J.* ait, *constituto Principe, datum est ei jus, ut, quod constituisset, ratum esset.*

XVIII. II. Ulpianus, (qui sub Antonino Caracalla, & Alexandro Severo floruit. Spart. *in Alexand. c.* 2. Lamprid. in *Alexand. c.* 26. v. Bertrand. de *Jurisperit. L.* 1. *c.* 22. G. Grot. *de vit. JCtor. c.* 10. §. 1. & *feqq.* Cl. van Eck. ad *t. D. de O. J.* §. 36.) in *d. l.* 1. *pr. D. de const. Princ.* *Quod Principi placuit*, inquit, *legis habet vigorem, utpote cum* Lege Regia, quæ de imperio ejus lata est, populus ei & in eum omne suum imperium & potestatem conferat. Pro *Lege Regia*, enim minime ibi legendum *Lege Remmia*, cujus mentio in *l.* 1. §. 2. *D. ad SCt. Turpill.* Uti contra historiæ, omniumque codicum fidem, voluit Alciat. ad *l.* 15. *D. de V. S. n.* 1. nec non Coras. *L.* VI.

Mi-

Miscell. c. 8. *n.* 1.

XIX. III. Aurelius Arcadius Charisius (qui circa tempora Diocletiani vixit, v. Bertrand. *de Jurisperit. L.* 1. *c.* 34. Cl. van Eck, *ad t. D. de O. J.* §. 39.) in *l. un. pr. D. de off. Præf. Prætor.* verb. *Regimentis Reip. ad Imperatores perpetuos translatis.*

XX. IV. Imp. Alexander in *l.* 3. *C. de testam.* Antigono in hæc verba rescribens, *Ex imperfecto testamento nec Imperatorem hereditatem vindicare posse, sæpe constitutum est. Licet enim* Lex Imperii solennibus Juris Imperatorem solverit: *nihil tamen tam proprium Imperii est, quam Legibus vivere.* Quæ *Lex Imperii* eadem est cum *Lege* nostra *Regia*, sic dicta, quod de imperio Principis lata sit. §. 6. *I. de J. N. G. & C.* Vin. ad *d.* §. 6.

XXI. V. Imp. Justinianus in *l.* 1. §. 7. *C. de vet. jur. enucl.* seu *Const. de concept. Dig.* §. 7. *Lege antiqua,* ait, *quæ* Regia *nuncupatur*, omne jus omnisque potestas Populi Romani in Imperatoriam translata sunt potestatem. add. §. 6. *I. de J. N. G. & C.* nec non Theoph. ad *d.* §. 6.

XXII. Quos omnes in id conspirasse, ut scientes volentes Legem latam esse fingerent, minime est probabile.

XXIII. Sed ne domesticis quasi testimoniis tantum, ad probandam *Legem Regiam*, uti videamur, docent id ipsum etiam Historiæ Romanæ fidelissimi & accuratissimi Scriptores.

XXIV. Sic enim VI. Strabo, qui ipsius Augusti temporibus floruit, de Augusto loquens, Geogr. *L. ult. in fin.* Ἐπεὶ τοι γὰρ ἡ πατρὶς ἐπέτρεψεν αὐτῷ τὴν προστασίαν τῆς ἡγεμονίας, καὶ πολέμου, καὶ εἰρήνης κατέστη κύριος διὰ βίου. *Nam cum Civitas ei totius imperii administrationem permisisset, & pacis & belli potestatem ad annos vitæ &c.* Ubi Cl. Casaub. recte notat, *Legem Regiam* intelligi, quæ de Augusti imperio lata est, quo Populus ei & in eum omne imperium concessit. Neque

D

dem, quæ sequuntur, tradidisse, ab omni probabilitatis ratione alienum sit.

XXVIII. Res autem ex relatione Dionis ita se habet. Cum Octavianus Cæsar ex die pugnæ Actiacæ IV. Non. Sept. A. U. C. 723. ante N. C. 30. solus rerum potitus esset, Senatus Populusque Romanus mox A. U. C. 724. decrevit, ut Cæsar per omnem vitam Tribunitiam potestatem haberet, eique, qui ipsum implorasset, intra pomœrium; ac extra, usque ad D. passus (quod nulli Tribuno concessum erat) auxilium ferre posset; utque ad eum provocationes fierent, ac ipse omnibus judiciis suffragium quasi Minervæ ferret, i. e. ad exemplum Minervæ omnium judiciorum præses esset, ipsamque absolvendi potestatem haberet. vid. Gronov. *de Lege Reg. p.* 52. *& seqq.* & Dissert. Nostr. *de Calcul. Minerv p.* 20. 21. Annoque sequenti ipsis Cal. Jan. juramento omnia ejus acta confirmata sunt. Quin & eodem anno *Imperatoris* nomen, non quale propter victoriam tribui vetusto more solebat, sed quo summa Imperii demonstraretur, accepit; pauloque post A. U. C. 726. *Princeps Senatus* dictus est. Quibus cum contentus non esset Augustus, quo magis honor ejus augeretur, ad Imperium in Rep. unius hominis, volentibus civibus, ne coacti viderentur, stabiliendum, animum adjecit. Eamque in rem A. U. C. 727. Cæsare VII. & M. Vips. Agrippa III. Coss. Orationem in Senatu habuit, qua dixit, licet perpetuum posset habere imperium, se tamen omne imperium deponere, omniaque, Arma, Provincias, Reditus, Legesque Populo restituere. Quæ ubi peroravit, omnes (cum frequenter etiam dicenti adhuc occlamassent) multis eum verbis precati sunt, ut solus imperii summam gereret, (μοναρχεῖσθαι τε δεόμενοι, ait Dion *L.* LIII. *p.* 503.) multisque, quibus id persuaderent, adductis argumentis, tandem eo compulerunt, ut Principatum solus obtineret, μέχρις οὗ κατηνάγκασαν δῆθεν αὐτὸν αὐταρχῆσαι. *Eaque arte Cæsar, cum im-*

 perium

perium deponere se velle simulasset, effecit, ut ei a Senatu Populoque confirmaretur. Ut autem longius Romanos, a suspicione Regiæ potestatis sibi propositæ, abduceret, imperium sibi per decennia & quinquennia prorogari curavit, continuatisque decenniis per totam vitam imperium obtinuit. Atque hoc pacto omne Populi Senatusque imperium ad Augustum rediit; οὕτω μὲν δὴ τό τε τοῦ δήμου καὶ τὸ τῆς γερουσίας κράτος πᾶν ἐς τὸν Αὔγουστον μετέστη.. Dion *d. L.* LIII. *p.* 503. 506 507.

XXIX. Quia autem nomen *Regni* Romanis exosum erat, porro *eod. Lib. p.* 507. *& seq.* per modum digressionis, docet Dion, quemadmodum Imperatores sub titulis Consulis, Proconsulis, Imperatoris, Censoris & Tribuni plebis, summam potestatem habuerint; sed & jus aliquod, *quod nulli unquam Romano aperte & in omnibus concessum erat*, quod scil: *legibus soluti sint*, & eo ipso omnia agendi licentia ipsis data sit. Λέλυνται γὰρ (ait *p.* 509.) δὴ τῶν νόμων, ὡς αὐτὰ τὰ Λατινικὰ ῥήματα λέγει. τουτέστιν ἐλεύθεροι ἀπὸ πάσης ἀναγκαίας νομίσεως εἰσὶ, καὶ οὐδενὶ τῶν γεγραμμένων ἐνέχονται. i: e. *Legibus enim soluti sunt*, uti ipsa Latina verba dicunt, *hoc est liberi sunt ab omni coactione Legum, nec ulla scripta Lege tenentur.*

XXX. Licet autem Legibus revera jam solutus esset Augustus, quippe in quem omne Senatus Populique Romani imperium jam collatum erat, ut ipsi Leges scribi non possent; v. Plin. *Paneg. c.* 65. postmodum tamen A. U. C. 730. cum pollicitus esset populo viritim centenos denarios, negassetque se prius id proscripturum, quam Senatus assensisset, Senatus eum Lege non tantum *Cincia*, sed omni Legum necessitate liberavit, ut vere plena potestate, perfecteque sui juris, legibusque solutus, agere aut non agere suo arbitrio posset. Verba Dionis sunt *d. L.* LIII. *p.* 515. *& seq.* Πάσης, ὥσπερ εἴρηταί μοι, αὐτὸν τῆς τῶν νόμων ἀνάγκης ἀπήλλαξαν, ἵν' καὶ αὐτοτελὴς ὄντως καὶ αὐτοκράτωρ καὶ ἑαυτοῦ καὶ τῶν νόμων, πάντα τε ὅσα βούλοιτο ποιοίη, καὶ πάνθ' ὅσα ἂν μὴ βούλοιτο μὴ πράττη. i. e. *Omni eum legum necessitate libera-*

ravit, ut, veluti demonstratum est a me, *reapse potestatis absolutæ tamque sui ipsius Imperator, quam legum, omnia quæcunque vellet ageret, & omnia quæcunque nollet non faceret.* Sed & postea A. U. C. 731. Augusto XI. & Calpurnio Pisone Coss. decretum, ut Tribunus plebis perpetuus esset, ut, quoties Senatus haberetur, etiamsi consulatum non gereret, de quibuscunque rebus referre posset: ut Proconsulare imperium semper haberet, neque id in urbem intrans deponeret, aut renovando ei opus esset: ut major ipsi in Provinciis quam præfectis earum semper esset potestas. Dion *d. L.* LIII. *p.* 518. 519. Imo, ut alia prætereamus, A. U. C. 735. C. Sentio & Q. Lucretio Coss. decretum, ut Magister morum per quinque annos esset, potestatemque Censoriam per id temporis, Consularem autem quamdiu viveret, haberet: ut semper ei fasces XII. præferrentur, ac in medio Consulum semper sella curuli sederet: ut omnia emendaret suo arbitrio, ac Leges quas vellet ferret, quibus *Augustarum* nomen indiderunt, ac obtemperaturos se illis unanimiter velle juramento obstringere professi sunt. Dion *L.* LIV. *p.* 527. *& seq.*

XXXI. Ex quibus manifestum videtur, Senatum Populumque Romanum, omne imperium suum ac potestatem, lege quadam seu Senatusconsulto, & quidem Augusto VII. & M. Vipsanio Agrippa III. Coss. A. U. C. 727. in Augustum Imperatorem expresse contulisse.

XXXII. Simulque apparet, qua ratione factum sit, ut postquam summa in Rep. potestas Augusto data esset, legibus tamen (quod non pauci in contrarium urgent) deinceps tum in genere, tum postmodum Lege Voconia iterum in specie, v. Dion Cass. *Lib.* LVI. *in f.* solutus sit. Neque enim hoc A. U. C. 727. statim & simul (uti quibusdam visum est) sed postmodum demum dicta occasione factum videtur. Augustus enim, ut volentibus imperare videretur, omnemque Regiæ dominationis suspicionem a sese amoveret, non tantum

per decennia curavit sibi prorogari imperium, Legibusque specialiter se solvi, sed & cum Legibus nominatim jam solutus esset, Legum ferendarum, omniumque emendandorum potestatem in se conferri; iisque artibus summum Imperium & Monarchiam sibi firmavit. Quod & sequentibus Impp. curæ fuit; qui, ut umbram quandam pristinæ Reip. & simulacra libertatis Senatui Populoque Romano relinquerent, uti de Tiberio loquitur Tac. *L.* I. *Ann. c.*77. de multis non tantum ad Senatum retulerunt, v. Suet. *in Tib. c.* 30. Dion Cass. *L.* LVII. *p.* 606. sed & similiter se Legibus solvi, v. Dion Cass. *L.* LIX. *p.* 651. Leges, veluti Æliam Sentiam, v. Dion *Lib.* LV. *p.* 557. Sueton. *in Aug. c.* 40. Papiam Poppæam, v. Dion Cass. *L.* LVI. *p.* 578. Tac Ann. *L.* XIII. *c.* 25. Juniam Norbanam, v. Tac. Ann. *L.* II. *c.* 59. Juniam Vellejam, v. Grut. *p.* 470. *n.* I. junct. *l.* 2. *pr.* §. I *D. ad SCt. Vellej.* ad populum ferri, & cum jam sub Tiberio Comitia e Campo ad Patres translata essent, Tac. *L.* I. *Ann. c.* 15. Comitia tamen quædam haberi, permiserunt. v. Tac. *Ann. L.* I. *c.* 81. *L.* XII. *c.* 5. 26. 41. *L.* XIV. *c.* 28. *Hist. L.* I. *c.* 15. Plin. *Paneg. c.* 63. *& seqq.* Hotm. *Ep. ad D. de const. Princ.* §. 2.

XXXIII. Verum enim vero, non lata est dicta *Lex Regia* in perpetuum, sed sequentium Imperatorum temporibus repetita est, uti iterum laudatus Dion Cassius aliique testatum faciunt.

⊙ XXXIV. Quantum enim ad Tiberium attinet, refert Dion Cassius *Hist. L.* LVII. *p* 602. 603. Tiberium, cum omnia pro imperio ageret, verbis tamen id recusasse, socios imperii ac collegas petiisse, reliquos vero contradixisse, *solique omnia detulisse.* Nec non Tacit. *L.* I. *Annal. c.* 7. & *seqq.* statim Consules Senatumque Populi Romani in verba ejus jurasse, sed eum famæ dedisse, ut vocatus electusque a Rep. videretur, adeoque cum diu Principatum impudentissimo animo recusasset, tandem quasi coactum, & querentem miseram, & onerosam sibi injungi servitutem, Imperium recepisse. Eoque per-

pertinet illud Tiberii apud Sueton. in Tib. *c.* 29. *Dixi & nunc & sæpe alias P. C. bonum & salutarem Principem*, quem vos tanta ac tam libera potestate instruxistis, *Senatui servire debere, & universis civibus sæpe, & plerumque etiam singulis.*

XXXV. Idem de Cajo Caligula testatur Sueton. in Calig. *c.* 14. *Ingressus*, inquit, *Urbem, statim consensu Senatus & irrumpentis in curiam turbæ, irrita Tiberii voluntate, qui testamento alterum nepotem suum prætextatum adhuc coheredem ei dederat*, jus arbitriumque omnium rerum illi permissum est. De Claudio Dion Cassius *L.* LX. *p.* 665. dicens, καὶ τὰ λοιπὰ ὅσα ἐς τὴν αὐταρχίαν ἥκοντα ἦν αὐτῷ ἐψηφίσαντο. *& reliqua quæ ad summum imperium pertinebant ipsi decreverunt.* & paulo post, Οὕτω μὲν... τὴν αὐτοκράτορα ἀρχὴν ἔλαβε. *ita summum* seu *absolutum imperium accepit.* De Galba & Othone, idem Sueton. *in Galb. c.* 11. 14. *in Othon. c.* 7. 8. De Vespasiano denique Tacit. *L.* IV. *Hist. c.* 3. dum ait, *& Romæ Senatus*, cuncta Principibus solita, *Vespasiano decrevit, lætus & spei certus.* Ubi C. Pichena in *not.* addit, *ex antiqua scil. Lege, quæ appellatur* Regia.

XXXVI. Quænam autem fuerint illa, docet fragmentum Legis Regiæ, tum temporis repetitæ, quod primo in templo Capitolino, sed postea in Lateranensi Basilica se vidisse ait Franciscus de Albertinis, *de Mirand. vet. Rom. Lib.* II. Ubi & sæpius vidit Smetius, & etiamnum servatur. v. Gruter. *Corp. Inscr. p.* 242. Pichen. *d. l.* A. Augustin. *de Leg. Rom.* voc. *Regia.* & *ibidem not.* Rosin. *L.* VII. *Antiq. c.* 12. Hotm. *in Ind. LL. Rom.* Coccej. *ad l.* 1. *pr. D. de const. Pr. p.* 520. *& seqq.* Rupert. *ad Enchirid.* Pompon. *L.* 1. *c.* 12. *Ampl.* Huber. *P.* 1. *Digress. L.* 1. *c.* 31. Qui etiam verba ejus, quæ extant, exhibent, fidemque ejus pluribus adstruunt.

XXXVII. Non tamen statim temporibus Augusti Lex illa *Regia* dicta videtur; erat enim hoc nomen tum temporis valde exosum: unde & ipse Augustus, nomen *Romuli*, *Regis*, *Dictatoris*, & *Domini*, uti §. VII. jam monitum, ut ma-

maledictum & opprobrium semper exhorruit. v. Dion Cass. *L.* LIII. Sueton. *in Aug. c.* 52. 53. Tacit. *Ann. L.* III. *c.* 57. Sed cum de Imperio Principis lata esset, *Lex Imperii*, v. *l.* 3. *C. de testam.* forte & *Lex Augusti*, v. *l.* 14. §. 1. *D. de manum.* nec non *Augustum Privilegium*, *l. un.* §. 14. *C. de cad. toll.* primis temporibus dicta est. Successu temporis autem, firmato jam satis imperio, cum Imperium *Regnum*, v. Tacit. *Ann. L.* XII. *c.* 66. *L.* XIII. *c.* 14. & Imperatores Græcis non tantum βασιλεῦς, v. *l.* 9. *D. ad L. Rhod. de jact.* (quales revera erant, v. Appian. Ἐμφυλ. *præf.*) sed & Latinis *Reges* dicerentur, v. P. Papin Stat. *L.* IV. *Sylv.* 1. Lamprid. *in Heliogab. c.* 34. *in Alex. c.* 38. nomen *Regium* etiam paulatim de iis, quæ ad Imperatores pertinent, usurpari cœpit; uti apud Capitolin. *in Marc. c.* 5. aliosque Historiæ Aug. Scriptores non uno loco videre est. Eaque ratione Lex illa, qua revera Regia potestas Principi data, posterioribus temporibus, maxime a JCtis, *Regia* vocata est. v. Rupert. *ad Enchirid.* Pompon. *L.* 1. *c.* 12. Gronov. *de Leg. Reg. p.* 96. *& seqq.* Ampl. Huber. *Digress. P.* 1. *L.* 1, *c.* 29. *n.* 4.

CAPUT II.

I. *Principem R. vi summi Imperii seu Majestatis* Leges *seu* Constitutiones *condidisse.* II. *Quotuplices sint* Constitutiones Principum? III. *Quo nomine vocentur* Generales? IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. *Quid sit* Rescriptum? XI. *Quænam* Rescripti *sint* species? XII. *Quænam* Rescriptorum *requisita?* XIII. XIV. *Quid sit* Decretum? XV. *An sententiæ Judicum etiam vim juris obtineant?* XVI. *Quæ ratio diversitatis?* XVII. XVIII. XIX. *Quid* Edictum? XX. XXI. XXII. *Alia* Constitutionum *nomina.*

CUm itaque Senatus Populusque Romanus, apud quem summa, Legumque ferendarum potestas erat, v. Dionys.

nyſ. Halic. *L.* XI. *c.* 14. *L.* VI. *c.* 58. *L.* VII. *c.* 52. *L.* IX. *c.* 54. Lege Regia omne jus ſuum & poteſtatem in Principem contulerit, recte ex eo Ulp. in *d. l.* 1. *pr. D. de conſt. Princ.* infert, omne, quod Principi placuit, legis habere vigorem. add. *l. fin. pr. C. de LL.*

II. Sunt autem *Principum Conſtitutiones* vel *Generales*, vel *Speciales*. *d. l.* 1. §. 1. 2. *D. de conſt. Princ.* §. 6. *I. de J. N. G. & C.* Theoph. ad *d.* §. 6.

III. Conſtitutiones *Generales* vocantur fere vel *Reſcripta*, vel *Decreta*, vel *Edicta*. *d. l.* 1. §. 1. *d.* §. 6. Theoph. *d. l.*

IV. *Reſcriptum*, ſeu *Reſcriptio*, v. *l.* 8. *l.* 9. *D. de offic. Præſ. l. un. C. ſi cont matr. vol. tut. dat. ſit*, quo Princeps vel ad libellos partium, v. *l.* 19. §. 9. *D. loc. cond. l.* 17. *pr. D. de jur. patr.* vel ad conſultationes Præſidum, Proconſulum, Legatorum, Prætorum, aliorumque Magiſtratuum, reſpondet. v. *l.* 3. §. 1. 2. 3. *D. de teſtib. l.* 31. *D. de re jud. l.* 7. *pr. D. de in int. reſt.* Theoph. *d. l.* Licet & JCti non ſemel *reſcripſiſſe* legantur. v. *l.* 38. §. 2. *D. de act. emt. l.* 46. *D. de man. teſtam. l.* 29. §. 1. *D. de ſtat. lib. l.* 58. *D. de leg.* 3. *l.* 44. *D. de re jud. l.* 20. §. 1. *D. de ſtip. ſerv.* Menag. *Amœn. c.* 20. *p.* 101. *& ſeqq.*

V. Moris enim erat, Principem, quamvis præſentem, ſcripto, ſeu per libellos, adire; Tacit. *Annal. L.* IV. *c.* 39. Hinc Sueton. *in Aug. c.* 53. *Promiſcuis ſalutationibus admittebat & plebem, tanta comitate adeuntium deſideria excipiens, ut quendam joco corripuerit, quod ſic ſibi libellum porrigere dubitaret, quaſi elephanto ſtipem.* Ut & in *Domit. c.* 17. *Profeſſusque conſpirationis indicium, & ob hoc admiſſus, legenti traditum à ſe libellum & attonito ſuffodit inguina.* Nec non Mart. *L.* IV. *Epigr. ult.*

Dante tibi turba querulos, Auguſte, libellos,
Nos quoque, qui domino carmina parva damus,
Poſſe Deum rebus pariter, Muſisque vacare,
Scimus, & hæc etiam ſerta placere tibi.

F. add.

add. *l.* 33. *D. de re jud. l.* 5. *D. ad SCt. Turp. l.* 6. *D. ad L. Jul. de vi publ. l. un. C. de vend. rer. fisc.* L. x. Briſſon. *de Form. L.* III. *p. m.* 292. *& ſeqq.* & *Sel. Ant. L.* III. *c.* 7.

VI. Quibus libellis vel ipſi Principes ſubſcribebant, v. *l.* 32. §. 14. *D. de recept. qui arb. rec.* Lamprid. in Commod. *c.* 13. *Ipſe Commodus in ſubſcribendo tardus & negligens, ita ut libellis una forma multis ſubſcriberet.* vel eorum nomine alii, *Magiſtri* ſc. *libellorum*, v. *inſcr. l. un. D. de offic. Præf. Præt. l.* 12. *pr. D. de diſtr. pign.* & poſtea *Quæſtores Palatii.* v. *l. ult. C. de div. reſcr. N.* 114. *c.* 1.

VII. Quod ut clarius appareat, libelli a Celſo JCto ſubſcripti exemplum, ex lapide Romano, quod exhibet V. Cl. Briſſon. *d. L.* III. *Sel. Ant. c.* 7. *& d. L.* III. *de Form. p.* 292. ſubjiciemus. Verba autem Libelli & ſubſcriptionis ita habent: CUM ANTE HOS DIES CONJUGEM ET FILIUM AMISERIM, ET OPPRESSUS NECESSITATE CORPORA EORUM FICTILI SARCOPHAGO COMMENDAVERIM, DONEC IS LOCUS QUEM EMERAM ÆDIFICARETUR VIA FLAMINIA, INTER MILIARIUM II. ET III. PARTE LÆVA, ROGO DOMINE IMPERATOR, PERMITTAS MIHI IN EODEM LOCO IN MARMOREO SARCOPHAGO, QUEM MIHI MODO COMPARAVI, EA CORPORA COLLIGERE, UT QUANDO ME ESSE DESIERO PARITER CUM IIS PONAR.

SEPULCRUM FIERI PLACET.

JUBENTIUS CELSUS PROMAGISTER SUBSCRIPSI. III. NON. NOVEMB. ANTIO POLLIONE ET OPIMINIO COSS.

VIII. Idem extat apud Grut. *Corp. Inſcript. pag.* 607. *n.* 1. quibusdam tamen, ut & nominibus Coſſ. paulo aliter expreſſis, ANTIO (ſcil.) POLLIONE ET OPIMIANO COSS. ORDINARIIS. SEVERO ET SABINIANO COSS. qui conſules fuerunt A. U. C. 907. poſt N. C. 155. Ubi & illud notatu dignum, quod IV. Coſſ. tum *Ordinariorum*, tum *Suffectorum*, nomina ibi legantur; quale exemplum etiam occurrit in *l.* 20. §. 6.

§. 6. *D. de her. pet.* in verbis SCti, quod ibi exhibetur, prioribus; PRIDIE IDUS MARTIAS, QUINTUS JULIUS BALBUS, ET PUBLIUS JUVENTIUS CELSUS, TITUS AUFIDIUS, OENUS SEVERIANUS CONSULES VERBA FECERUNT. *Quintus Julius Balbus* enim & *Publius Juventius Celsus* Consules fuere *Ordinarii* A. U. C. 881. post N. C. 129. *Titus* autem *Aufidius Fronto* (sic plene vocatur) & *Arrius* (sic leg.) *Severianus* Consules fuere *Suffecti* ex Cal. Mart. v. Alciat. *Parerg. L. v. c.* 10. Cl. Almelov. *Fast. R. Conf. præf.* & *ad d. A.* 881. Quemadmodum & aliquando quatuor *Suffecti* conjunguntur sine Ordinariis. v. Gruter. *Inscr. p.* 189. *n.* 12. & *p.* 574. *n.* 6. Almelov. *d. præf.*

IX. Neque in contrarium facit *l.* 3. *C. de serv. Reip. manumitt.* dum ibi *Legis Vectibulici* (forte *Vettii Libici* legend. cum Cuj.) *potestate SCto* Jubentio Celso iterum & Neratio Marcello Coss. *facto ad provincias porrecta* dicitur, quasi dicto Anno suffectus tantum fuerit *Neratius Marcellus.* Consules enim Suffecti eo anno fuere complures. *Ordinarii* scil. *P. Juventius Celsus* II. & *Q. Julius Balbus*, *Suffecti* vero ex Cal. Mart. *T. Aufidius Fronto* & *Arrius Severianus;* ex Cal. autem Nov. *C. Neratius Marcellus* & *Cn. Lollius Gallus.* v. Cl. Alm. *ad d. A.* 881. Cui simile exemplum est in *C. Octaviano* XI. & *C. Calpurnio Pisone* Coss. qui a Dione Cass. *L.* LIII. *p.* 617. referuntur ad A.U.C. 731. p. N. C. 23. quorum prior fuit *Ordinarius*, & posterior *Suffectus.* v. Cl. Almelov. *d. præf.* & *ad A. U. C.* 730.

X. Et quidem Latinis Latine, Græcis vero Græce rescribi solebat. v. *l.* 9. *D. ad L. Rhod. de jact. l.* 16. *D. de S. P. R. l.* 37. *D. de jud.* junct. *l.* 5. §. 1. *D. ad L. Jul. de vi publ. l.* 48. *D. de jud. l.* 3. *D. de custod. reor.* Quem etiam in finem Magister Epistolarum Græcarum, inter alios Magistros erat, prout ex Joseph. *L.* 1. *c.* 7. & Eunap. *in Nimphid.* observavit V. Cl. J. Gothofr. *de Imper. Marc. c.* 2.

XI. Sunt autem Rescriptorum variæ species: 1. *Annota-*

tiones, seu *Subnotationes* & *Subscriptiones* Principis, ad libellum privati, in causa privata, factæ. *l.* 6. 7. *C. de div. rescript. l.* 1. *C. de prec. Imp. off. l.* 1. *C. si nupt. ex rescr. l.* 5. *C. ad L. Corn. de fic. l.* 1. *C. quom. & quand. jud. sent. prof. deb. pr. I. quib. non est permiss. fac. testam.*

II. *Epistolæ*, seu *Literæ*, v. *l.* 7. *C. Theod. de Prætor.* i. e. rescripta Imperatorum, ad Præsidis vel Magistratus relationem, de negotio dubio factam, data. v. *l.* 3. §. 1. *D. de testib.* §. 4. *I. de fidej. l.* 5. §. 1. *D. de jur. Imm.* Theoph. *ad* §. 6. *I. de J. N. G. & C.*

III. *Pragmaticæ Sanctiones*, seu *Leges Pragmaticæ*, i. e. Principis jussiones, quæ de publico negotio, ex consilii sententia, vel ad preces Universitatis, manarunt; *si quando corpus aut schola, vel officium, vel curia, vel civitas, vel provincia, vel universitas preces fuderit:* uti ait Imp. in *l.* 7. *pr. &* §. 1. *C. de div. rescript.*

XII. Quæ ut vim & auctoritatem juris habeant, requiritur I. Ut preces impetrantium veritate nitantur, quæ clausula semper subintelligitur; *l.* 7. *pr. C. de div. rescr. l.* 5. *C. si contr. jus vel util. publ.* II. Ne sint damnosa fisco, vel juri utilitative publicæ contraria; *l.* 3. *l.* 7. *C. de prec. Imp. off. l. ult. C. si cont. jus vel util. publ.* III. Ut, si beneficia sint personalia, adjectum habeant diem & Consulem: *l.* 4. *C. de div. rescr.* ut scil. constet, quo tempore tale beneficium concessum, & an justo tempore supplicatum sit; v. *l.* 1. *l.* 2. *l.* 3. *C. ut lit. pend. vel post. prov. vel def. sent. null. lic. Imp. supp. l. ult. C. sent. resc. non poss. l.* 16 *C. de transf. N.* 113. *c* 2. Et IV. denique ut manu Principis subscripta sint. *l.* 3. *C. de div. rescr.* Quæ subscriptio *encausto*, seu cocti muricis & triti conchylii ardore, i. e. liquore purpureo, quo soli utebantur Imperatores, facienda. *l.* 6. *C. de div. rescr.* v. Pancirol. *Rer. Memorabil. L.* 1. *c.* 1. & ibid. Salmuth. *in not.*

XIII. *Decretum* est Principis sententia, inter partes litigan-

gantes, caufa cognita, prolata; cum fcil. Princeps *cognofcens decrevit, vel de plano interlocutus eft. d. l.* 1. §. 1. *D. de conft. Princ.* §. 6. *I. de J. N. G. & C. l. f. C. de LL.*

XIV. Ipfi enim Principes in caufis gravioribus, fæpenumero extra ordinem; i. e. extra locum, ftrepitum, formulasque judicii, judicabant, partibusque auditis fententiam pronunciabant. v. *l.* 3. *D. de his quæ in teftam. del. l.* 13. *D. quod met. cauf. l.* 41. *D. de hered. inftit.* §. *ult. I. de vulg. fubft. Nov.* 88. *præf.* Qualium *Imperialium fententiarum in cognitionibus prolatarum*, feu *Decretorum*, complures libros collegit Paulus JCtus, uti docent infcriptiones *l. ult. D. de jur. patron. l. ult. D. de hered. inftit. l. ult. D. ad SCt. Trebell. l.* 38. *D. de min. l.* 97. *D. de acq. vel omitt. her.*

XV. Id autem quod de fententia Principis dicitur, ad fententiam Judicis minime extendendum eft. De qua non tantum nusquam in jure hoc dicitur, fed imo expreffe contrarium conftitutum eft, res fcil. inter alios judicatas aliis non præjudicare, neque emolumentum afferre. *l.* 63. *D. de re jud. l.* 2. *C. quib. res jud. non noc. l.* 1. *C. int. al. act. vel jud. al. non nocer.*

XVI. Cujus diverfi juris ratio non longe petenda; Princeps enim fummam poteftatem, & proinde jus etiam condendæ Legis habet, quod de Prætore vel Judice dici nequit. Accedit, quod Princeps citra odium vel gratiam judicare præfumatur, quæ ratio in Judice fæpe ceffat.

XVII. *Edictum*, feu *Lex Edictalis*, eft, quam Princeps motu proprio ad utilitatem fubditorum promulgat. *d. l.* 1. §. 1. *D. de conft. Princ.* §. 6. *I. de J. N. G. & C. l.* 3. *C. de LL.* §. *ult. I. de ufuc.* Theoph. *ad d.* § 6.

XVIII. Quæ vel ad totum Populum, vel Provinciales, vel etiam ad Præfectum Prætorio dirigebatur, v. *l.* 6. *C. de fec. nupt.* & per programma publicum promulgabatur: *d. l.* 3. *C. de LL.* cujus initium fere eft, *Hac Edictali Lege. d. l.* 6.

C. de sec. nupt. Hac perpetua Lege. l. 2. C. ubi quis de curial. vel cohortal. Hac in perpetuum valitura Lege sancimus. l. 6. C. de div. præd. urb. v. Hottm. *ad d.* §. 6. Qualia sunt Edicta XIII. Novellis subjecta.

XIX. Et hæc quidem sunt, quas vulgo *Constitutiones* appellamus. *d. l.* 1. §. 1. *D. de const. Princ.* §. 6. *I. de J. N. G. & C.*

XX. Non raro tamen etiam Principum constitutiones *Orationes* audiunt. v. *l.* 8. *pr.* §. 2. 3. 4. 6. 8. *D. de transact. l.* 32. *pr. &* §. 1. *D. de don. int. vir. & ux. l.* 3. *C. de LL.*

XXI. Solebant enim Principes, si quando adhibita Senatus auctoritate aliquid constituere vellent, ea de re primum Orationem in Senatu habere; quo facto Senatus secundum eam Senatusconsultum condebat. v. *l.* 20. §. 6. *D. de her. pet. l.* 16. *D. de R. N. l.* 32 *pr.* §. 2. *D. de don. int. vir. & ux.* Suet. in *Claud. c.* 25. Unde, quod uno loco *Oratione*, alio loco *Senatusconsulto* constitutum esse, non semel legitur. v. *d. l.* 8. *D. de transact.* junct. *l.* 23. §. 2. *D. de condict. indeb. l.* 1. junct. *l.* 12. *D. de reb. eor. qui sub. tut. sunt sin. decr. non alien. l.* 1. *l.* 7. *C. de præd. min.* Brisson. *L.* 1. *Sel. Ant. c.* 16.

XXII. Quin & aliquando *Mandata* dicuntur, *t. t. C. de mand. Princ. Sacræ formæ* & *jussiones*, *l.* 20. *C. de SS. Eccl. N.* 114. *pr.* & *c.* 1. nec non θεῖαι κατάθεσις, i. e. *Sacræ* seu *Divinæ Dispositiones. N.* 113. *c.* 1. *pr.*

CAPUT III.

I. II. *Quænam sint* constitutiones Singulares, seu *Privilegia?* III. *An Privilegia sint licita?* IV. *Privilegiorum* prima divisio. V. *Quænam sint* Favorabilia? VI. *Quænam* Odiosa? VII. Divisio secunda. VIII. *Quænam sint Privilegia* causæ *seu* Realia? IX. *Quænam sint* Personæ *seu* Personalia? X. *Exempla Privilegiorum personalium, quæ ad heredes & successores extenduntur.* XI. *Transitus ad Rescripta* Divorum Fratrum.

Con-

Constitutiones Principum *Singulares*, sunt jura singularia, certæ personæ vel causæ contemplatione, præter jus commune constituta. *d. l.* 1. §. 2. *D. de const. Princ.* §. 6. *I. de J. N. G. & C. l.* 16. *D. de LL.*

II. Eaque fere uno nomine *Privilegia* vocari solent. *l.* 196. *D. de R. J.* Dicuntur enim *Privilegia* quasi *privæ leges*, *quia veteres* priva *dixerunt*, *quæ nos* singula *dicimus*. Gell. *L.* x. *c.* 20. Hinc Isidor. *L.* IV. *c.* 18. Privilegia *sunt Leges privatorum*, *quasi privatæ Leges*, *nam* privilegium *inde dictum*, *quod in privatos feratur lex*. add. *c.* 25. *v. Hic autem. x. de V. S. c.* 3. *dist.* 3.

III. Quæ apud Athenienses, v. Demosth. in *Orat. cont. Aristogit.* & Romanos, ex Sacratis Legibus, & L XII. Tabb. erant prohibita; v. Cic. *pro dom. c.* 17. *pro Sext. c.* 30. *L.* III. *de Leg. c.* 18. derogant enim æqualitati civium, quam observari Reip. interest. Sed centuriatis tamen comitiis ferri poterant, Cic. *d. L.* III. *de Leg. c.* 19. & postea sub Imperatoribus & statu Monarchico frequentius concessa sunt.

IV. Sunt autem 1. *Privilegia* vel *Favorabilia*, vel *Odiosa*. *l.* 1. §. 2. *D. de const. Princ.* §. 6. *I. de J. N. G. & C.*

V. *Favorabilia* sunt, quæ in favorem alicujus concessa sunt; si scil. Princeps alicui ob meritum indulsit, vel sine exemplo subvenit, vel pœnæ gratiam fecit. *d. l.* 1. §. 2. *d.* §. 6. *I. de J. N. G. & C. l.* 7. *C. de prec. Imp. off. l. pen. C. de calumn.*

VI. *Odiosa* vero, quæ in alicujus odium & pœnam constituta sunt. *d. l.* 1. §. 2. *d.* §. 6. *l.* 40. *pr. D. de cond. indeb.* Qualis erat Lex *de Vi*, quæ à Pompejo in Milonem lata est; qua nominatim *cædem in via Appia factam*, *& incendium Curiæ*, *& domum M. Lepidi interregis oppugnatam*, *comprehendit*: cui obsistere M. Celius Tribunus Pl. conatus est, quod *privilegium* diceret in Milonem ferri, uti docet Ascon. Ped. *Arg. Orat. pro Milon.* Nec non Lex, quæ a P. Clodio lata est in Ciceronem, *Ut* scil. *qui civem R. indemnatum necasset*, *ei aqua*

qua & igni interdictum esset. v. Vell. Pat. *L.* II. *c.* 45. Dion Cass *L.* XXXVIII. *p.* 67. Plut. *in Cic.* Quod crudele ac nefarium *privilegium* merito dicit Cic. *Orat. pro dom. c.* 17. 18. Nam dicta Lex seu Plebiscitum tantundem valebat, ac si dictum esset, *Velitis jubeatis Quirites, ut M. Tullio aqua & igni interdictum sit.* Cic. *d. c.* 18 Licet enim P. Clodius, ut populum falleret, verbis usus esset generalibus, nulla *Ciceronis* nominatim facta mentione, adeoque dicta Lex prima specie contra *Ciceronem* non videretur introducta, re ipsa tamen ea Lege & quidem solus *Cicero* petebatur, uti docet Vellej. Pat. *d. L.* II. *c.* 45. nec non Dion Cass. *d. L.* XXXVIII. 67. Quandoquidem ipse in cives Catilinariæ conjurationis indicta causa animadverterat. Talesque sunt Leges, quibus pœna solito gravior, uti ex causa fieri potest, irrogatur. *d. l.* 1. §. 2. *D. de const. Pr. d.* §. 6. *I. de J. N. G. & C.* v. *l.* 16. §. *f. D. de pœn. l.* 5. §. 1. *C. ad L. Jul. Maj.*

VII. II. Privilegia sunt vel *Causæ*, *vel Personæ*, seu *Realia*, vel *Personalia. l.* 196. *D. de R. J. l.* 1. §. 43. *D. de aq. quot. & æst.*

VIII. Privilegia *Causæ* seu *Realia* sunt, quæ causæ vel rei concessa sunt, & cum ea ad heredes aliosque successores, etiam singulares, transeunt. *d. l.* 196. *l.* 68. *D. de R. J. l.* 1. §. 43. *D. de aq. quot. & æstiv.* Qualia sunt, Immunitas prædiis data; *l.* 3. §. 1. *D. de censib. l.* 4. *D. de jur. immun.* Beneficium quod datur judicatis; *l.* 29. *D. de re jud. l. ult.* §. 1. *C. de usur. rei jud.* nec non Privilegium prælationis, quo funeris impensa omne creditum præcedit. *l. pen. D. de relig.*

IX. *Personæ* vero, seu *Personalia*, quæ personæ concessa cum eadem exstinguuntur. *d. l.* 196. *l.* 68. *D. de R. J. l.* 1. §. 43. *D. de aq. quot. & æst.* Qualia sunt, Beneficium competentiæ; *l* 12. *l.* 18 *pr. D. sol. matr. l.* 63. §. 1. *D. pro soc.* Dotis; *l. un. C. de priv. dot. l.* 12 §. 1 *C. qui pot. in pign.* Pupillorum, *l.* 19. §. 1. *D. de reb. auct. jud. poss.* Minorum, Professorum,

Stu-

Studioforum, fimiliumque.

X. Licet autem *Privilegia Perfonalia* ad heredes & fucceffores ordinario non tranfeant, ex jufta tamen ratione ad alios etiam aliquando extenduntur. Sic Privilegium Dotis uxori datum etiam liberis ejus conceditur; *d. l.* 12. §. 1. *C. qui pot. in pign. N.* 91. *præf.* fic Privilegium Legatis aliisque, qui Reip. caufa abfunt, competens, etiam comitibus eorum tribuitur; *l.* 7. *D. ad L. Jul. de vi publ. l.* 41. §. 2. *D. de excuf.* fic denique Privilegium Fori & immunitatis, quo gaudent Scholares, non tantum Profefforibus & Studiofis, fed & eorum uxoribus, liberis, omnibusque, qui ad eos pertinent, competit. v. *l.* 13. *C. de dign. l.* 6. *C. de Prof. & Med. Auth. Habita. C. ne fil. pro patr.* Rebuff. *de priv. Univ. priv.* 150. 166. Sichard. *ad d. Auth. n.* 11. Cothm. *Refp. Acad.* 14. *& feqq.* Lanf. *de Acad. Lit. L.*

XI. Porro Privilegia funt *Gratiofa* vel *Remuneratoria*, *Precaria* vel *Conventionalia*, *Perpetua* vel *Temporalia*, *Abfoluta* vel *Relata*, de quibus vid. Hahn. *ad* Wef. *ad t. D. de conft. Princ. n.* 2. Bockelm. *ad d. t* §. 18. dicta enim de *Conftitutionibus Principum* pro ratione inftituti fufficere putamus; ac proinde ad ipfas *D. Marci* Conftitutiones accedemus, & primum quidem *Divorum Fratrum Refcripta* videbimus.



F DIS-

DISSERTATIO TERTIA.

Scævola *Libro Primo Digestorum.*

IMPERATORES ANTONINUS & VERUS ita rescripserunt: *Privatis pactionibus non dubium est non lædi jus cæterorum. Quare transactione, quæ inter heredem & matrem defuncti facta est, neque testamentum rescissum videri posse, neque manumissis vel legatariis actiones suæ ademtæ. Quare quicquid ex testamento petunt, scriptum heredem convenire debent: qui in transactione hereditatis aut cavit sibi pro oneribus hereditatis, aut, si non cavit, non debet negligentiam suam ad alienam injuriam referre. l. 3. pr. D. de transact.*

CAPUT I.

I. *Cui hoc* Rescriptum *debeamus.* II. *Facti species.* III. IV. V. Privatis *pactionibus jus cæterorum non lædi.* VI. *Licet aliquando secus fiat in pactionibus* Publicis. VII. *Per transactionem, quæ inter heredem & matrem defuncti facta est, testamentum non esse rescissum; neque Actiones manumissis vel legatariis ademtas.* VIII. *Quid proprie dicatur* rescindi? IX. X. *Quomodo testamentum rescindatur?* XI. XII. *Testamentum rescissum non esse demonstratur.* XIII. XIV. *Ac proinde scriptum heredem conveniendum esse.* XV. XVI. XVII. *Rationes dubitandi removentur.* XVIII. *Aliam esse* Hereditatem, *alia* Bona & res hereditarias. XIX. *Ex quo ulterius res exponitur.* XX. *Simulque scrupulus, qui ex* l. 20. C. de transact. *moveri posset, tollitur.*

I. Cui debeamus Elegantissimum hoc *Rescriptum Divorum Fratrum*, quod in Digestis primo loco occurrit, ex inscriptione *d. l* 3. manifestum est, Q. *Cerbidio Scævolæ* scil. JCto,

JCto, v. *l.* 38. §. *f. D. de vulg. & pup. subst.* qui sub ipsis *Divis Fratribus* floruit, cujusque consiliis in jure dictando MARCUS AURELIUS ANTONINUS Imp. præcipue usus est. Capit. *in Marc. c.* 11. Ut adeo mirum non sit, tum hoc, tum alia *Divorum Fratrum Rescripta*, in scriptis *Scævolæ* reperiri; v. *l.* 29. *pr. D. de prob. Diss.* VII. *l.* 24. *D. ad munic. Diss.* XXII. simulque ex eo appareat, pro *Antoninus & Verus* hic minime legendum *Antoninus & Severus*, uti in quibusdam habetur Codicibus: *Antoninus* enim & *Verus* sunt iidem, qui *Divi Fratres* in legibus nostris appellari solent; *Severus* autem & *Antoninus* sc. *Caracalla* fuere pater & filius naturales. v. Spart. *in Severo c.* 10. & ibid. Casaub. Uti jam supra à nobis monitum *Differt.* I. §. 13. *& seqq.*

II. Facti species autem, de qua consulti sunt Impp. talis est: *Titius, Matre sua præterita, Sejum testamento scribit heredem, & præterea servis quibusdam bene de se meritis libertatem, amicis vero legata relinquit: Sejus mortuo Titio hereditatem ex testamento adit: Mater præterita Sejo movet Querelam testamenti inofficiosi: Transigitur inter Matrem & Sejum heredem, ita ut Sejus partem bonorum daret Matri, eaque contenta Mater Querela abstineret: Sejus convenitur à manumissis & legatariis, ut legata præstet: Sejus excipit se solum non teneri: Litem sibi motam esse, transactum esse, Matrem accepisse partem bonorum, & proinde illam pro rata conveniendam esse*: Aditi sunt Impp. vel à partibus, vel à Magistratu, quod magis videtur; Qui rescripserunt, *transactione, quæ inter Heredem & Matrem defuncti facta est, neque testamentum rescissum, neque manumissis vel legatariis actiones ademtas esse.*

III. Ajunt Impp. *Privatis pactionibus non dubium est non lædi jus cæterorum.* Scil. præmittunt regulam, ex ipso juris naturalis limpidissimo fonte haustam, ex qua decisio quæstionis propositæ aperte fluit.

IV. Notissimum enim, & omnium animis insitum, Ju. Naturalis præceptum est, alterum innocentem neque lædendum, neque ei nocendum esse. Hinc Cic. *de offic. L.* III. *c.* 5. *Neque vero hoc solum natura, id est jure Gentium, sed etiam legibus populorum, quibus in singulis civitatibus Resp. continetur, eodem modo constitutum est, ut non liceat sui commodi causa nocere alteri. Hoc enim spectant leges, hoc volunt, incolumem esse civium conjunctionem, quam qui dirimunt, eos morte, exilio, vinculis, damno coërcent, atque hoc multo magis exigit ipsa naturæ ratio, quæ est lex Divina & humana: cui parere qui volet (omnes autem parebunt, qui secundum naturam volent vivere) nunquam committet, ut alienum appetat, & id, quod alteri detraxerit, sibi assumat:* & paulo post, *Ex quo efficitur hominem naturæ obedientem homini nocere non posse.* nec non *L.* I. *de off. c.* 7. *Justitiæ primum munus est, ut ne cui quis noceat, nisi lacessitus injuria: deinde ut communibus utatur pro communibus, privatis ut suis.* Hinc Gajus in *l.* 1. *pr. D. de alien. jud. mut. caus. fact. Omnibus modis Proconsul id agit, ne cujus deterior causa fiat ex alieno facto.* Item Julianus in *l.* 25. §. 2. *in f. D. ad SCt. Treb. Hoc amplius, etsi ignorasset filius codicillos a patre factos, nihilominus heredes ejus pretium præstare debebunt, ne factum cujusquam alteri damnum adferat.* nec non Paulus in *l.* 155. *pr. D. de R. J. Factum cuique suum non adversario nocere debet.* add. *l.* 74. *D. de R. J. l.* 1. *C. int. al. act. l.* 12. *C. de acq. poss.* Hinc denique idem Paulus JC. in *l.* 27. §. 4. *D. de pact. Ante omnia animadvertendum est, ne conventio in alia re facta, aut cum alia persona, in alia re aliave persona noceat.* Ut & Diocletianus & Maximianus Impp. in *l.* 25. *C. de pact. Debitorum pactionibus, creditorum petitio nec tolli, nec mutari potest.* nec non in *l.* 2. *C. int. al. act. Inter alios factam transactionem absenti non posse facere præjudicium, notissimi juris est.* add. *l.* 26. *C. de pact. l.* 25. *l.* 26. *C. de transact.*

V.

V. Cumque jus publicum, quod omnium civium in Rep. commune eſt, pactis privatorum neque mutari, *l.* 38. *D. de pact.* neque privatorum conventione juri publico derogari poſſit; *l.* 45. §. 1. *D. de R. J.* Privatis pactionibus etiam jus cæterorum lædi non poſſe, ultro intelligitur.

VI. Non autem fruſtra dicitur *Privatis pactionibus* jus cæterorum lædi non poſſe; in Publicis enim, quæ fiunt a perſonis publicis in cauſis publicis, *l.* 5. *D. de pact.* quandoque ſecus eſt. Licet enim ordinario nulli jus ſuum detrahere vel auferre liceat, §. *ult. I de his qui ſunt ſui vel alien. jur.* inſignem tamen id patitur limitationem, ſi utilitas publica aliud exigat. *d.* §. *ult.* Unde ſi Princeps cum hoſtibus pacem faciat, neque ea aliis conditionibus obtineri, vel iniri poſſit, privatorum injurias ob publicam utilitatem remittere poteſt. arg. *l.* 1. §. 2. *D. de J. & J. c. In noſtra. x. de injur.* Vin *de pact. c.* 2. §. 2. add. Grot. *de Jur. Bell. ac Pac. L.* II. *c.* 14. §. 7. *L.* III. *c.* 20. §. 7. *& ſeqq.* Duaren *comm. ad t. D. de transact. c.* 3.

VII. Præmiſſa regula Impp. ſecundum Jus naturæ ex ea inferunt: *Quare transactione, quæ inter heredem & matrem defuncti facta eſt, neque teſtamentum reſciſſum videri poteſt* (ſic leg. v.), *neque manumiſſis vel legatariis actiones ſuæ ademtæ.*

VIII. *Reſcindi* proprie (improprie enim hoc verbum etiam de iis uſurpatur, quæ ipſo jure nulla ſunt, *l.* 5. §. 2. *D. qui & a quib. man. lib. non fiunt. l.* 5. *C. de reſc. vend. l.* 9. *C. de præd. min. ſin. decr. non alien. t. D. quæ ſent. ſin. appell. reſcind.*) dicuntur, quæ ab initio ſubſiſtunt, & rata ſunt. Sic acta reſcinduntur, Cic. *Phil.* I. *c.* 9. *Phil.* II. *c.* 42. Sueton. *in Claud. c.* 11. Uſucapio, *l.* 35. *pr. in f. D. de O. & A.* §. 4. *I. de act.* Traditio, §. 6. *I. de act.* Sententia & res judicata; *l.* 42. *D. de re jud. l.* 2. *D. de jur. aur. ann.* Emtio Venditio, *l.* 1. §. 12. *D. ſi quid in fraud. patr. l.* 1. *C. de fid. & jur. haſt. fiſc. t. t. D. & C. de reſcind. vend.* Transactio, *l.* 1. *C. ſi adv. transact.* nec non ultima voluntas ſeu judicium patris, *l.* 1. *D. de legat. præſt.* & Teſtamentum.

l. 8. §. *pen. D. de inoff. testam. l.* 34. §. *ult. D. de test. mil. l.* 36. *D. de stat. lib. l.* 24. *l.* 34. *pr. C. de inoff. test. l.* 16. *C. fam. ercisc.*

IX. Et quidem quantum ad testamentum attinet, rescinditur illud, vel per Querelam inofficiosi testamenti; *l.* 8. §. *pen. D. de inoff. test. Nov.* 115. *c.* 3. §. *ult. in f. c.* 4. §. *ult.* vel per Bonorum possessionem contra tabulas. *l.* 1. *D. de legat. praestand. l.* 17. *C. de collat.*

X. Rescinditur autem testamentum per Querelam inofficiosi tum demum, cum inofficiosum esse constat, *l.* 16. *C. fam. ercisc.* & per sententiam tale pronunciatum est. *l.* 8. §. *pen. D. de inoff. test.*

XI. Cum itaque testamentum hic necdum inofficiosum pronunciatum sit, necessario sequitur, id per transactionem, quae inter *Heredem* & *Matrem* defuncti facta est, rescissum non esse; adeoque neque manumissis (qui & ipsi legatarii sunt, *l.* 77. *D. de leg.* 3.) neque caeteris legatariis, actiones suas, ex Testamento scil. ipsis competentes, ademtas esse.

XII. Transactio enim inter alios facta, aliis, uti jam monitum, non nocet, *l.* 2. *C. int. al. act. vel jud. al. non noc.* neque alter paciscendo alterius obligationem exstinguere potest. *l.* 25. *C. de pact.* Quemadmodum de utroque eleganter etiam respondet Ulp. in *l.* 29. §. 2. *D. de inoff. testam.* dum ait: *Quamvis, instituta inofficiosi testamenti accusatione, res transactione decisa sit, tamen testamentum in suo jure manet: & ideo datae in eo libertates, atque legata, usque quo Falcidia permittit, suam habent potestatem.*

XIII. Adeoque concludunt Impp. *Quare quicquid ex testamento petunt, scriptum heredem convenire debent.* Modo loquendi elliptico, ut subaudiatur *de eo omni*, vel simile; quales locutiones etiam apud alios passim notare licet. Sic Terent. *Hecyr. Act.* II. *Sc.* 3. *Quod me accusat nunc vir, sum extra noxiam.* Ubi Donat. *Deest* in eo, *ut sit* in eo quod me accusat. Id. *Eunuch. Act.* IV. *Sc.* 3. *Eunuchum quem dedisti nobis,*

nobis, quas turbas dedit. Sic Plaut. *Mostel. Act.* v. *Sc.* 1. ℣. 5. *Ostium quod in angiportu est, horti patefeci fores.* Nec non Gell. *L.* v. *c.* 14. *Nam quas venabatur feras, membra opimiora mihi suggerebat.* Item *L.* VI. *c.* 13. *Unusquisque commentus paratusque ibat, quod quæreret.* Vid. Sanct. *Minerv. L.* II. *c.* 9. *&* *L.* IV. *c.* 2. & *ibid.* Celeber. Periz. *in Animadverſ.* A. Popm. *de uſu antiq. locut. L.* I I. *c. ult.*

XIV. Et sane summa ratione, Actionem ex testamento contra *scriptum heredem*, non vero matrem concedunt; Heres enim scriptus adeundo hereditatem, cum legatariis & fideicommissariis quasi contrahit, *l.* 3. §. *ult. inf. D. quib. ex cauſ. in poſſ. eatur. l.* 5. §. 2. *D. de O. & A.* §. 5. *I. de obl. quæ quaſ. ex contr.* & proinde solus, ad præstanda legata testamento relicta, quasi ex contractu obligatus est. *dd. ll.* add. *l.* 2. *pr. D. si quis omiſſ. cauſ. teſtam. l.* 2. *C. de hered. vel act. vend.*

XV. Ne tamen videantur Impp. exceptionem Heredis, Matrem scil. accepisse partem bonorum, neglexisse, rationem dubitandi simul removent, dum subjiciunt: *Qui in transactione hereditatis aut cavit sibi pro oneribus hereditatis, aut si non cavit, non debet negligentiam suam ad alienam injuriam referre.*

XVI. Non enim habet Heres scriptus quod queratur se solum conveniri, nam *Aut cavit sibi pro oneribus hereditatis,* i. e. stipulando sibi prospexit, pro qua parte ipse de oneribus hereditatis teneretur, pro qua parte vero teneretur mater; quo casu si vel maxime integra legata solverit, partem à Matre repetere potest, perinde ac in stipulationibus emtæ & venditæ hereditatis juris est: *l.* 2. *C. de hered. vel act. vend.* Aut *non cavit;* quo casu *non debet negligentiam suam ad alterius injuriam referre.* Habet enim quod sibi imputet, quare ita transegerit, & in transigendo sibi non caverit & prospexerit: cum damnum, quod quis culpa sua sentit, sentire non videatur. *l.* 203. *D. de R. J.*

XVII.

XVII. Incommoda sane ordinario eum sequuntur, quem sequuntur commoda, *l.* 10. *D. de R. J. l.* 7. *pr. D. de peric. & comm. rei vend. l.* 1. *C. eod.* §. 3. *I. de emt. & vendit.* & hereditas heredes ad legata præstanda obligat; *l.* 17. *D. de duobus reis.* adeo ut, si quis omissa causa testamenti, hereditatem ab intestato adierit, legata nihilominus præstare debeat. *l.* 1. *pr. l.* 2. *D. si quis omiss. caus. testam.* Non tamen illud huc pertinet, ut ex eo inferri possit, Matrem pro ea parte bonorum, quam vi transactionis accepit, conveniendam esse.

XVIII. Quod ut eo rectius intelligatur, sciendum, aliam esse *Hereditatem*, alia *Bona* & *Res hereditarias*; maxime, cum Seneca, vel quem sibi constituit Adversarium, hanc distinctionem non satis percipiens, eam *L.* VI. *de Benef. c.* 6. inter acutas Jurisconsultorum ineptias, inepte referendam censeat. *Hereditas* enim est res incorporalis, & *Jus hereditatis* significat; §. *un. I. de reb. corp. l.* 119. *D. de V. S.* quæ etiam sine ulla re hereditaria, si scil. damnosa sit, esse potest: *d. l.* 119. *D. de V. S. l.* 50. *pr. D. de hered. pet. l.* 32. *D. mandat. Bona* vero seu *Res hereditariæ* res singulæ sunt, maxime corporales, & singula corpora denotant. *d.* §. *un. I. de reb. corp. & incorp. l. ult. C. de quasi.*

XIX. Licet igitur mater partem bonorum seu rerum hereditariarum acceperit, *Hereditas* tamen seu Jus hereditatis in eam, per transactionem interpositam, ne quidem pro ea parte, translatum est; Tum quia *Hereditas*, vel ex testamento, vel ab intestato, non etiam pactis defertur: §. *ult. I. per quas person. cuiq. acq. l.* 15. *l.* 19. *l. ult. C. de pact. l.* 4. *C. de inut. stip. l.* 5. *C. de pact. conv. l. ult. D. de suis & leg. hered.* Tum quia, qui adeundo hereditatem semel heres factus est, semper heres est. *l.* 88. *in f. D. de hered. inst. l.* 7. §. 10. *in f. D. de min. add. l.* 55. §. 2. *D. ad SCt. Trebel.* Adeo, ut licet res hereditarias amiserit, imo hereditatem in jure cesserit, nihilominus heres, adeoque & legatariis & creditoribus obligatus maneat. *l.* 43.

§. 3.

§. 3. *D. de vulg. & pup. subst.* Ulp. *Tit.* 19. §. 14.

XX. Habet denique transactio vim quidem & auctoritatem rei judicatæ, *l.* 20. *C. de transact.* & res judicata manumissis & legatariis, nisi appellaverint, etiam nocet: *l.* 29. *D. de inoff. test. l.* 5. §. 1. *l.* 14. *pr.* §. 1. *D. de appell.* Sed longe aliud est, *transactionem auctoritatem habere rei judicatæ*, aliud, *rem esse judicatam*; quantum enim ad effectum attinet, in decidendis controversiis auctoritatem habet rei judicatæ, in aliis inter transactionem & rem judicatam notissimæ sunt differentiæ. Vid. Wiss. Donell. Brunnem. ad *d. l.* 20.

CAPUT II.

I. *An contrarius sibi sit* Scævola *in* l. 14. D. de transact. II. *Verba* d. l. 14. III. IV. *An integra sit Lectio Codicis Florentini?* V. *Et quomodo supplenda?* VI. *Casus* d. l. 14. *& Responsum* Scævolæ. VII. *Inter* d. l. 14. & *d. l.* 3. *D. de transact. non esse Antinomiam.* VIII. IX. *Neque* Scævolam, *neque* Tribonianum *incusandos.* X. *Conciliationes* Accursii. XI. XII. XIII. *Ex quibus prima probatur.* XIV. XV. XVI. XVII. *Difficultates removentur.* XVIII. *Posse tamen quandoque & verum heredem conveniri*, *neque obesse verba* d. l. 14. conveniendum esse. XIX. *Id quod in* d. l. 14. creditoribus *conceditur*, *secundum jus novum etiam ad* legatarios *recte extendi.*

ET hæc quidem satis plana & aperta videntur, sed negotium facessit ejusdem *Scævolæ* Responsum, quod ex libro Responsorum ejus secundo, sub eodem titulo, in *l.* 14. *D. de transact.* relatum est. Quod ita scriptum est, ut Rescriptum hoc nostrum *Divorum Fratrum*, eaque quæ adhuc dicta sunt, penitus subvertere videatur.

II. Dicta Lex autem 14. *D. de transact.* ita habet:

Scævola *Libro Secundo Responsorum.*

Controversia inter legitimum & scriptum heredem orta est: eaque, transactione facta, certa lege finita est. Quæro, creditores quem convenire possint? Respondit, si iidem creditores essent: (qui transactionem fecissent) si alii creditores essent, propter incertum successionis, pro parte hereditatis, quam uterque in transactione expresserit, utilibus conveniendus est.

III. Sic legitur in Codice Florentino; sed sensu plane nullo, & exemplo, ut videtur, notabili imperfectionis, læsæque virginitatis Pandectarum Florentinarum. Quod enim A. Cont. Vir cæteroquin Eruditissimus ad *d. l.* 14. monet, Lectionem Florentinam defendi posse, si intelligamus, coheredem eundemque creditorem, qui transegit, debere eum convenire quicum transegit, alios creditores vero utrumque; textus Florentinus non admittit, neque ex eo intelligi potest. Ut de restituendo hoc loco plerique merito sint solliciti.

IV. A. Faber *Ration.* ad *d. l.* 14. ex verbis Bartoli conjicit eum legisse, *qui transactioni interfuerunt.* Nec enim verisimile esse, eosdem, qui de successione litigarunt, fuisse creditores hereditarios, & proinde hanc legem sic restituendam censet: *Sive iidem creditores essent, qui transactioni interfuissent, sive alii creditores essent, propter incertum successionis &c.* Incerto fundamento, & auctoritate nulla.

V. F. Taurellus vero ad *d. l.* 14. notat, in vetusto manuscripto haberi: *qui transactionem fecissent: id observandum de ære alieno, quod inter eos convenisset. Si alii* &c. quemadmodum & habetur in Ed. Ven. de Anno 1507. Quam lectionem ipse rectiorem putat, & secutus est Haloander, probantque Viri Summi, & de Jure nostro optime meriti, Cuj. *ad d. l.* 14. Huber. *Eunom. Rom. ad d. l.* 14. Noodt *L.* 11. *Probab. c.* 2. Neque sine ratione; maxime cum confirmetur per Basil. L. XI. *T. l.* 13. ubi hic locus ita redditur: Εἰ μὲν οἱ αὐτοὶ δανεισταὶ ἦσαν τῆς κληρονομίας, ἔποιλαι τοῖς συμφωνηθεῖσι. Εἰ δὲ ἄλλοι

εἰσὶ

εἰσὶν οἱ δανεισταὶ, ὑπὲρ ἀλλήλας ἀγωγὰς ἔχουσι καθ' ἑκατέρου πρὸς τὰ κληρονομιαῖα μέρη. id est, *ſiquidem iidem creditores hereditarii eſſent, id obſervant* ſeu ſequuntur *quod inter eos conveniſſet, ſi vero alii creditores eſſent, adverſus utrumque utiles actiones habent pro portionibus hereditariis.*

VI. Secundum quam Lectionem, caſus hic talis eſt: *Titius Sejum teſtamento ſcribit heredem: Mortuo Titio inter Sejum Scriptum heredem, & Legitimum*, qui ſcil. ab inteſtato poſſet ſuccedere, *oritur controverſia; Tranſigitur inter Sejum & heredem Legitimum, ea lege, ut uterque partem hereditatis haberet: Quæritur, Creditores quem convenire poſſint?* utrum Sejum heredem Scriptum, an Legitimum, an utrumque? *Reſpondet* Scævola diſtinguendo. Aut, inquit, iidem creditores ſunt, qui transactionem fecerunt, aut alii: *Si iidem creditores ſunt, id obſervandum eſt de ære alieno, quod inter eos convenit. Si alii creditores ſunt, propter incertum ſucceſſionis, uterque conveniendus eſt, pro parte hereditatis, quam in transactione expreſſit; ſed Utilibus, non directis Actionibus.* Quod Reſcripto *Divorum Fratrum* aperte contrariari videtur.

VII. Et ſunt ſane JCti Celeberrimi, qui de conciliatione harum Legum deſperantes, hic Antinomiam agnoſcunt, Scævolamque in *d. l.* 14. non ex animi ſui ſententia reſpondiſſe, ſed, ut amico rem gratam acceptamque faceret, à certo jure quam oporteret longius receſſiſſe, ſtatuunt.

VIII. Sed, quod pace Virorum Clariſſimorum dixerim, probabile non videtur, tum Scævolam, tum Tribonianum, reliquosque laborum ſocios, tantæ ſocordiæ atque oſcitantiæ fuiſſe, ut obliti eorum, quæ ante ſcripſerint, poſtmodum plane contraria traderent, & leges aperte pugnantes, ſub eodem titulo, locis non longe a ſe invicem remotis, collocarent. Tum & Scævolam defendit præſumtio non tantum communis, in meliorem partem facienda, arg. *l.* 51. *pr. D. pro ſoc.* ſed &, qui in ſcriptis ejus paſſim elucet, candor

 ejus

ejus singularis, studiumque æquitatis, quo omnia ad æquitatem deflectere, & secundum ea, quæ proponerentur, respondere solitus est; v. *l.* 13. §. 1. *D. de ann. leg. l.* 26. *l. ult. D. de pec. const. l.* 39. *D. de min. l. ult.* §. *pen. D. de lib. leg.* nec non prudentia, etiam aliis laudata: ob quam ab Impp. Arcadio & Honorio *Prudentissimus Consultorum*, *l.* 3. *C. Theod. de testam. & cod. Prudentumque Coryphæus* a Modestino vocatus est. *l.* 13. §. 2. *D. de excus. tut.* De quo pluribus contra Conn. differit Duaren. ad *l.* 122. *D. de V. S.* Hub. *Eunom. Rom. ad d. l.* 14. *n.* 4.

IX. Ut adeo satius fuerit, ex consilio Imp. nostri Justiniani, diversitatis rationes hic excutere; §. 15. *Const. de conf. Dig. ad Sen. & omn. pop.* quam Antinomiam statuere, vel existimationi & famæ summi JCti Q. Cerbidii Scævolæ quicquam detrahere.

X. Et Accurs. quidem triplicem conciliandi rationem exhibet. Quarum prima est, *d. l.* 14. *D. de transact.* loqui de *Creditoribus*; *d. l.* 3. *D. eod.* vero de *Legatariis*. II. In *d. l.* 14. pro magna parte ad quemlibet bona pervenire; in *d. l.* 3. vero nihil vel parum advenire legitimo. III. In *d. l.* 14. agi de testamento irrito, falso scil. vel nullo; in *d. l.* 3. vero de testamento irritando, & per Querelam testamenti inofficiosi rescindendo.

XI. Ex quibus primam maxime probant & amplectuntur Cujac. *d. l.* 14. Pac. Ἐναν. *Cent.* 11. 12. Bach. *ad* τὰ πρ. *ad t. de transact. c. ult. n.* 4. Hub. *præl. ad d. t. n.* 11. & *Eunom. Rom. ad d. l.* 3. & 14. *n.* 9. Voet. *comm. ad d. t. n.* 22. aliique, quorum sententiæ & nos calculum subjicimus.

XII. Lex enim 14. aperte loquitur de *Creditoribus*, Lex 3. vero de *Legatariis*; inter Creditores autem & Legatarios hac parte multum interest, uti docet Papinian. in *l.* 3. *pr. D. de pign. & hyp.* dum ait: *Sed Creditor non bene Legatariis (per omnia) comparatur, cum legata aliter valere non possint, quam*

si

si testamentum ratum esse constaret. Cum enim legata in *d. l. 3.* testamento relicta proponantur, neque alia actione quam actione ex testamento peti possint, Legatarii utique alium, quam eum, qui ex testamento heres est, convenire nequeunt, qui solus ipsis quasi ex contractu obligatus est. *l. 5. §. 2. D. de O. & A. §. 5. I. de obl. quæ quas. ex cont.* Quod in Creditoribus secus est, quibus omnes heredes, sive ex testamento, sive ab intestato succedentes, obligati sunt. *l. ult. C. de hered. act.* Cum itaque in casu *d. l. 14.* non constet, quis proprie heres sit, an Sejus testamento Scriptus, an Legitimus? Non sine ratione Scævola respondet, *propter incertum successionis* utrumque, pro ea parte hereditatis, quam ex transactione habet, a creditoribus conveniendum esse. Quia vero unus tantum eorum verus heres est, qui solus directis tenetur actionibus, *l. ult. C de hered. act. Utilibus* hoc casu agendum est.

XIII. Cum itaque Casus hic sit singularis, & ab eo, de quo *Divi Fratres* in *l. 3. D. de transact.* rescripserunt, plane diversus, rationes, ad firmandum illud Rescriptum prolatas, hic cessare, non difficulter intelligitur.

XIV. Licet enim transactio inter alios facta, aliis non noceat, *l. 2. C. int. al. act. vel jud al. non noc.* & creditorum petitio pactis privatorum neque tolli, neque mutari possit; *l. 25. C. de pact.* non tamen illud hic obstat, quo minus a Scævola sic responderi potuerit. Non enim hic habent Creditores, quod querantur: cum incertum sit, quis proprie heres sit, uti in ipsa *l. 14.* aperte dicitur; iisque sufficiat, quod utrumque convenire possint. Ut adeo, transactionem inter Scriptum heredem & Legitimum initam, Creditoribus hic nocere, eorumve jus mutasse, dici nequeat.

XV. Certi etiam juris est, pactis non deferri hereditatem, *l. 15. l. 19. l. ult. C. de pact.* eumque, qui semel heres factus est, semper heredem manere; *l. 88. in f. D. de hered. inst.* nec

non, quod responsum est, quamdiu possit valere testamentum, tamdiu legitimum non admitti. *l.* 89. *D. de R. J.* Sed neque hæc Responso Scævolæ contraria sunt; cum enim hic non constet, uter prior, uter posterior adierit hereditatem, an quis ex testamento, an ab intestato heres sit? Sed controversia inter heredem Scriptum & Legitimum transactione decisa, adeoque de facto quæstio sit, prædicta jura huc non pertinere, manifestum est.


XVI. Illud majoris momenti videri posset, quod jus nostrum non patiatur, aliquem pro parte testatum, pro parte intestatum decedere: *l.* 7. *D. de R. J.* §. 5. *I. de hered. instit.* sed procedit id tantum initio inspecto; ex post facto enim contingere potest, ut testator pro parte testatus sit, pro parte vero intestatus, uti docet Papinian. in *l.* 15. §. 2. *D. de inoff. test.* dum ait: *Filius, qui* [*de*] *inofficiosi actione adversus duos heredes expertus, diversas sententias judicum tulit; & unum vicit, ab altero superatus est: & debitores convenire, & ipse à creditoribus conveniri pro parte potest, & corpora vindicare, & hereditatem dividere. Verum enim est familiæ erciscundæ judicium competere: quia credimus, eum legitimum heredem pro parte esse factum; & ideo pars hereditatis in testamento remansit. Nec absurdum videtur pro parte intestatum videri.* add. *l.* 19. *l.* 24. *D. eod.* Neque est, quod quis excipiat, id ipsum dd. ll. per sententiam, non etiam per transactionem fieri, cum hereditas ordinario non magis per sententiam, quam per pacta vel transactiones, acquiri possit. arg. §. *ult. I. per quas pers. cuiq. acq.*

XVII. Non obstat denique *l.* 2. *C. de hered. vel act. vend.* quæ de Emtore hereditatis loquitur, qui *Utilibus* actionibus invitus conveniri nequit.

XVIII. Plane si Creditorum intersit, utrum potius conveniant, & in se suscipere velint onus probandi, uter ex transigentibus verus heres sit, id ipsis minime negandum esset;

ſet; neque negaturus fuiſſet Scævola, ſi de eo caſu conſultus fuiſſet: quippe qui creditoribus non ſimpliciter neceſſitatem imponit, utrumque pro parte conveniendi, ſed eo caſu, de quo rogatus erat, utrumque pro parte *conveniendum eſſe*, vel conveniri poſſe, reſpondit. v. Connan. *Comm. Jur. Civ.* L. v. *c.* 6. nec non Clariſſ. J. Voet *Comm. ad adt. D. de transact. n.* 22. Quemadmodum *videbitur*, aliquando accipitur pro *videri poterit*, *nocet*, pro *nocere poterit*, *l.* 21. *pr. D. de ſtat. lib. pervenit*, pro *pervenire potuerit*, *l.* 55. *D. de A. R. D.* aliaque ſimilia alibi occurrunt. v. Celeberr. Noodt *L.* 11. *Prob. c.* 6. *n.* 3. & *de Form. em. dol. c.* 12.

XIX. Sed nec illud ſine ratione monet Celeber. Voet, *d. l.* id quod in *d. l.* 14. *D. de transact.* Creditoribus conceditur, ſecundum principia juris noviſſimi etiam ad Legatarios produci poſſe. Ex quo enim placuit Legata non tantum ab inteſtato quoque relinqui poſſe; ſed & teſtamento data, herede ſcripto hereditatem repudiante, ab heredibus legitimis præſtanda eſſe, *Nov.* 1. *c.* 1. 2. nulla ratio eſt, ob quam id Legatariis negari debeat.



DIS-

DISSERTATIO QUARTA.

Calliſtratus *Libro Primo Cognitionum.*

INterdum, ex juſtis cauſis, & certis perſonis, ſuſtinendæ ſunt cognitiones: veluti ſi inſtrumenta litis apud eos eſſe dicantur, qui Reip. cauſa aberunt. Idque DIVI FRATRES in hæc verba *reſcripſerunt: Humanum eſt propter fortuitos caſus dilationem accipi; veluti quod pater litigator filium vel filiam, vel uxor virum, vel filius parentem amiſit: & in ſimilibus cauſis, cognitionem ad aliquem modum ſuſtineri. l. 36. pr. D. de jud.*

I. *Uſus* dilationum *in Judiciis frequens.* II. *Dilationes tamen non facile concedendæ.* III. *Sed ob juſtas tantum cauſas ſeu caſus fortuitos, exigente humanitate ſeu æquitate.* IV. *Quinam ſint* caſus fortuiti? V. VI. *Exemplum* 1. *Si quis filium vel filiam, virum vel uxorem amiſerit, ob animi dolorem.* VII. VIII. *Quis modus, & quodnam tempus ſepeliendi, & lugendi, fuerit apud Romanos?* IX. *Alia jura ſingularia ratione funeris & luctus.* X. XI. XII. *Plura exempla juſtarum cauſarum.* XIII. XIV. *Exponitur* l. 2. §. 3. D. ſi quis caut. ſiſt. cauſ. fact. non obtemp. *&* L. XII. *Tabb. ibidem allegata.* XV. *Quis ſit* Dies diffiſus? XVI. XVII. *Quis* Morbus Sonticus? XVIII. *Iterum aliæ juſtæ cauſæ.* XIX. *Quid ſit* cognitionem ſuſtineri? XX. *Ad quas* cognitiones *hoc Reſcriptum pertineat?*

I. Vix ullum judicium, vix etiam ulla judicii pars eſt, qua non *Dilationum*, maxime probatoriarum, frequens uſus ſit, & Judex, inſtrumentorum vel perſonarum gratia, dilationem rerum neceſſitate dare non cogatur. *v. l. 1. C. de dilat.*

II.

II. Non equidem facile & fine causæ cognitione dilationes concedendæ sunt, *l.* 4. *C. de dilat.* & quantum fieri potest amputanda est dilationum materia, *l.* 2. *C. de temp. & repar. appell.* ne per earum impetrationem lites protrahantur. *l.* 1. *l.* 4. *C. de dilat.* Unde & per Imp. nostrum MARCUM constitutum, ut in pecuniariis causis dilatio ordinario plus semel tribui non possit; *l.* 7. *D. de fer. l.* 1. *C. de dilat.* in Capitalibus autem, Reo tres dilationes, Accusatori duæ dari possint. *l. ult. D. de fer.* Utilitatis tamen litigantium gratia, dilationes quandoque sæpius concedendæ sunt, si scil. urgentissima ratio & necessitas id exigat. *d. l.* 7. *D. de fer. l.* 1. *C. de dilat.*

III. Justas autem causas, ob quas dilatio concedenda sit, varias esse, addito exemplo, docent hoc *Rescripto* DIVI FRATRES, (quod, ut & alia, v. *l.* 3. §. 6. *D. de testib. Diss.* VIII. *l.* 5. §. 6. *D. de jur. imm. Diss.* XXIV. notavit *Callistratus*, qui claruit sub Severo *l.* 2. §. 6. *de jur. fisc.*) dum ajunt: *Humanum est, propter fortuitos casus dilationem accipi.* Quibus verbis, id ipsum naturali rationi & æquitati conveniens esse, significant. Sic ipsi DIVI FRATRES in *l.* 24. *D. ad municip.* Humanum est, *reliquorum usuras neque ab ipso, qui in administratione honoris reliquatus est, neque a fidejussore ejus, & multo minus a magistratibus, qui rationes acceperint, exigi. Diss.* XXII. §. 8. Nec non DIVUS MARCUS in *l.* 37. *D. de fideic. lib.* Æquius *videtur Trophimo ex causa fideicommissi præstari libertatem, quam sine conditione reddendarum rationum datam esse constat; neque* humanum fuerit, *ob rei pecuniariæ quæstionem libertati moram fieri. Sic* & Ulp. in *l.* 13. §. 1. *D. de don. int. vir. & ux. Cum igitur deportatione matrimonium minime dissolvatur, & nihil vitium mulieris incurrit*, humanum est, *donationem, quæ mortis causa ab initio facta est, tali exitio subsecuto confirmari, tanquam si mortuo marito rata habebatur.* nec non *l.* 22. §. 7. *D. sol. matr. Quid* tam humanum est, *quam ut fortuitis casibus mulieris maritum,*

H *vel*

vel uxorem viri participem esse? Sic denique Dioclet & Maximian. in *l.* 2. *C. de rescind. vend. Rem majoris pretii si tu vel pater tuus minoris distraxerit*, humanum est, *ut vel pretium te restituente emtoribus fundum venundatum recipias, auctoritate judicis intercedente, vel, si emtor elegerit, quod justo pretio deest, recipias.* add. *l.* 3. *D. de off. Prætor. l.* 84. *D. de hered. inst.* §. 14. *C. de rei uxor. action.* Quemadmodum & *Humanitas* & *Ratio humanitatis*, pro *Æquitate* & *Ratione æquitatis*, non uno loco ponitur. Cic. *L.* 11. *de offic. c.* 5. *Si quid importetur nobis incommodi, propulsemus ulciscamurque eos, qui nocere nobis conati sunt, tantaque pœna afficiamus, quantum* æquitas humanitasque *patitur.* Triphonin. in *l.* 12. §. 5. *D. de captiv. & postlim. rev.* Humanitatis rationi congruum est *eos Codicillos* (qui scil. tempore captivitatis scripti sunt) *ita suum effectum habere, quasi in medio nulla captivitas intercessisset.* Ulp. in *l.* 6 *D. de appell. Non tantum ei, qui ad supplicium ducitur provocare permittitur, verum alii quoque nomine ejus; Non tantum si ille mandaverit, verum quisquis alius provocare voluerit: Neque distinguitur, utrum necessarius ejus sit, credo enim* humanitatis ratione *omnem provocantem audiri debere.* add. Sen *Ep.*88. *l.*13.*D. de lib. & post. l.*86.*pr.D. de acq. her. l.*16.§ 1.*D. de compens. l.*47.§.1.*D. de fidej. l.* 1. §.27. *D. de quæst. l.* 1. *pr. D. quand. appell.* Quam humanitatis seu æquitatis rationem cum semper ante oculos haberet MARCUS IMP. ob eam in *l.* 31. *D. ad L. Corn de fals.* ab eodem laudatur *Callistrato*, dum ait: *Sed* DIVUS MARCUS, *cum* Fratre suo, pro sua humanitate *hanc rem temperavit.*

IV. Ajunt autem Impp. *Humanum* esse, *propter fortuitos casus, dilationem accipi. Casus*, ait Festus, *dicimus ea, quæ fortuito hominibus accidunt.* Unde & *fortuiti* dicuntur, ad differentiam *voluntariorum*, *l.* 4. *C. de instit. & subst.* eorumque qui *culpa* accidunt: *l.* 23 *D. de R. J.* ut adeo per *casus fortuitos* hoc loco intelligendum sit, *si quid inopinatum emergat,* uti

uti ait Ulp. in *l 7. D. de fer.* seu omne id, quod humano captu prævideri non poteſt, *l. 2. §. 7. D. de admin. rer. ad civ. pertin. l. 6. C. de pign. act.* vel cui prævifo non poteſt reſiſti. *l. 18. D. commod. l. 15. §. 2. D. locat. l. 1. §. 4. D. de O. & A. l. 4. C. de peric. tut. l. 23. D. de R. J. §. 2. I. quib. mod re contr. obl.* Qui, cum impoſſibilium nulla ſit obligatio, *l. 185. D. de R. J.* in nullo præſtantur negotio; *l. 23. D. de R. J. l. 6. C. de pign. act. l. 4. C. de peric. tut.* & ob id dilationibus etiam merito locum faciunt. *l. 7. D. de fer. l. 1. C. de dilat.*

V. *Veluti quod pater litigator filium vel filiam, vel uxor virum, vel filius parentem amiſit.* Ob animi ſcil. dolorem, & luctus impedimentum. Licet enim non pauci à luctu defunctorum abſtinendum cenſuerint, & exempla extiterint eorum, qui liberos juvenes ſine lacrymis extulerunt, quique in Senatum aut aliquod publicum officium à rogo redierunt, & ſtatim aliud egerunt. v. Senec. *Ep. 99.* Val. Max. *L. 11. c. 6. n. 7. 12.* P. Mel. *de Sit. Orb. L. 11. c. 2.* Plerorumque tamen animis inſitum, omnes bonos interitu ſuorum quam graviſſime mœrere oportere. vid. Cic. *L. 111. Tuſc. Quæſt. c. 26.* Ut & impium multis viſum ſit, amicos vita functos non lugere. Catull. *Argonaut. circ. fin.*

Sed poſtquam tellus ſcelere eſt imbuta nefando,
Juſtitiamque omnes cupida de mente fugarunt,
Perfudere manus fraterno ſanguine fratres,
Deſtitit extinctos natus lugere parentes,
Optavit genitor primævi funera nati.

Ipſe etiam Seneca agnoſcit naturale deſiderium ſuorum, & in amiſſione cariſſimorum neceſſarium morſum, & firmiſſimorum quoque animorum contractionem. *Conſolat. ad Marc. c. 7.* Quin & inhumanitatem, non virtutem, dicit, funera ſuorum, iisdem oculis, quibus ipſos videre, nec commoveri ad primam

 fa-

familiarium divisionem; neque sentire amisso amico dolorem. *Ep.* 99 Eoque pertinet illud Cic. *ad Brut. Ep.* 9. *Accepisti tu quidem dolorem (id enim amisisti, cui simile in terris nihil fuit) & est dolendum in tam gravi vulnere, ne id ipsum, carere omni sensu doloris, sit miserius, quam dolere.* Imo ne Sancti quidem à fletu & luctu mortuorum abstinuerunt, v. Genes. XXIII. *v.* 2. L. *v.* 1. *& seqq.* II. Sam. I. *v.* 17. *& seqq.* III. *v.* 31. 35. XVIII. *v. ult.* & ipse Servator luctum Marthæ & Mariæ, super Lazaro Fratre, non tantum non improbavit, sed & ipse commotus est & flevit. Joann. XI. *v.* 19. 33. 34.

VI. Legislatores sane Romani luctum non prohibuerunt, sed *certo modo* tantum, & *tempore* circumscripserunt.

VII. De modo sepeliendi, & lugendi, multa cauta sunt à Decemviris in LL. XII. Tabb. aliisque; nec non ab ipsis nostris Divis Fratribus, uti constat ex fragmentis LL. XII. Tabb. a J. Gothofr. in X. Tabulam collatis, Paulo I. *Sent. Tit. ult.* & Capitolin. *in Marco c.* 13. add. supr. *Differt.* I. §. 30.

VIII. Quantum ad tempus attinet, Numa Pompilius luctui, habita ætatum ac temporum ratione, modum præscripsit: nimirum pueros ac minores triennio non lugendos; majores natu non plures menses lugere iis quos vixissent annis permisit, usque ad denarium numerum. Neque amplius ulli ætati concessum. Itaque longissimum luctus tempus decimo mense fuit terminatum. Ac tamdiu etiam mulieres à morte maritorum viduæ permanebant. Quod si quæ intra decimum mensem iterum nupsisset, eam leges Numæ vaccam prægnantem immolare jubebant. Plutarch. *in Num* Sed successu temporis receptum videtur, ut Parentes, & filii majores sex annis, anno lugeri possent (i. e. deberent, v. Paul. *L.* IV. *Sent. Tit. ult.* §. *ult.*) minores mense, maritus decem mensibus, & cognati proximioris gradus octo; & si quis contra fecisset infamium numero haberetur: Paul. *L.* I. *Sent. Tit. ult.* §. 13.

quem,

quem, ut & alia quædam, quæ in aliis editionibus desiderantur, ex Libro vetustissimo Vesuntione ad se perlato, exhibet Cujac. *L.* XXI. *Obs.* 12. 13. Quod tamen postea iterum mutatum, ut scil. Parentes & liberi utriusque sexus, nec non & cæteri agnati vel cognati, secundum pietatis rationem, & animi sui patientiam, prout quisque voluerit, lugeri possint; qui autem eos non eluxit non notetur infamia. *l.* 23. *D. de his qui not. infam.* (quam à Triboniano interpolatam, & secundum posteriora tempora inflexam, non sine ratione suspicatur Cuj. *d. L.* XXI. *Obs.* 12. aliique, V. Clariss. Schulting. ad Paul. *d. l.*) Mariti vero ab uxoribus per integrum annum lugeantur; *l.* 2. *C. de sec. nupt.* & si contra factum sit, Viduæ intra annum luctus nubentes infamia notentur. *d. l.* 2. *l.* 1. *C. eod. l.* 1. *D. de his qui not. infam.* add. Cuj. *d. L.* XXI. *Obs.* 12. VI. *O.* 32. & *tr. de Div. Temp. c.* 13. Kirchman. *de Fun. Rom Lib.* IV. *c.* 10.

IX. Sed & alia jura singularia, ratione funeris & luctus, introducta sunt. Non tantum enim funus ducentem, justave mortuo facientem, vel qui cadaver prosequuntur, (quod & Rescripto *Divorum Fratrum* comprobatum esse, eodem *Lib.* 1. *Cognit.* notavit idem *Callistratus*) in jus vocare non licet; *l.* 2. *l.* 3. *D. de in jus vocand.* sed & novissime a Justiniano constitutum, ut heredes defuncti, intra nonum a morte ejus diem, nullo modo conveniri possint: *Nov.* 115. *c.* 5. §. 1. Ubi inquit Imp. ***Sancimus nulli penitus esse licentiam, aut heredes, aut parentes, aut liberos, aut conjugem, aut agnatos vel cognatos, aut alios affines ejus, aut fidejussores, ante novem dierum spatium, in quibus videntur lugere, conveniendi, aut quocunque modo inquietandi, aut aliquam admonitionem eis offerendi, aut in judicium eos vocandi, sive debiti gratia, quod à defuncto descendit, sive alterius cujuscunque causæ nomine ad memoratas personas specialiter pertinentis*** &c. add. Harmenop. *L.* v. *T.* 12. Quod ***Novendium*** Imp. retinuit ex ***Novendialibus*** anti-

quorum *feriis*, quibus defunctis parentari solebat, de quibus vid. Fest. in voc. *Novendiales Feriæ*. Augustin. in Genes. *c.pen.* Cuj. *tr. de Div. Temp. c.* 6. Kirchm. *de Fun. Rom. L.* IV. *c.* 6. Eandemque ob causam, DIVI FRATRES iis, qui liberos, parentes, vel conjuges amiserunt, dilationem quandam concedi voluerunt. Summa sane æquitatis ratione; cum utique valde inhumanum esset, si quis eo tempore, quo luctui indulget & funus curat, quo de aliis rebus vix serio cogitare licet, in judicio adesse, & causam agere vel defendere deberet.

X. *Et in similibus causis.* Veluti II. Si testes aliunde evocandi sint; arg. *l.* 3. §. *ult. D. de testib. l.* 21. *D. de usur.* vel instrumenta exhibenda, quæ apud alium sunt, vel longinque absunt; *l.* 7. *D. de fer. l.* 6. §. *pen. l.* 7. *pr. D. de edend.* maxime si apud eos esse dicantur, qui Reip. causa aberunt. *l.* 36. *pr. D. de jud.*

XI. III. Si quis Advocatum non habeat, vel Advocatus absit, ut ejus opera uti nequeat. arg. *l.* 15. §. *ult. l.* 23. §. *ult. D. ex quib. caus. maj.*

XII. IV. Si quis adversa valetudine laboret. *l.* 60. *D. de re jud.* Tum quia afflictis non est addenda afflictio; tum quia vehementior morbus plerumque etiam retundit aciem mentis, qua in judiciis maxime opus est. Quemadmodum & judicatum, in accusatione P. Scipionis Africani, a Tribunis Plebis, cum duo QQ. Petilii illi diem dixerunt, & pecuniæ captæ à Rege Antiocho reum accusarunt, teste Liv. *L.* XLVIII. *c.* 52.

XIII. Quod & nominatim caverunt Decemviri in LL. XII. Tabb. uti docet Ulp. in *l.* 2. §. 3. *D. si quis caut. in jud. sist. caus. fact. non obtemp.* dum ait: *Si quis judicio se sisti promiserit, & valetudine, vel tempestate, vel vi fluminis prohibitus se sistere non possit, exceptione adjuvatur, nec immerito; Cum enim in tali promissione præsentia opus sit, quemadmodum po-*

potuit se sistere, qui adversa valetudine impeditus est? *Et ideo* Lex duodecim Tabularum, *si Judex vel alteruter ex Litigatoribus morbo sontico impediatur, jubet* DIEM *judicii* ESSE DIFFISUM.

XIV. Idem docet Festus in voc. *Reus.* Sed Fragmentum istius Legis paulo aliter exhibet: *Numa*, inquit, *in secunda Tabula, secunda Lege, in qua scriptum est*, QUID HORUM FUIT UNUM JUDICI ARBITROVE REOVE, EO DIE DIFFENSUS ESTO. Unde de vera lectione utriusque loci, inter Interpretes non convenit. Sunt enim qui cum Bud. in *d. l.* 2. §. 3. *D. si quis caut. in jud. sist. c.* pro *diffisum* legendum censent *diffusum.* v. Pollet. *Hist. For. Rom. L.* IV. *c.* 15. Quemadmodum habetur apud Gell. *L.* XIV. *c.* 2. *Atque in rerum quidem* diffusionibus, *comperendinationibus, & aliis quibusdam legitimis in rebus, ex ipsa Lege Julia, & ex Sabini Masurii, & quorundam aliorum Jurisperitorum commentariis commoniti & adminiculati sumus.* Et paulo post: *Sed enim ego homines cum considerabam, alterum fidei, alterum probri plenum, spurcissimaeque vitae ac defamatissimae, nequaquam adduci potui ad absolvendum: Jussi igitur* diem diffundi &c. Alii vero cum Cuj. *L.* III. *Obs.* 40. apud Festum pro *diffensus* restituunt *diffisus*, uti habetur in *d. l.* 2. §. 3. *D. si quis caut. in jud. sist. c.* Sed neutro loco, quantum quidem ad hoc verbum attinet, emendatione opus est. Probabile est, verba L. XII. Tabb. ita concepta esse, IS DIES DIFFENSUS ESTO. Videntur enim Veteres promiscue dixisse *Diffinsum* & *Diffensum*, pro quo posteriores dixere *diffissum* & *diffisum.* v. Th. Marcil. *in Collect. Duod. Tab. c.* 4. Rittersh. *Dodecad.* seu *Comment. in LL.* XII. *Tab. Class.* III. *P.* III. *cap.* 4. Nam consuetum fuit veteribus literis *E* & *I.* uti indifferenter, uti docet Gell. *L.* X. *c.* 24. A. Popm. *de usu ant. loc. L.* I. *c.* I. & manifestum est ex Pandectis Florentinis, in quibus literarum *E* & I. frequentissima occurrit commutatio. v. Briss. *Parerg. Lib. sing.* add *l.* 43. §. 6. *D. de* *proc.*

proc. l. 23. *D. de jud. l.* 70. *D. eod. l.* 11. §. 1. *D. de pign. act. l.* 1. §. 2. *D. de in rem verſ. l.* 31. *D. ex quib. cauſ. maj. l.* 3. §. 11. *D. de neg. geſt. l.* 1. §. 4. *D. de calumn. l.* 3. §. 2. *D. naut. caup. ſtab. l.* 13. §. 4. *D. de uſufr.* ubi *voluptate* ſcriptum, pro *voluptati.* Et ſi ita legatur, omnis difficultas evaneſcit, neque *voluptarium*, vel *voluptare*, ibi reſtituere neceſſe eſt. Quemadmodum & *proprietate* in *l.* 4. *D. de uſufr. accr.* legitur pro *proprietati*, *actione* pro *actioni*, *l.* 1. *pr. D. de dot. præl. exceptione* pro *exceptioni*, *l.* 9. §. 2. *D. de lib. cauſ. genere* pro *generi*; *l.* 80. *D. de R. J.* & vice verſa (ut alia nunc tranſeamus) *actioni* pro *actione*, in *l.* 30. *D. de pec. conſt. l.* 3. §. 13. *D. ad exhib. inſtitutioni* pro *inſtitutione*, *l. ult. D. de her. inſt. pubertati* pro *pubertate: l.* 14. *D. de vulg. & pup. ſubſt.* quin & *poſſidet* pro *poſſedit* in *l.* 1. §. 45. *D. de vi & vi arm.* uti ibidem legendum monuit Baudius. v. Grot. *Flor. Sparſ. ad l.* 1. *D. d. t.*

XV. Eſt autem dies *diffiſus* idem qui *dilatus*, uti aperte docet Julianus in *l.* 60. *D. de re jud.* dum ait: *Morbus ſonticus etiam invitis litigatoribus ac Judice diem differt.* Dies enim *diffinditur* cum differtur, & dilatio diffindit ſive dividit unum diem judicialem ſeu utilem in duos. Quo ſenſu etiam hoc verbo uſus eſt Liv. *Lib.* IX. *c.* 38. dum ait: *Legem Curiatam de imperio ferenti triſte omen* diem diffidit. nec non Horat. *Lib.* II. *Serm. Sat.* I. *v.* 78. 79. dum canit:

—— —— *Niſi quid tu docte Trebati*
Diſſentis. Equidem nihil hic diffindere *poſſum.*

Ubi vetus Commentator; *ait Trebatius*, *infirmare*, *mutare*, differre. *Utitur Trebatius juris antiqui verbo*, *Prætor enim ſolebat dicere*, hic dies diffiſſus eſto. add. Lambin. Cruq. *ad d. l.* Th. Marcil. in *Coll. Duod. Tab. c.* 4. Rittersh. *Comment. in LL.* XII. *Tab. Claſſ.* III. *P.* III. *cap.* 4. Ut adeo ex his A. Gell. *d. L.* XIV. *c.* 2. omnino emendandus, & ibidem pro *diffuſionibus*, *diffi-*

diffisionibus, pro *diffundi* vero *diffindi*, restituendum sit. add. D. Goth. *ad d. l.* 2. §. 3. *D. si quis caut. in jud. sist. c. Fragm.* XII. *Tabb. ad t. de jud. c.* 5.

XVI. Non tamen quælibet adversa valetudo, vel vitium aliquod imbecillitatis, atque invalentiæ sufficit, sed requiritur, ut *morbus* sit *Sonticus*, id est, talis, qui cujusque rei agendæ impedimento est, uti ait Julianus in *l.* 60. *D. de re jud.* seu qui cuique rei nocet, uti inquit Javolenus in *l.* 113. *D. de V. S.* add. *l.* 4. §. 5. *l. ult.* §. 1. *D. de Ædilit. Edict.* Quemadmodum & *Morbum sonticum* exposuit Sextus Cæcilius morbum vehementiorem, vim graviter nocendi habentem, apud Gell. *Lib.* XX. *c.* 1. aliique. Fest. in voc. *Sonticum.* A qua sententia non longe abit Ælius Stilo, qui per *Morbum Sonticum* intelligit certum cum justa causa, teste Fest. *d. l.* *Sonticum Morbum* (inquit) *in* XII. *significare ait* Ælius Stilo *certum cum justa causa, quem nonnulli putant esse qui nocet*, quod sontes *significet nocentes.* Nævius ait, *sonticam esse oportet causam quamobrem perdas mulierem.* Quæ Ælii expositio in priorem fere incidit.

XVII. Sive autem morbus perpetuus sit, sive temporalis, nihil interest; quin enim, si quis v. c. febri laboret, & hic morbus sonticus sit, minime dubitandum est. Quid enim litiganti magis impedimento est, quam motus corporis contra naturam, quem febrem appellant? ait Julianus in *l.* 60. *D. de re jud.* add. *l.* 45. *D. de jud. d. l.* 2. §. 3. *D. si quis caut. in jud. sist. c.* Gell. *L.* XVI. *c.* 4. Nisi forte quis sanus alias ac robustus levissima febri correptus sit, aut tam veterem quartanam habeat, ut in ea omnibus negotiis superesse soleat. Quo casu morbum sonticum habere vix dici posset. *d. l.* 60. *D. de re jud. l.* 4. §. 5. 6. *D. de Ædil. Ed.*

XVIII. v. Si tempestas, vis hostium, aliave similis justa causa intercedat. *l.* 7. *D. de fer. d. l.* 2. §. 3. *D. si quis caut. in jud. sist. caus. fact. non obtemp. l.* 1. *l. pen. C. de dilat.* Ob quas & Va-

dimonium deferentes excusandi sunt. *d. l. 2. §. 3. D. si quis caut. in jud. sist. c.* Senec. *de Benef. L.* IV. *c.* 39.

XIX. *Cognitionem ad aliquem modum sustineri*, i. e. differri, suspendi. Sic Ulp. in *l. 5. §. 1. D. de pet. her. Divus Hadrianus Trebio Sergiano rescripsit, ut Ælius Asiaticus daret satis de hereditate, quæ ab eo petitur, & sic falsum dicat. Hoc ideo, quia* sustinetur hereditatis petitionis judicium, *donec falsi causa agatur;* ut & in *l. 7. pr. §. 1. D. eod. Si quis libertatem ex testamento sibi competisse dicat, non debebit Judex de libertate sententiam dicere, ne præjudicium de testamento cognituro faciat, & ita Senatus censuit; sed & Divus Trajanus rescripsit,* differendum *de libertate judicium, donec de inofficioso judicium aut inducatur, aut finem accipiat. Ita demum autem* sustinentur liberalia judicia, *si jam de inofficioso judicium contestatum est.* Sic & Paul. in *l. 24. §. ult. D. de lib. caus. Si is, qui in libertatem proclamat, furti aut damni injuria ab aliquo arguatur, Mela ait interim eum cavere debere, judicio se sisti; ne melioris conditionis sit, qui dubiæ libertatis est, quam qui certæ: sed* sustinendum judicium *ne præjudicium libertati fiat.* Nec non Pompon. in *l. 35. D. de jur. fisc. Apud Julianum scriptum est: si privatus ad se pertinere hereditatem Lucii Titii dicat, altero eandem hereditatem fisco vindicante; quæritur, utrum Jus Fisci ante excutiendum sit, &* sustinendæ actiones *cæterorum? An nihilominus inhibendæ petitiones creditorum singulorum, ne publicæ causæ præjudicetur: idque Senatusconsultis expressum est.* add. *l. 1. §. 3. D. si fam. furt. fec. dic. l. 6. §. 7. D. de injust. rupt. irr. testam.*

XX. Quod autem de *Cognitione* hic dicitur, non tantum ad *Extraordinarias cognitiones* (de quibus in primis egit Callistratus *Libris sex de cognit.* v. *l. 9. l. 19. D. de off. Præs.* quæque κατ' ἐξοχὴν aliquando *Cognitiones* dicuntur, v. Suet. *in Claud. c. 5. l. 2. C. de ped. jud.* Cl. Noodt *de Jurisd. L. 1. c. 7.* Dissert. *N.* IX. *de Caus. Obl. c. ult.*), sed ad omnia Judicia pertinet:

tinet: tum quia omnium judiciorum, quantum ad hanc caussam attinet, eadem est ratio; v. *l.* 32. *pr. D. ad L. Aquil.* tum quia mos dandorum Judicum Pedaneorum jure novo abrogatus est, *l.* 2. *C. de ped. jud.* & omnia judicia facta sunt extraordinaria. §. *ult. I. de interdict.*



DISSERTATIO QUINTA.

Ulpianus *Libro trigesimo primo ad Edictum.*

Si ignorantes fidejussores debitorem solvisse, vel etiam acceptilatione, sive pacto liberatum, ex substantia debitoris solverunt, non tenebuntur mandati. Quod & ad Actionem Fidejussoris pertinet; & hoc ex Rescripto DIVORUM FRATRUM intelligere licet. Hujus verba hæc sunt: *Catullo Juliano. Si hi, qui pro te fidejusserant, in majorem quantitatem damnati, quam debiti ratio exigebat, scientes & prudentes auxilium appellationis omiserint, potes mandati agentibus his æquitate judicis tueri te.* Igitur si ignoraverunt, excusata ignorantia est, si scierunr, incumbebat eis necessitas provocandi. Cæterum dolo versati sunt, si non provocaverunt. Quid tamen si paupertas eis non permisit? Excusata est eorum inopia: sed & si testato convenerunt debitorem, ut, si ipse putaret, appellaret, puto rationem eis constare. *l.* 8. §. 7. 8. *D. mand.*

I. *Fidejussores, quod pro reo principali solvunt, repetere posse.* II. *Sed varias esse exceptiones.* III. *Exc.* 1. *Si quis pro invito & prohibente fidejusserit.* IV. 2. *Si fidejussor donandi animo intercesserit.* V. 3. *Si pro pupillo vel minore sine tutoris vel curatoris auctoritate fidejusserit.* VI. 4. *Si quis fidejubeat pro adolescente luxurioso.* VII. 5. *Si quis fidejusserit mandante muliere intercedente.* VIII. 6. *Si quis ob fidejussionem mercedem pactus sit.* IX. 7. *Si fidejussor ita solverit, ut solutio debitori non prosit.* X. 8. *Si fidejussor de solutione a se facienda reum principalem non fecerit certiorem.* XI. 9. *Si fidejussor plus solverit, quam mandatum.* XII. 10. *Si fidejussor ex sua persona omiserit exceptionem,*

qua

qua reus uti non potuit. XIII. 11. *Si sciens eam omiserit, qua reus uti potuit.* XIV. 12. *Si fidejussores in majorem quantitatem damnati, quam debiti ratio exigebat, scientes Appellationis auxilium omiserint.* XV. XVI. XVII. *Ut tamen & illa varias limitationes recipiat.*

I. Cum, ex naturali æquitate, nemini officium suum, quod ejus, cum quo contraxit, non sui commodi causa, suscepit, damnosum esse debeat; *l. 61. §. 5. D. de furt. l. 7. D. testam. quemadm. aper. l. 27. §. 15. D. ad SCt. Treb. l. 140. D de R. J.* merito Fidejussores, si quid pro Reo principali solverint, vel per *Actionem Mandati Contrariam*, §. 6. *I. de fidejuss. l. 6. §. 2. l. 10. §. 11. l. 20 §. 1. l. 53. D. mand. l. 6. C. eod.* vel per *Actionem Negotiorum gestorum* repetere possunt. *d. l. 6. §. 2. l. 20. §. 1. D. mandat.*

II. Non desunt tamen Casus, quibus Fidejussores id, quod solverunt, ob aliam æquitatis rationem, repetere nequeunt.

III. Cessat enim Repetitio, 1. Si quis pro invito & prohibente fidejusserit; quo casu neque *Actio Mandati*, *l. 6. §. 2. l. 40. D. mand.* neque *Negotiorum gestorum*, neque *Directa*, neque *Utilis*, locum habet. *d. l. 40. D. mand.* De quo cum dubitaretur apud antiquos, & quidem magnos auctores, uti ait Imp. in *l. ult. C. de neg. gest.* ipse omnem dubitationem amputavit, & secundum Pomponium & Paulum, *d. l. 40.* nec non Julianum, *d. l. ult.* constituit, ut tali casu nequidem Actio Negotiorum gestorum, sive Directa sive Utilis, competat, licet res bene gesta sit; *d. l. ult. C. de neg. gest.* quæ una est ex L. Decisionibus Codici repetitæ prælectionis insertis. Neque sine ratione. Licet enim natura æquum sit, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem, *l. 14. D. de cond. indeb.* & malæ fidei possessor, qui sciens in rem alienam impendit, impensas non tantum necessarias, sed &

utiles, servare possit, *l. 36. §. ult. l. 38. D. de hered. pet. l. 5. C. de R. V.* id tamen merito hanc limitationem recipit, nisi quis prohibente & denunciante domino impensas fecerit, qui non tam alterius negotium gessisse, quam donandi animo intercessisse videtur. Quamvis moribus quorundam locorum contraria sententia recepta sit, quatenus scil. debitor principalis cum fidejussoris jactura fieret locupletior. vid. Groenew. *ad d. l. ult.* Cl. Voet. *comm. ad D. de neg. gest. n.* 11.

IV. II. Si aperte donandi animo intercesserit. *d. l. 6. §. 2. D. mand. l. 4. D. l. 12. C. de neg. gest. l. 32. D. de pact. l. 9. §. 3. D. ad SCt. Maced.*

V. III. Si quis pro pupillo vel minore, sine tutoris vel curatoris auctoritate promittente, fidejusserit. *l. 25. D. de fidej.* Qui enim accedit obligationi, quam novit Jure Civili non subsistere, similiter donare, & ex sua persona obligari voluisse videtur. *l. 13. pr. D. de minor. l. 2. C. de fidej. min.* v. Dissert. *N. 1. de Caus. Obl. C.* IV. §. 22.

VI. IV. Si Adolescens luxuriosus, qui luxu & lascivia diffluit, & in re familiari solutus est, uti ait Fest. in voc. *Luxa membra.* seu res contra morem & supra modum profundit. v. Non. Marcell. *c.* IV. *n.* 286. mandet tibi, ut pro meretrice fidejubeas, vel ei credas; quia simile est, quasi perdituro pecuniam sciens credideris, & adversus bonam fidem mandatum est. *l. 12. §. 11. D. mand.* Unde nec bonæ fidei emtor videtur, qui a luxurioso, & protinus scorto daturo pecuniam, servos emit, neque eos usucapere potest. *l. 8. D. pro emt.*

VII. V. Si quis mandante muliere intercedente fidejusserit. *l. 7. l. 32. §. 2. D. ad SCt. Vellej.* Quia Senatusconsultum Vellejanum mulieres pro aliis intercedere non patitur, *l. 1. pr. l. 2. §. 1. l. 32. §. 2. D. ad SCt. Vellej.* neque fidejussor facti proprii ignorantiam prætendere potest. *d. l. 7. D. eod.*

VIII. VI. Si quis mercedem pactus sit ob suam fidejussionem,

ſionem, & ex perſona alterius ex eventu litis caverit ſibi certam quantitatem dari: quem nullam actionem ob calliditatem ſuam habere iidem DIVI FRATRES reſcripſerunt, quia mercede pactus acceſſit ad redemtionem litis alienæ. *l.* 6. §. *ult. D. mand.* Quod Marcellus declarat ita demum procedere, ſi id actum ſit, ut, qui pecunia data ſpopondit, ſuo periculo ſponderet. *d. l.* 6. § *ult.*

IX. VII. Si fidejuſſor ita ſolverit, ut ſolutio debitori non proſit; veluti, ſi non ipſi creditori, ſed falſo procuratori ſolverit, quem creditoris procuratorem eſſe putabat. Quo caſu id, quod ſolutum eſt, non a debitore, ſed falſo procuratore repetendum eſt. *l.* 26. §. 5. *D. mand. l.* 14. *D de condict. cauſ. dat. cauſ. non ſec.*

X. VIII. Si fidejuſſor ſolvens, cum poſſet, non certioraverit reum, & ita in cauſa fuerit, ut & reus deinde ſolvat, quod ſolvere eum non oportebat; dolo enim proximum eſt, ſi poſt ſolutionem non nuntiaverit debitori. Cedere tamen reus indebiti actione fidejuſſori debet, ne duplum creditor conſequatur. *l.* 29. §. 3. *D. mand.*

XI. IX. Si fidejuſſor plus ſolverit quam mandatum eſt; §. 8. *I. de mand.* diligenter enim fines mandati cuſtodiendi ſunt: quia qui exceſſit aliud quid agere videtur. *l.* 5. *pr. D. mand d.* §. 8. *I. eod.*

XII. X. Si fidejuſſor ex ſua perſona omiſerit exceptionem, qua reus uti non potuit, ipſe autem honeſte uti poteſt, neque Debitori Principali de indemnitate cavere velit. vid. *l. pen. D. ad SCt Vellej. l.* 29. §. *ult. D. mand.* Cuj. XI. *Obſ.* 40. *in f.* Ampl. Hub. *Eun. ad l.* 10. §. 12. *D. mand. n.* 4. Si enim Exceptio, qua ſolus fidejuſſor uti poteſt, ſit minus honeſta; v. c. moratoria, aliud dicendum: *l.* 10. §. 12. *D. mand.* neque enim noxæ debet eſſe fidejuſſori, ſi pudori ſuo pepercerit. *l.* 48 *pr. in f. D. eod.* v. Cuj. A. Hub. *d. l. n.* 3.

XIII. XI. Si ſciens eam omiſerit, qua reus uti potuit.

Si

Si modo habeat facultatem rei conveniendi, desiderandique, ut ipse susciperet potius judicium, vel suo vel procuratorio nomine; *l.* 10. §. 12. *l.* 29. *pr. D. mand. l.* 10. *C. eod.* & exceptio talis sit, quæ non ad apices juris pertineat. Quædam enim etsi sciens omittat, fraude caret, ut puta si exceptionem Procuratoriam omisit, sive sciens sive ignarus; de bona fide enim in mandato agitur, cui non congruit de apicibus juris disputare, sed de hoc tantum, debitor fuerit, nec ne: *l.* 29. §. 4. *D. mand.* add. Wiss. Brunnem. *ad l.* 10. *C. mand.* si scil. Exceptio Procuratoria opponatur qualitati personæ, vel solennitati Mandati. Non enim id pertinet ad Exceptionem Procuratoriam, quæ ratione ipsius Mandati objicitur, quod scil. Procurator Mandatum non habeat; quippe quæ prorsus necessaria est, quia, si Procurator Mandatum non habet, quæcunque ab eo aguntur, nulla sunt. *l.* 24. *C. de proc.* Multoque minus ad omnes Exceptiones Dilatorias extendendum, quæ neque omnes apices Juris continent, neque, si vel maxime contineant, ob id in judiciis, etiam b. f. repelli possunt. v. *l.* 2. *pr. l.* 3. *pr. D.* §. 10. *I. de except.* Quod enim JCtus ait *de apicibus juris disputandum non esse*, non indistincte procedit, sed ad casum subjectum, quo fidejussor Exceptionem Procuratoriam omisit, similesque, restringendum est. v. Brunnem. A. Huber. *ad d. l.* 29. §. 4. *D. mand.*

XIV. XII. Ex Rescripto hoc nostro DIVORUM FRATRUM (quod, ut & alia, v. *l.* 1. *pr. D. de insp. vent. l.* 3. §. 4. *D. si cui plus quam per L. Falc. l.* 5. *pr. D. de coll. l.* 17. *pr. D. de jur. patr. l.* 27. *pr. D. de lib. caus. l.* 1. §. 27. *D. de quæst. l.* 1. §. 3. *D. de appell. l.* 1. *D. an per al. l.* 6. *pr. D. de mun. l.* 8. *D. de poll.* & ad *dd. ll.* Diss. *seqq.* exhibet Ulpianus qui Papiniani Assessor, ipsiusque Alexandri tutor & Prætorio Præfectus fuit, v. Lampr. *in Alex. c.* 26. *l.* 4. *C. loc. cond.* & inter Coryphæos Legum prudentum refertur a Modestino in *l.* 13. §. 2. *D. de excus.*) *si fidejussores, in majorem quantitatem damnati, quam* de-

debiti ratio exigebat, scientes & prudentes auxilium appellationis omiserint. l. 8. §. 8. *D. mand.* Quo casu si fidejussores contra debitorem mandati agant, debitor æquitate Judicis & exceptionis se tueri potest. *d. l.* 8. §. 8. *D. mand. l.* 10. *C. eod.* Ubi enim imperitia & injuria Judicis fidejussores condemnantur, (uti contingit, si in majorem quantitatem damnentur, quam debiti ratio exigit, seu Reus Principalis debet, quia Fidejussor in plus quam debet Reus Principalis non tenetur, v. §. 5. *I. de fidej.*) non debet injuria ipsis facta debitorem contingere; arg. *l.* 51. *pr. D. l.* 8. *l.* 15. *C. de evict.* & habent quod sibi imputent, imo contra bonam fidem agunt & dolo versantur, si scientes non provocaverint. *d. l.* 8. §. 8. *D. mand. l.* 10. *C. eod. l.* 31. §. 2. *in f. D. de neg. gest.*

XV. Non tamen id indistincte procedit, uti ad hoc *Rescriptum d. l.* 8. §. 8. monet Ulpianus. Loquuntur enim DIVI FRATRES de iis Fidejussoribus, *qui* damnati *scientes & prudentes auxilium appellationis omiserunt:* igitur si scierunt, incumbit eis necessitas provocandi; si ignoraverunt, excusata ignorantia est, *d. l.* 8. §. 8. *D. mand.* secundum regulam, quæ docet facti ignorantiam non nocere. *l.* 8. *l.* 9. *pr. D. de jur. & fact. ign. l.* 10. *C. eod.*

XVI. Accipiendum etiam id est de iis Fidejussoribus, qui appellationi faciendæ sufficiunt; si enim tenuioris sint conditionis, ut paupertas appellare non permittat, excusata erit inopia. *d. l.* 8. §. 8. *D. mandat.* Quæ & aliis excusationibus & privilegiis locum facit. v. §. 6. *I. de excus. tut. l.* 7. *l. ult. l.* 40. §. 1. *D. eod. l.* 6. §. 5. *ult. D. de offic. Præf. l. f.* §. *f. C. de mod. mulct. l.* 1. §. 12. *D. de collat. l.* 6. *D. si cui plus quam per Leg. Falcid.*

XVII. Temperatur denique id Rescriptum ab Ulp. ut aliud dicendum sit, si fidejussores testato convenerint debitorem, ut si ipse appellandum putet appellet, & debitor omissa appellatione sententiam in rem judicatam prolabi passus sit. *d. l.* 8. §. 8. *in f. D. mandat.* v. Brunnem. *ad l.* 10. *C. mand. n.* 3.

DISSERTATIO SEXTA.

Papirius Justus *Libro Primo Constitutionum.*

IMPERATORES ANTONINUS & VERUS AUGUSTI Sextio Vero in hæc verba rescripserunt: *Quibus mensuris, aut pretiis, negotiatores vina comparent, in contrahentium potestate esse: Neque enim quisquam cogitur vendere, si aut pretium, aut mensura, displiceat; Præsertim si nihil contra consuetudinem regionis fiat. l. 71. D. de contr. emt.*

I. *Cui debeamus hoc Rescriptum.* II. *Vina ad mensuras vendi solita.* III. *Mensurarum ponderumque usum antiquissimum esse.* IV. V. *Eaque publica auctoritate constituta & munita.* VI. *Species mensurarum rerum liquidarum.* VII. VIII. IX. X. Corbem *mensuræ genus fuisse*, *contra* Cuj. XI. *Quid sit* pretium? XII. *Quibus mensuris vel pretiis contrahentes emant, in contrahentium potestate esse.* XIII. XIV. XV. *Non tantum si secundum, sed & si contra consuetudinem regionis fiat.* XVI. *Dubia removentur.*

I. Rescriptum hoc DIVORUM FRATRUM, ut & complura alia, reliquum nobis fecit industria *Papirii Justi*, qui sub ipsis *Divis Fratribus*, ut & *Marco* solo floruit, eorumque Constitutiones collegit, & xx. Libris complexus est, uti ex Indice Pandectis Florentinis præmisso manifestum est. v. Cuj. *L.1. Obs. c.4.* Bertrand. *de Jurisperit. L.1. c.24.* Grot. de *Vit. JCtor. L.11. c.8. §.13.* Licet enim ibi, ut & in inscript. h. aliarumque legum *Constitutionum* tantum in genere fiat mentio, per eas tamen DIVORUM FRATRUM Constitutiones maxime intelligendas esse, ex ipsis legibus, quæ ex dictis *Libris Constitutionum* excerptæ sunt, facile intelligitur. vid. præ-

præter *h. l. n. l.* 14. *D. de S. P. U. l.* 17. *D. de S. P. R. l.* 30. *D. de reb. auct. jud. poss. l.* 4. *D. de curat. bon. dand. l.* 3. *D. ad L. Jul. de annon. l.* 18. *D. ad SCt. Turp. l.* 21. *D. de appell. l.* 37. *D. de pact. l.* 7. *D de publican. l.* 35. *D. de re jud. l.* 18. *D. ad municip. l.* 13. *D. de decur. l.* 9. *D. de adm. rer. ad civ. pert. l.* 13. *D. de pollic. l.* 60. *D. de pact.*

II. Ajunt autem Impp. *Quibus mensuris, aut pretiis, negotiatores vina comparent, in contrahentium potestate esse.* Scil. Vina, aliasque res liquidas, ad *mensuram* fere vendi, ut, quamdiu admensio nondum facta est, Emtio Venditio imperfecta sit, vulgo notum est. v. *l.* 35. §. 5. *D. de contr. emt. l.* 1. §. 1. *& seqq. D. l.* 2. *C. de peric. & comm. rei vend.*

III. Et quidem *Mensurarum* (quarum, ut & *Ponderum*, inventio apud Græcos ab Isidoro *L.* XVI. *c.* 24. Sidoni Argivo, a Plinio *L.* VII *c* 56. Phidoni Argivo, a Strabone *L.* V. Phædoni Elidensi, a Gellio Palamedi, v. Plin. *d. l.* a Diogene Laërtio *L.* IX. ex Aristoxeno Pythagoræ, apud Hebræos ab Isidoro *d. l.* Mosi, a Josepho vero *L.* I. *Antiq. Jud. c.* 3. Caino adscribitur) Usus antiquissimus, & inter homines, ad promovenda commercia, non tantum utilis, sed & necessarius est.

IV. Unde & apud plerosque Populos certæ mensuræ ac pondera publica auctoritate constituta sunt. Apud Hebræos sane Moses jussu Dei O. M. Legem promulgavit, ut mensuræ & pondera justa haberentur, neve in iis perversitatem exercerent. Lev. XIX. ℣. 35. 36. Deut. XXV. ℣. 13. *& seqq.* add. Prov. XX. ℣. 10. Apud Athenienses Mensuris atque Ponderibus præfecti sunt Μετρονόμοι, i. e. Magistratus XV. Virorum in Piræeo, IX. vero in Urbe. Suid. *in voc.* Μετρονόμοι. Apud Romanos vero Mensuræ ac Pondera publica, v. Fest. in *voc. Pondera Publica.* in Capitolio servabantur; ut ad eas tanquam Lydium lapidem privatorum mensuræ ac pondera exigerentur, uti testatur *Amphora*, seu *Quadrantal* in Capitolio positum, Jovique consecratum, secundum illud R. Fann. *de pond. & mens.*

Amphora sit cubus: quem ne violare liceret,
Sacravere Jovi Tarpejo in monte Quirites.

Nec non *Congius*, temporibus Vespasiani in Capitolio collocatus, ejusque inscriptio notabilis, hisce verbis concepta: IMP. CÆSARE. VESPAS. VI. T. CÆS. AUG. F. IIII. COS. MENSURÆ. EXACTÆ. IN CAPITOLIO. P. X. V. L. Pœt. *de Rom. Græc. Mens. L.* III. Gruter. *Inscr. p.* CCXXIII. *n.* 3. Eorumque, ut & fori, rerumque in foro venalium, curam agebant Ædiles; v. Cic. *L.* III. *de Leg. c.* 3. Plaut. *Rud. Act.* III. *Sc.* 3. ў. 43. 44. qui de iis jus dicebant, &, si quas falsas & iniquas mensuras inveniebant, eas frangebant. *l.* 13. §. 8. *D. loc. cond.* Juv. *Sat.* x. ў. 100. *& seqq.*

An Fidenarum, Gabiorumque esse potestas,
Et de mensura vis dicere, vasa minora
Frangere pannosus vacuis Ædilis Ulubris.

Nec non Perf. *Sat.* I. ў. 129. 130.

Sese aliquem credens, Italo quod honore supinus
Fregerit Heminas Areti Ædilis iniquas.

Et postmodum ex constitutione Honorii & Theodosii Defensores Civitatum. *l.* 9. *C. de def. civ.*

V. Cum vero ita Mensuræ ac Pondera non omnibus satis paterent, multique successu temporis ex libidine pondera ac mensuras sibi componerent, & Susceptores tributorum mensurarum ac ponderum normam excederent, Impp. Valentinianus, Theodosius & Arcadius, Modios æneos vel lapideos cum Sextariis atque ponderibus, per mansiones, singulasque Civitates jusserunt collocari, ut unusquisque tributarius, sub

ocu-

oculis constitutis rerum omnium modis, sciat, quid debeat Susceptoribus dare. *l.* 9. *C. de suscept.* add. Amm. Marcell. *L.* XXVII. Eosque secutus Imp. Justinianus novissime sanxit, ut, qui publica tributa exigunt, justis ponderibus & mensuris utantur, neque tributarios lædant: &, si collatores gravari sese putent, habeant licentiam specierum quidem mensuras & pondera a gloriosissimis Præfectis, aëris vero & argenti & reliquorum metallorum pondera a gloriosissimo per tempora Comite sacrarum largitionum accipere: utque hæ mensuræ & pondera in sanctissima cujusque Civitatis Ecclesia serventur, ut secundum ea, & gravamen collatorum, & fiscalium illatio, & militares & aliæ expensæ fiant. *Nov.* 128. *c.* 15.

VI. Sunt autem *Mensuræ* aliæ rerum *aridarum*, aliæ *liquidarum*: quarum, v. c. Vini, species maxime notabiles apud Romanos fuere I. *Culeus*; v. *l.* 17. §. 1. *D. de ann. leg.* i. e. uter seu saccus ex corio bubulo factus, v. Isid. *L.* v. *c.* 37. Theoph. *ad* §. 6. *I. de publ. jud.* quæ maxima erat mensura, Amphoras capiens XX. R. Fann. *d. l.*

Est & bis decies quam conficit Amphora nostris
Culeus: *Hac nulla est major mensura liquoris.*

add. Plin. *L.* XIV. *c.* 4.

II. *Amphora*; v. *l.* 3. *pr.* §. 1. *l.* 13. *D. de trit. vin. ol.* ab ansis, quas utraque parte habebat, sic dicta, ut & *Quadrantal*, eo quod ex pede Romano in quadrum facto constaret; quæ Urnas continet duas, Columell. *de R R. L.* XII. *c.* 20. Sextarios XLVIII. Fest. *in voc. Quadrantal.* & *Publica pondera.* Unde *Vinum Amphorarium* dictum est, *l. ult.* §. 2. *l.* 6. *D. de trit. vin. ol.* ad differentiam vini *dolearis*. *l.* 1. §. 4. *D. de peric. & comm. rei vend.*

III. *Urna*; *l.* 13. *pr. D. de instr. vel instrum. leg.* continens Amphoræ semissem, seu Amphoram dimidiam. v. Columell. *d. L.* XII. *c.* 20. R. Fann. *d. l.*

IV. *Congius;* (unde *Congiarium*, v. *d. l.* 13. *D. de instr. vel instrum. leg.*) i. e. Amphoræ pars octava, capiens Sextarios sex. Fest. *in voc. Publica pondera.* Unde cognomen *Tricongii* datum *Novellio Torquato Mediolanensi*, cum tres congios uno impetu, spectante miraculi gratia Tiberio Principe, epotasset. Plin. *L.* XIV. *c.* 22.

V. *Sextarius;* v. *d. l.* 13. i. e. Congii pars sexta. Fest. in *voc. Publica pondera.* Qui ad usum quotidianum fere emi solebat, uti docet Horat. 1. *Serm. Sat.* 1. dum ait, ℣. 73.

Nescis quid valeat nummus, quem præbeat usum?
Panis ematur, olus, vini Sextarius.

VI. *Hemina;* quæ Sextarii continet dimidium. Gell. *L.* III. *c.* 14.

VII. *Quartarius;* v. Liv. *L.* V. *c.* 42. seu Sextarii pars quarta. v. L. Poet. *de Rom. Græc. Mens. L.* III. Et (ut minores mensuras transeamus) quæ hoc sensu iis, qui de mensuris ac ponderibus scripserunt, vix nota est VII. *Corbis.*

VII. *Corbem* enim mensuræ genus esse, quo in vino metiendo usi fuere antiqui, aperte docet Ulp. in *l.* 1. §. *ult. D. de peric. & comm. rei vend.* dum ait: *Si doliare vinum emeris, nec de tradendo [eo] quicquam convenerit, id videri actum, ut ante evacuarentur, quam ad vindemiam opera eorum futura sit necessaria. Quod si non sint evacuata, faciendum, quod veteres putaverunt*, per corbem venditorem mensuram facere, *& effundere. Veteres enim hoc propter mensuram suaserunt*, si quanta mensura esset non appareat: videlicet ut appareat, quantum emtori perierit.

VIII. Negat sane Cuj. *L.* II. *Obs. c.* 36. *Corbem* Mensuræ genus esse, ejusque loci longe alium sensum esse contendit: scil. mensuram per corbem facere a veteribus dictum esse, ac si per cribrum dixissent, ut sic, quod ex dolio diffunditur, quasi

quasi in vas aliquod effluat statim & effundatur; vix enim esse ut *Corbis* liquorem contineat, cum fiat ex viminibus, Varr. 1. *de Re Rust.* c. 22. & proprie cogendis fructibus comparata sit. *l* 8. *D. de instr. vel instrum. leg.* Quin & D. Gothofr. ad *d. l.* 1. §. *ult.* eumque secutus Salmuth ad Pancirol. *L.* 1. *Rer. Memorabil. t.* 25. monent, Ulpianum eo loco jocose dicere, & molesto lectori facetias ac jocos reponere. Eo quod superiore paragrapho dixerit, laudandum esse venditorem si non effundat, cum possit effundere; deinde hortetur eum, ut dolia gratis concedat, aut si id nolit locet. Si ne ista quidem venditori sedeant, ut vinum vendat minimo adversarii detrimento. Quod si neque hoc placuerit, & ante vindemiam, quo tempore doliorum opera necessaria futura sit, nondum evacuata ea fuerint, integrum esse venditori, ex faceta & jocularia veterum sententia, *mensuram per corbem facere*, hoc est effundere.

IX. Sed neque probant Viri Cl. veterem illum per Corbem, id est cribrum, effundendi morem, neque jocose sed serio loquitur JCtus, neque verba *d.* §. *ult.* illam expositionem admittunt. Postquam enim Ulp. §. præcedenti 3. docuerat licere venditori vini, si diem ad metiendum præstituerit, ejusque intersit inania vasa esse, præmissa denunciatione, ut emtor aut tollat vinum, aut sciat futurum ut effunderetur, vinum effundere: porro *d.* §. 4. subjicit quid dicendum sit, si doleare vinum quis emerit, nec de tradendo [eo] quicquam convenerit? id scil. videri actum, ut ante evacuarentur vasa, quam ad vindemiam opera eorum futura esset necessaria; & si non sint evacuata, faciendum esse quod veteres putaverunt, ut scil. venditor *per corbem mensuram faciat*, & effundat, ut hoc pacto appareat, *quanta mensura sit, & quantum emtori perierit*. Quæ utique verba *Corbem* mensuræ genus fuisse aperte ostendunt: quandoquidem si per *Corbem* tanquam cribrum vinum effunderetur, de *Mensura*, & *quantum Emtori perierit*, neu-

ti-

tiquam constare posset.

X. Neque movent rationes, quibus in contrarium nituntur Diss. Licet enim *Corbis* ex viminibus fiat, & cogendis fructibus inserviat, non tamen ex eo inferri potest, ex viminibus maxime tenuioribus, arctissime conjunctis, & gypso similive materia vel corio obductis, corbes fieri non posse, quæ liquorem contineant; neque *Corbium* alium usum, quam ad fructus cogendos, fuisse. Nam uti *Viminum*, ita *Corbium*, plurimus & varius usus fuit. Ex viminibus enim non tantum *Corbes* factæ sunt, sed & *Crates*, v. Virg. I. *Georg.* ỳ. 25. quibus quandoque Castrorum loca consepta sunt; v. Liv. *L.* x. *c.* 38. Cæs. de *Bell. Gall. L.* v. *c.* 40. & *Clypei* pellibus inducti, v. Cæs. *de Bell. Gall. L.* II. *c.* 33. Flor. *L.* III. *c.* 20. Frontin. *L.* I. *c.* 7. *n.* 6. & *Naves* quoque corio obductæ, militibus rebusque militaribus transvehendis idoneæ. Lucan. *de Bell. Civ. L.* IV. ỳ. 131. *& seqq.*

Primum cana salix madefacto Vimine parvam
Texitur in puppim, cæsoque inducta juvenco,
Vectoris patiens, tumidum supernatat amnem.

Add. Cæs. *de Bell. Civ. L.* I. *c.* 54. Plin. *L.* IV. *c.* 16. *Corbes* vero non tantum *Messoriæ* fuere, v. Cic. *pro Sext. c.* 38. sed & *Pabulatoriæ*, Columel. *L.* VI. *c.* 3. & ad rem penuariam, *l.* 3. §. *ult. D. de pen. leg.* nummosque servandos adhibitæ. v. Plaut. *Menæch. Act.* I. *Sc.* 4. Ascon. Ped. *in Verr. p. m.* 50. Quin & ad metiendum *Labro culeari* usi fuere antiqui, uti docet Cat. *de R. R. c.* II. 154. & monuit Bud. *ad d. l.* I. §. *ult. D. de peric. & comm. rei vend. Urnasque* & *Amphoras* habuere *Sparteas*, uti ex eodem Catone de R. R. *d. c.* II. observavit Turneb. *Advers. L.* VII. *c.* 23. imo ipsa *Corbis* seu *Cophinus* & aridorum & liquidorum *Mensura* fuit *Bœotica*, congios capiens tres, uti memoriæ prodidit J. Poll. *Onom. L.* IV. *c.* 23. Ubi add. Jun-

Jungerm. Ut adeo nihil obstet, quo minus credamus, *Corbem* & apud Romanos mensuræ genus, & quidem ab aliis diversum (licet aliud velle videantur tum Bud. tum Turneb. *d. l.*) fuisse, quo in vino metiendo usi fuerunt Antiqui.

XI. *Pretium*, cujus simul mentionem faciunt Impp. nihil aliud est, quam id quo res quæ venditur æstimatur, *l. 1. pr. D. de contr. emt. l. 16. §. f. D. de pign. l. 21. C. de jur. dot.* in pecunia numerata (cujus usus quoque antiquissimus est, & Trojanis temporibus antiquior, cognitus jam temporibus Josephi, Genes. 42. *& seqq.* Jacobi, Gen. 33. ỷ. 14. imo & ipsius Abrahami, Gen 23. ỷ. 9. Act. 7. ỷ. 16) consistens. *l. 1. §. 1. D. de contr. emt. §. 2. I. l. 9. C. eod. l. 1. pr. D. de rer. perm.* Idque I. *Legitimum* est seu *Legale*, per Legem scil. constitutum: quale, *quantum possibile* est, maxime ratione annonæ, publice constitui Reipublicæ interest; v. *l. 1. §. 11. D. de off. Præf. Urb.* 11. *F.* 27. §. 4. omnium enim rerum pretia, propter locorum ac temporum aliarumque circumstantiarum diversitatem, Legibus definiri nequeunt. *l. 63. §. ult. D. ad L. Falcid. l. 3. D. de eo quod cert. loc.* II. *Commune* seu *Vulgare*, quod non ex affectu nec utilitate singulorum, sed communiter fungitur. *d. l. 63. pr. D. l. 33. D. ad L. Aquil.* III. *Voluntarium*, quod voluntate seu conventione partium constituitur. *h. n. l. 71.*

XII. Rescribunt autem Impp. *quibus mensuris aut pretiis negotiatores vina comparent, in contrahentium potestate esse:* addita ratione, quia nemo *cogitur vendere, si aut pretium aut mensura displiceat.* Est enim Emtio Venditio Contractus Consensualis, ad quem ordinario nemo cogi potest, *l. 11. C. de contr. emt.* ut ne quidem justo pretio quis vendere vel emere teneatur; *l. 9. D. de act. rer. am. l. 70. D. de R. V.* & contra in pretio *naturaliter*, i. e. *negotiative*, contrahentibus sese circumvenire liceat, *l. 16. §. 4. D. de min.* junct. *l. 22. §. ult. D. loc. cond. N. 97. c. 1.* ne libertas commerciorum restringatur vel impedia-

 tur.

tur. Dummodo neque Venditor neque Emtor lædatur ultra dimidium; quo casu ex Constitutione Diocletiani & Maximiani Emtio Venditio rescindi potest. *l.* 2. *C. de rescind. vend.*

XIII. Subjiciunt denique Impp. *Præsertim si nihil contra consuetudinem regionis fiat.* Tolerabilia enim sunt, quæ vetus consuetudo comprobat; *l.* 13. §. 1. *D. de pollicit.* ut & ea, quæ sunt moris & consuetudinis, in bonæ fidei judiciis venire debeant. *l.* 31. §. 20. *D. de Æd. Ed.*

XIV. Quid ergo dicendum, si quid contra consuetudinem regionis fiat? An illud nullum, neque in potestate contrahentium positum erit? Sic videri posset; quia Consuetudo Legem imitatur & pro Lege custoditur: §. 9. *I. de J. N. G. & C. l.* 32. *pr.* §. 1. *D. de LL.* Jus publicum autem pactis privatorum mutari nequit, *l.* 38. *D. de pact.* & a forma publica recedere non licet, *l.* 42. *D. de pact. l.* 11. *pr. D. de S. P. U. l.* 1. *C. de ædif. priv.* ut, quod contra Legem fit, ipso jure nullum sit. *l.* 5. *C. de LL.* Sed magis est ut subsistat. Dum enim dicunt Imperatores, *præsertim si nihil contra consuetudinem regionis fiat.* simul includunt casum, si quid contra consuetudinem regionis fiat; Tò *præsertim* enim idem significat quod *maxime*, quæ particulæ plerumque sunt inclusivæ, ut scil. exprimant casum minus dubitabilem, sed simul tamen comprehendant casum magis dubitabilem & contrarium. vid. *l.* 3. *pr. D. de lib. hom. exhib. l.* 130. *l.* 90. *l.* 96. *D. de R. J.*

XV. Contra consuetudinem enim regionis in hac causa pacta conventa fieri posse manifestum est ex loco Pauli in *l.* 18. §. 3. *D. de dol.* ubi, postquam præmisit de eo, qui sciens commodasset pondera, ut venditor emtori merces adpenderet, Trebatium de dolo dare actionem, ipse subjicit: *Atquin si majora pondera commodavit, id quod amplius mercis datum est, repeti condictione potest: si minora, ut reliqua merx detur, ex emto agi potest.* Nisi si ea conditione merx venit, ut illis ponderibus traderetur, *cum ille decipiendi causa affirmasset*,

ſet, *ſe æqua pondera habere.* Nec non ex Reſcripto Diocl. & Maximian. in *l.* 19. *C. de loc. cond.* quod ita habet: *Circa locationes atque conductiones maxime fides contractus ſervanda eſt, ſi nihil ſpecialiter exprimatur contra conſuetudinem regionis. Quod ſi alii remiſerint contra legem contractus*, atque regionis Conſuetudinem, *penſiones*, *hoc aliis præjudicium afferre non poteſt.* neque emendatione Cuj. *L.* XVI. *Obſ. c.* 24. indiget. v. Robert. *Anim. L.* 1. *c.* 14. Ut & ex *l.* 8. *C. eod.* ubi ita Imp. Alexander: *Licet certis annuis quantitatibus fundum conduxeris, ſi tamen expreſſum non eſt in locatione,* (ut mos regionis poſtulabat) ut, ſi quæ hic tempeſtatis vel alio cœli vitio damna accidiſſent, ad onus tuum pertinerent. *Et quæ evenerunt ſterilitates ubertate aliorum annorum repenſatæ non probabuntur: rationem tui juxta bonam fidem haberi recte poſtulabis: eamque formam, qui ex appellatione cognoſcet, ſequetur.* add. *l.* 72. *D. de contr. emt.* junct. *l.* 31. §. 20. *D. de Æd. Ed.*

XVI. Neque hiſce contrarium eſt, quod dictum, *Conſuetudinem* juris ſpeciem eſſe, & proinde contra eam nihil fieri poſſe; arg. *l.* 5. *C. de LL. Conſuetudo* enim non ſemper Jus non ſcriptum ſeu Moribus introductum, ſed & ſæpe aſſuefactionem, tum unius, v. *l.* 3. *C. de Ep. aud.* tum multorum, ſeu id, quod in regione aliqua fieri ſolet & frequentatur, ſignificat. *d. l.* 19. junct. *l.* 8. *C. de loc. cond. l.* 50. §. *ult. D. de leg.* 1. junct. *l.* 34. *D. de R. J. l.* 13. *D. de uſur.* Quo ſenſu quoque *Conſuetudo* in *h. n. l.* 71. accipienda videtur. Tum & Jus publicum quandoque pactis privatorum mutari poteſt, *l.* 31. *D. de pact.* ſi ſcil. pactiones non ad publicam læſionem, ſed rem familiarem, reſpiciant; *l.* 7. §. 14. *D. de pact.* neque indiſtincte quod contra leges fit nullum eſt, ſed imprimis, an Jus ſit prohibitivum, & quænam mens ſit Legiſlatoris, conſiderandum eſt. v. Vin. *L.* 1. *Q. c.* 1.

DISSERTATIO SEPTIMA.

Scævola *Libro Nono Digestorum.*

IMPERATORES ANTONINUS ET VERUS AUGUSTI Claudio Apollinari rescripserunt in hæc verba: *Probationes, quæ de filiis dantur, non sola adfirmatione testium consistunt; sed & Epistolas, quæ uxoribus missæ allegarentur, si de fide earum constitit, nonnullam vicem instrumentorum obtinere, decretum est. l. 29. pr. D. de prob.*

I. *Inter controversias, quæ de statu alicujus moventur, celebrem esse, qua quæritur, an quis filius sit, an non sit?* II. *Probationem, aliquem filium esse, ratione* matris *non esse difficilem.* III. *Sed ratione* patris *difficillimam.* IV. *Interesse tamen Reip. ne status liberorum etiam respectu patris incertus sit.* V. VI. VII. *Proinde varias species probationum admissas esse. Et quidem* 1. *Si quis ex uxore alicujus natus sit, & in quantum hoc procedat.* VIII. 2. *Si quis pro filio a patre habitus sit.* IX. 3. *Si quis communi viciniæ fama pro filio habitus sit.* X. 4. *Si quis os vultumque patris referat.* XI. 5. *Si quis* filius *ab aliquo in epistola ad uxorem missa, aliove instrumento, nominatus sit.* XII. *Ut tamen limitetur.* XIII. *Scrupulus removetur.* XIV. *An Professiones parentum probent?* XV. *Iniqua* Autumni *in* Scævolam *censura notatur.*

I. Inter Controversias, quæ de statu alicujus moventur, celebris est, qua quæritur, *An quis filius sit alicujus, an non sit?* quippe a cujus rei probatione & decisione causa alimentorum, successionis, aliaque similia pendent.

II. Est autem illa probatio, *aliquem* scil. *alicujus* filium *esse,*

esse, ratione *Matris* minime difficilis, quandoquidem Mater ex ipso partu cognoscitur, eamque filium vel filiam edidisse, per obstetrices, aliosque testes, qui tempore nativitatis adfuerunt, probari potest: v. *l.* 1. §. 13. *D. de insp. ventr.* ut recte moneat Paulus in *l.* 5. *D. de in jus voc.* *Matrem* semper certam esse, etiamsi vulgo conceperit.

III. Sed secus est ratione *Patris*, de quo non æque constat, ut nequidem ipse Pater, filium aliquem ex sese genitum esse, certus esse possit. Unde Telemachus apud Hom. *Odyss. L.* 1. ỷ. 215. 216.

Μήτηρ μέν τ' ἐμέ φησι τοῦ ἔμμεναι. αὐτὰρ ἔγωγε
Οὐκ οἶδ'. οὐ γάρ πω τις ἑὸν γόνον αὐτὸς ἀνέγνω.
Mater quidem me inquit ejus esse; cæterum ego
Nescio. Non enim ullo pacto aliquis semen ipse cognovit.

Ut & Menand. apud Stob. *Serm.* LXXIV. *p.* 449.

Ἔστιν δὲ μήτηρ φιλότεκνος μᾶλλον πατρὸς,
Ἡ μὲν γὰρ αὑτῆς οἶδεν υἱὸν, ὁ δ' οἴεται.
Mater magis amat liberos, quam pater;
Suum enim ipsa filium certo cognoscit, ille putat.

Nec non Ovid. *L.* II. *Amor. Eleg.* 13.

Sed tamen aut ex me conceperat, aut ego credo,
Est mihi pro facto sæpe quod esse potest.

Ut hæc probatio, cum nihil intercedat, quod cadit in sensus externos, respectu Patris perdifficilis & fere impossibilis sit; *l.* 83. *D. de cond. & dem.* ubi, si quis ab aliquo institutus sit sub conditione, *si sese filium testatoris esse probaverit*, Paulus JC. respondet, *filium, de quo quæritur, non sub ea conditione institutum*

tutum videri, quæ in potestate ejus est, & ideo testamentum nullius esse momenti. add. G. Forn. II. *Select. c.* 6. Nisi forte vis quædam propria insita esset patribus, uti de Psyllis tradit Plin. *L.* VII. *c.* 2. vel certa signa corporibus eorum impressa essent, quæ in liberos transirent, uti de Seleucidis refert Justin. *L.* XV. *c.* 4. eos anchoram in femore, veluti notam generis naturalem, habuisse; vel denique uxor cum marito carceri, arci, vel simili munito loco inclusa sit, circumque positæ custodiæ & vigiliæ, ne cui ad eam aditus pateat, eaque justo tempore, dum claustro illi inclusa est, partum enixa sit. Licet ne sic quidem res satis tuta sit, cum vix aliquis ab imbre aureo, quo Danaë concepisse fingitur, securus esse queat; de quo venuste Horat. *L.* III. *Carm. Od.* 16. ŷ. 1. *& seqq.*

Inclusam Danaën turris ahenea,
Robustæque fores, & vigilum canum
Tristes excubiæ, munierant satis
Nocturnis ab adulteris,
Si non Acrisium, Virginis abditæ
Custodem pavidum Jupiter, & Venus
Risissent: fore enim tutum iter & patens,
Converso in pretium Deo.

IV. Cum autem non tantum liberorum, sed & ipsorum Patrum, & Reip. intersit, ne ambigua ratione Patris soboles, statusque liberorum semper incertus sit, summa ratione placuit Legumlatoribus, ut loco probationum directarum, quæ hic haberi nequeunt, admittantur præsumtiones probabiles ac prægnantes, iisque stetur, donec contrarium probatum sit.

V. Quarum variæ sunt species: Et quidem *Prima* & potissima, *Si quis ex uxore alicujus, qui cum ea assidue moratus est,*

est, *natus sit. l.* 6. *D. de his*, *qui sui vel alien jur. sunt.* Sive nuptiales tabulæ factæ sint, sive factæ non sint, dummodo vicinis vel aliis scientibus uxorem, liberorum procreandorum causa, domi habuerit. *l.* 9. *l.* 13. *C. de nupt. d. l.* 6. *in f.* Pater enim est seu pro tali habetur, quem nuptiæ demonstrant: *l.* 5. *D. de in jus voc.* adeo ut, si quis neget ita natum filium suum esse, id non attendatur, *d. l.* 6. neque mater aliud asserens audiatur, etiamsi id jurato asseveret, *l.* 3. §. *pen. in f. D. de jurej.* vel apud acta professa sit; uti idem *Scævola* in eadem nostra *l.* 29. subjicit §. 1. & proinde hic locum habeat versiculus publice, ut Suidas ait, receptus, γυναικὶ μὴ πίστευε μηδ' ἂν ἀποθάνῃ. *Ne crede mulieri etiam moritura statim.* stultusque dicatur filius, qui ex matris testimonio regno renunciavit. Menoch. *Arb. Jud. Quæst. cas.* 89. *n.* 8. Brunn. *ad l. n.* 29. §. 1. Imo licet Mater de adulterio convicta sit; crimen enim adulterii, quod mulieri objicitur, infanti non præjudicat, cum possit & illa adultera esse, & infans eum patrem habuisse. *l.* 11. §. 9. *D. ad L. Jul. de adult.*

VI. Ut ei, qui se filium ejus esse affirmat, qui testamento id denegavit, & tamen eum exheredavit, de inofficioso testamento causa supersit, ex sententia Ulp. in *l.* 27. §. 1. *D. de inoff. testam.* Quemadmodum & suo tempore Augustus Imp. Tectium infantem, a Tectio patre exheredatum, in bona paterna, rescisso testamento, ire jussit, neque de statu filii post mortem patris quæri passus est, quem Petronia Matre, quam Tectius Pater, quoad vixit, in matrimonio habuerat, natum velut in proprio jure, & ab iis mutuo educatum, apparebat; Val. Max. *L.* VII. *c.* 7. *n.* 3. Ærod. *Rer. Jud. L.* III. *T.* 14. *c.* 3. Et A. Jacobus Coren Supremæ Batavorum Curiæ quondam Senator, cum uxor quædam 34. post nuptias septimana partum ederet, tempore partus autem asseveraret, se partum illum ex marito non concepisse, sed ex alio, cum quo tempore proclamationum rem ha-

habuerat, partum tanquam legitimum a marito suscipiendum esse, respondit. *Consil.* XII.

VII. Sed Maritus tamen a contraria probatione non excluditur, si scil. demonstrare possit, sese naturaliter patrem esse non posse. Veluti, si absuerit per decennium, & reversus anniculum invenerit in domo sua, vel ea valetudine, vel ætate sit, ut generare non possit. *d. l.* 6. *D. de his, qui sui vel alien. jur. sunt.* junct. *l.* 1. § 14. *D. de agn. & al. lib.* Licet in Anglia etiam Pater habeatur, qui per decennium absuit, si modo quatuor maria, quibus Britanni cinguntur, non transierit. v. Chamberlan. *in Noviss. Stat. Angl. p.* 1. *c.* 18. Ampl. Hub. *Eunom. ad d. l.* 6.

VIII. I I. Si quis ut filius a Patre habitus & educatus sit. *Nec enim facile credendum, subjectam eam, quam ambo parentes dicuntur caram filiam habuisse, rescripto* eorundem Divorum Fratrum, *ad* Lucium Tiberianum *emisso, declaratur. l.* 1. § 3. *D. de quæst.* add *c. Per tuas.* 10. *x. de prob.*

IX. III. Si quis communi viciniæ fama pro filio habitus sit. arg. *l.* 9 *C. de nupt. c. Illud quoque.* 10. *x. de præsumt.* Licet enim sit Fama

Tam ficti pravique tenax, quam nuncia veri,

uti ait Virg. *Æn. L.* IV. ẏ. 188. sæpe tamen circa res veras versatur, verumque dicere solet, v. Mart. *L.* VII. *Ep.* 8. & proinde in obscuris, ubi difficilis est probatio, & a conjecturis omnia pendent, uti hic, fama etiam præsumtioni locum facit, & attendenda est. *d. c.* 10. *x. de præsumt. l.* 6. *C. ne de stat. defunct. post quinquenn. quær.*

X. IV. Si quis os vultumque ejus referat, qui Pater esse dicitur. Similitudo enim magnam prægnantemque facit præsumtionem, uti contra Menoch. II. *Arb. Jud. Q.* 89. *n.* 97. *& seqq.* aliosque, non sine ratione statuunt P. Zach. *Q. Med.* *Leg.*

Leg. L. I. *T.* v. *Q.* 4. Coraſ. *Miſcell. L.* II. *c.* 22. Hahn. *ad Weſ. ad t. D. de agn. & al. lib. n.* 4. nam cauſam habet non imaginationem, ſed naturalem, vim ſcil. inſitam ſeminibus, ob quam ſimile ex ſimili naſcitur, Liberique plerumque ſimiles ſunt ſuis parentibus: v. Ariſt. *Pol. L.* II. *c.* 2. Gell. *L.* XII. *c.* I. ut vix aliud majus maternæ pudicitiæ ſignum & teſtimonium habitum ſit, quam oris ſimilitudo. Catull. *Carm.* 62.

Sit ſuo ſimilis Patri
Manlio, & facile inſciis
Noſcitetur ab omnibus,
Et pudicitiam ſuæ
Matris indicet ore.

Martial. *L.* VI. *Epigr.* 27.

Eſt tibi, quæ Patria ſignatur imagine vultus,
Teſtis maternæ, nata, pudicitiæ.

Horat. *Carm. L.* IV. *Od.* V. ℣. 20. *& ſeqq.*

Culpari metuit fides:
Nullis polluitur caſta domus ſtupris:
Mos & lex maculoſum domuit nefas:
Laudantur ſimili prole puerperæ.

Maxime, ſi & alia concurrant, v. c. ſimilitudo animi, morum, morborumque, quæ vix eſt, ut ab imaginatione matris derivari queat. Terent. *Heaut. Act.* V. *Sc.* III. ℣. 14. *& ſeqq.*

Sed, quod magis credendum ſiet,
Quod eſt conſimilis moribus,
Facile convinces ex te natum: nam tui ſimilis eſt probe:
Nam illi nihil vitii eſt relictum, quin ſit & idem tibi.

Licet imaginationem quandoque effectu non destitui, neque contraria deesse exempla, concedamus. v. Arist. *de Hist. Animal. L.* VII. *c.* 6: Plin. *L.* VII. *c.* II. 12.

XI. v. Si quis *filius* ab aliquo in *Epistola* ad uxorem missa, aliove instrumento, nominatus sit. *Probationes* enim, *quae de filiis dantur, non in sola adfirmatione testium consistunt*, quatenus scil. testimonia locum habent, *sed & Epistolae quae uxoribus missae allegantur, si de fide earum constitit, nonnullam vicem instrumentorum obtinere decretum est*, uti hoc nostro *Rescripto* tradunt, simulque statuunt Divi Fratres. Summa sane ratione. Qui enim talem mittit epistolam ad uxorem, *Titiumque* v. c. *filium* nominat, simul eum pro filio habet; neque ulla genuina magis comprobatio, quam ex familiari & Epistolico Conjugum (quibus optime de liberis suis constat) inter se communicatione, haberi potest. Unde & non tantum in hac, sed & aliis similibus caussis, veluti, cum de aetate liberorum quaeritur, professiones annotationesque non tantum Patris Matrisque, sed & Avi, recipiuntur. *l.* 13. *l.* 16. *D. de prob. l.* 1. *C. si min. maj. se dix.*

XII. Monent autem Impp. tales Epistolas, si de iis constet, *nonnullam* tantum *vicem instrumentorum obtinere*, ne quis de plena probatione id accipiat. Non enim Epistolis, vel nudis asseverationibus, vel professionibus, sed matrimonio legitimo concepti, vel adoptione solenni, filii patri constituuntur, *l.* 14. *l.* 13. *C. de prob.* neque professio, vel asseveratio nuncupantium filios, qui non sunt, veritati praejudicat, *l.* 5. *C. de testam.* add. *l.* 12. *D. de jur. patr. l.* 4. *C. de her. inst.* cum & blandiendi causa talia nomina nonnunquam extraneis tribuantur; v. *l.* 58. §. 1. *D. de her. inst.* sed praegnanti tantum praesumtioni locum facit, donec per contrariam probationem elidatur. *d. l.* 14. *d. l.* 13. *C de prob. l.* 1. §. 14. *D. de agn. & al. lib.* Ut emendatione Catharin. *Obs. ad l. h. n.* 29. qui suo periculo legendum monet, *si de fide earum constitit nonnihil, vicem instru-*

strumentorum obtinere, minime opus videatur.

XIII. Scriptura ſane ordinario probat contra ſcribentem, *l.* 11. *C. qui pot. in pign.* & quisque propriæ confeſſioni ſtare debet: *l.* 13. *C. de non num. pec. l.* 25. §. *ult. D. de prob.* ac proinde talis Epiſtola, utique contra maritum ſcribentem, plenam fidem facere videri poſſet. Sed illud indiſtinĉte non procedit, & in iis tantum rebus locum habet, quæ conſenſu & confeſſione noſtra perfici poſſunt: veluti, ſi quis ſeſe aliquid debere ſcripſerit, vel confeſſus ſit; non etiam in conſtituenda conſanguinitate, quæ ex generatione vel adoptione tantum oritur. *d. l.* 13. *d. l.* 14. *C. de prob.*

XIV. Illud majorem difficultatem continet, maxime ratione ejus, quod de *Profeſſione* parentum dictum, ne quidem eam ſcil. plenam fidem mereri, quod idem MARCUS noſter primus conſtituit, ut unusquisque Romæ apud Præfectos ærarii Saturni natos liberos profiteretur, intra diem trigeſimum, nomine impoſito; in Provinciis autem idem apud Tabularios publicos fieret, indeque, ſi cauſa liberalis dicenda eſſet, teſtationes ferrentur. v. Capitol. *in Marc. c.* 9. & *Gord. c.* 4. *l.* 2. §. 1. *D. de excuſ.* ſupr. Diſſert. 1. §. 30. Quemadmodum & ante MARCI tempora, clarorum Virorum ortus in acta publica relati ſunt: v. Suet. *in Tib. c.* 5. *Calig. c.* 8. Serv. *ad Virg. Georg. L.* II. ℣. 502. (quem cum Capit. *d. l.* committere neceſſe non videtur, licet de eo ambigat P. Burg. *Elect. c.* 6.) & hujusmodi profeſſionum ſpeciem quandam jam præmonſtravit Servius Tullius, dum in recens natorum capita aliquid Junonis Lucinæ Templo inferri, patresque in cenſu habendo, non facultates modo, ſed ſuum quoque & uxoris, & liberorum nomen, ætatemque profiteri, inſtituit. Dionyſ. Halic. *L.* IV. *c.* 19. Briſſ. *L.* 1. *Antiq. c.* 5. Cenſus autem & monumenta publica potiora teſtibus eſſe, Marcello auctore, Senatus cenſuit: *l.* 10. *D. de prob.* adeoque Tabulæ profeſſionum publicæ pleniſſime probant, ut ne quidem teſtibus in

M 2 con-

contrarium locus sit. Verum enim vero evanescit difficultas, si distinguatur inter professionum Tabulas, & ipsas Professiones, quæ Tabulis continentur. Tabulæ, in quas Professiones relatæ sunt, publica sunt monumenta; Professiones, quæ iis continentur, privatæ affirmationes. Quatenus Præfectus Ærarii vel Tabularii testantur *Titium* v. c. professum esse, eatenus affirmatio publica est; proficiscitur enim a persona publica & ab ipsis actis, de eo, quod viderunt, affirmantibus, quæ testibus infringi non potest: sed affirmatio ipsa Parentum, natum sibi esse filium filiamve, tota privata est, posita in testimonio privato parentum, quæ contrariis probationibus infirmari potest. v. Donell. *ad d. l.* 14. *C. de prob.*

XV. Ex dictis autem, ut opinor, manifeste apparet, iniquam prorsus censuram contra *Scævolam*, JCtum æquitatis studiosissimum, v. supr. Diss. III. *c.* 2. §. 8. instituisse Autumnum ad *h. n. l.* 29. quasi *Scævola* velit, professionem parentum contra filium admittendam, & credendum parentibus adversus suum sanguinem malignantibus, quo ita omnes familiæ subverterentur: cum hoc DIVORUM FRATRUM *Rescriptum d. l.* 29. *Digestorum* eum in finem notaverit, ut eo ipso probationes, quæ de filiis dantur, faciliores redderet, & §. 1. professionem Matris iratæ, quæ gravida repudiata, & absente Marito filium enixa, ut spurium in actis professa est, filio non obesse, sed veritati locum superfore, aperte subjecerit. v. Ampl. Hub. *Eunom. ad h. n. l.* 29. ubi & merito ipsum Autumnum vix ferendi erroris reum peragit, quod moneat *Legem nostram* 29. in Pandectis Florentinis signo parenthefeos inclusam, (quo passim in eo volumine signantur superflua) & proinde eliminandam esse. Quin & deceptum Alciat. qui secutus fidem quorundam αὐτόπτων eam suppleverit. *L.* 1. *Disp. c.* 6. Quandoquidem *d. l.* 29. tum in Pandectis Flor. tum aliis habetur codicibus, & in eundem sensum in Basilicis *L.* XXII. *T.* 1. *n.* 29. expressa; neque in Codice Flor.

Flor. signis est inclusa, sed lex *seq. pen. & ult. D. cod.* quæ in parenthesi sunt positæ, & in multis codicibus, & Basil. non reperiuntur. Uti ex Taurell. nec non Char. ad *d. l. pen* monuit Pacius; quemadmodum nec Alciat. *d. l.* restituit legem nostram 29. sed d. legem *pen.* quam membrum seu paragraphum facit legis *n.* 29. & *ult.* in eo tantum deceptus, quod *d. l. pen.* non tanquam membrum d. legis *n.* 29. sed ut lex separata habeatur in Codice Florentino.



DISSERTATIO OCTAVA.

Calliſtratus *Libro Quarto de Cognitionibus.*

Teſtes non temere evocandi ſunt per longum iter: & multo minus milites avocandi ſunt a ſignis, vel muneribus, perhibendi teſtimonii cauſa. Idque *Divus Hadrianus* reſcripſit. Sed & DIVI FRATRES reſcripſerunt: *Quod ad teſtes evocandos pertinet, diligentiæ judicantis eſt explorare, quæ conſuetudo in ea provincia, in quam judicat, fuerit. Nam ſi probabitur, ſæpe in aliam civitatem, teſtimonii gratia pleroſque evocatos: non eſſe dubitandum, quin evocandi ſint, quos neceſſarios in ipſa cognitione deprehenderit. l.* 3. §. 6. *D. de teſtib.*

I. *Ea, quæ ad adminiſtrationem Juſtitiæ pertinent, ac proinde etiam Probationes, adjuvari, Reip. intereſſe.* II. *Probationem fieri, tum per Tabulas, tum maxime per* Teſtes. III. IV. *An Teſtes inviti dicant teſtimonium?* V. VI. *Exponitur* Lex XII. Tabb. de teſtibus. VII. *Quid conſtitutum a* Juſtiniano? VIII. IX. *Eſſe tamen qui excipiuntur, & quidem* 1. *Qui Legibus prohibentur ad teſtimonium cogi,* ad l. 4. D. de teſt. X. *An etiam excuſentur ſenes, valetudinarii & milites,* ad l. 8. l. 19. D. de teſtib. XI. 2. *Excipi* Illuſtres, *&* qui ſupra illos ſunt, *& Quinam illi?* XII. 3. Μισῖτας, *& qui illi?* XIII. *Quomodo nolentes cogantur?* XIV. XV. XVI. *Quod ſi teſtes ſint abſentes, & in alieno territorio, an eos evocare liceat?*

I. Quemadmodum nihil eſt, quod ad conjungendos homines, tuendamque ac conſervandam Societatem Politicam magis valet, quam Juſtitia; v. Cic. de *Off. L.* I. *c.* 7. *L.* II. *c.* 12. *L.* III. *c.* 6. ut ſine ea, non ſolum nulla Reſp. nullusque ho-

hominum cœtus, vel domus, constare, Macrob *in Somn. Scip. L.* I. *c.* I. sed nec illi quidem, qui maleficio ac scelere pascuntur, vivere possint: Cic. *de Off. L.* II. *c.* II. sic omnia, quæ ad administrandam Justitiam faciunt, expedita esse, ac proinde probationem veritatis, ne quis ob ejus defectum jure suo & causa privetur, *c. f. x. de test. cog.* neve delicta impunita maneant, *l.* 51. §. 2. *D. ad L. Aquil.* quovis modo adjuvari, publice privatimque interest.

II. Fit autem Probatio, tum per Tabulas seu instrumenta, tum maxime per Testes; Quint. *L.* v. *c.* I. §. 7. Paul. *Sent. L.* v. *T.* v. §. 3. *l.* II. *l.* 15. *C. de fid. instr.* cum nulla firmior sit probatio, quam quæ hominum scientia nixa est, Quint. *d. L.* v. *c.* 7. in quorum duorum vel trium ore omne consistit verbum. Deut. XIX. ℣. 15. Matth. XVIII. ℣. 16. II. Cor. XIII. ℣. I. *l.* 12. *D. de testib.*

III. Ut summa ratione, jurique Divino convenienter, v. Lev. v. ℣. I. Divinus Plato, testes ad dicendum testimonium non tantum volentes adhiberi posse, sed & invitos ad id cogendos esse censeat. *Lib.* XI. *de Legib. circ. fin. Si quis* (inquit) *volens testimonium ferre nolit, is qui eo opus habet ipsum accersat. Ille vero vocatus ad judicium appareat. Et si quidem noverit, & voluerit testimonium ferre, ferat. Si vero nescire se dixerit, tres Deos, Jovem, & Apollinem, & Themidem, juret, revera se nescire, & sic de judicio discedat. Qui vero ad testimonium dandum vocatus non comparuerit, reus sit damni secundum Legem ei, qui ipsum vocavit.* Quemadmodum apud Athenienses in illos, qui ad testimonium dicendum in jus venire recusabant, mulcta mille Drachmarum constituta erat, uti ex Isæo tradit Suidas *in voc.* Κλητῆρες. add. J. Poll. Onom. *L.* VI. *c.* 6.

IV. Quantum ad Romanos attinet, Testes primis temporibus inviti testimonium dicere indistincte non tenebantur. Nam duo apud eos Testium erant genera: Unum *Voluntario-*

riorum, in caufis fcil. Civilibus; Alterum vero *Neceffariorum*, quibus fcil. Judex in publicis Judiciis teftimonium denunciabat: uti docet Quint. *L.* v. *c.* 7. add. *l.* 4. *l.* 24. *l.* 21. *D. de teftib.*

V. Neque aliud cautum invenitur a Decemviris, uti quibusdam vifum eft ob duo maxime *LL.* XII. *Tabb.* capita. Quorum alterum hifce verbis conceptum notavit Feft. in voc. *Portum*, & *Vagulatio.* CUI TESTIMONIUM DEFUERIT, IS TERTIS DIEBUS OB PORTUM OBVAGULATUM ITO. Sed quis ejus fenfus fit (quem fefe ignorare ingenue fatetur Balduin. *ad LL.* XII *Tab. c.* 49.) ipfe docet Feftus in dicta voce *Vagulatio.* dum ait, Vagulatio *in Lege Duodecim Tabularum fignificat quæftionem cum convicio.* Ex qua Fefti interpretatione apparet, illud voluiffe Decemviros, ut fi cui teftimonium defuerit (pro quo male quidam cum Salm. *Obf. ad Jus Att. p.* 817. legunt *defugerit*) ut non poffit intentionem fuam teftibus probare, *is tertiis diebus*, i. e. trinundino, *ob portum*, i. e. domum adverfarii, penes quem rem fuam effe contendit, Feft. in d. voc. *Portum. obvagulatum ire* poffit, i. e. rem fuam cum convicio repetitum. Quod Plautus vocat *pipulo aliquem differre ante ædes.* Aul. *Act.* III. *Sc.* III. ỳ. 31. 32. dum ait:

Ita me bene amet Laverna, te jam, nifi reddi
Mihi vafa jubes, pipulo hic differam ante ædes.

Pipulum enim convicium eft, a pipatu pullorum declinatum, uti docet Varr. *de L. L. Lib.* VI. §. 5. ac proinde *pipulo differre*, conviciari ac diffamare. v. Ræv. *ad LL.* XII. *Tab. c.* XI. Rittersh. *ad dd. LL. Claff.* III. *p.* III. *c.* 6.

VI. Alterum vero ex Codice, qui fuit in Bibliotheca Johannis Biturigum Ducis, reftitutum, ita habet: QUI SE SIRIT TESTARIER, LIBRIPENSVE FUERIT, NI TESTIMONIUM

NIUM

NIUM FARIATUR, IMPROBUS INTESTABILISQUE ESTO. v. Gell. *L.* XV. *c.* 13. Eodemque modo legitur in Codice MS. qui extat in Bibliotheca publica Illustris Frisiorum Academiæ, quæ est Franequeræ. Quod ita acceptum est, quasi illi, qui denunciati testimonium detrectant, improbi intestabilesque esse hoc capite jubeantur; cum tamen ejus longe alius sensus sit, & ad eum tantum pertineat, *qui se sirit* seu *sierit*, i. e. siverit, v. Plaut. *Epid. Act.* III. *Sc.* III. ℣. 19. *Bachid. Act.* III. *Sc.* II. ℣. 18. *& Sc.* III. ℣. 62. *Trin. Act.* II. *Sc.* IV. ℣. 120. *Mercat. Act.* III. *Sc.* IV. ℣. 28. add. Cuj. *L.* IX. *Obs. c.* 10. *testarier*, i. e. in testem adhiberi (verbum enim *testari* ex eorum numero est, quæ *communia dici solent*, v. Gell. *d. l.* infr. Diss. x. §. 8.) *Libripensve fuerit*, sive in Testamento, quod per æs & libram fiebat, v. §. 1. *I. de testam. ord.* sive alio negotio, quo emancipatio nexusve fiebat, v. Ulp. *Tit.* XIX. §. 3. Caj. *L.* I. *Inst. T.* VIII. §. 3. Theoph. ad § 6. *I. quib. mod. patr. pot. solv.* nec testimonium *fariatur*, i. e. testimonium de eo, cui tanquam testis interfuit, dicere, detrectet. Recte enim in dd. Cod. MSS. legitur *fariatur*, neque pro eo vel cum Cuj. ad §. 6. *I. de testam. ord.* reponendum *feriatur*, vel cum Hotm. *Ant. L.* III. *p.* 442. *fateatur*, vel cum Salm. *Obs. ad Jus Att. p.* 816. *fari iatur*. Nam veteres *fariari* dixerunt pro *fari*, quemadmodum *aggrediri* pro *aggredi*, Plaut. *Mostell. Act.* V. *Sc.* I. ℣. 16. *moriri* pro *mori*, v. Plaut. v. *Asin. Act.* I. *Sc.* I. ℣. 108. Ovid. *Metam. L.* XIV. *Fab.* V. ℣. 215. Ter. *Eun. Act.* III. *Sc.* I. ℣. 42. & similia. Eumque horum verborum sensum esse, aperte docet Theoph. *ad* §. 6. *I. de testam. ord.* dum ait, *improbum intestabilemque* esse, qui, cum quidam testamentum ordinaret, rogatus se testem adhiberi passus est, sed mortuo testatore noluit adesse, & testimonium perhibere, agnita subscriptione sua signoque. Quia talem Leges odio prosequuntur, neque ex alieno testamento quicquam capere sinunt, neque jus testandi concedunt, ne-

N que

que in alieno teſtamento teſtem eſſe permittunt. Licet id ad teſtem teſtamentarium (quod nec dicit Theoph. uti eum velle putat Ræv. *ad LL.* XII. *Tabb. d. c* X.) minime reſtringendum, ſed ad alios ſimiles, uti jam monitum, referendum ſit. Ut adeo in hoc capite (quemadmodum & multis aliis, v. Grot. *de Jur. Bell. ac Pac. L.* I. *c.* II. §. 5. *n.* 10. *c.* III. §. 2. *n.* 2. *L.* III. *c.* IX. §. 10. *n.* 2. 3.) Decemviri ſecuti ſint Legem Atticam Solonis, qua Actio dabatur in eum, qui in teſtimonium adhibitus, poſtea teſtimonium dicere abnuiſſet; quæ Græcis δίκη λειπομαρτυρίας dicebatur, i. e. *Actio deſerti* ſeu *declinati teſtimonii*, v. J. Poll. *L.* VIII. *c.* 6. ad differentiam ψευδομαρτυρίας, i. e. *Actionis falſi teſtimonii*, cujus crebra fit mentio apud Demoſthenem aliosque. v. Ræv. *ad LL.* XII. *Tabb. c.* X. J. Gothofr. *ad dd. LL. Tabb.* VII. *c.* IV. *L.* 6. Rittershuſ. ad *dd. LL. Claſſ.* III. *p.* I. *c.* 19.

VII. Sed primus Juſtinianus Imp. Conſtitutionem promulgavit, qua juſſit, ut unusquisque, non ſolum in judiciis Criminalibus, ſed etiam in Pecuniariis, de his, quæ novit, teſtimonium perhibere cogatur. Cujus ſumma (ipſa enim non extat) habetur in Baſil. *L.* XXI. *T.* I. *c.* 39. indeque tranſlata eſt in *t. C. de teſtib.* ſub *l.* 16. Licet enim Commentatores Græci ad *L.* XXVIII. *Baſ. T.* IV. *p.* 280. Conſtitutionem illam *Zenonis* vocent, recte tamen eam Juſtiniano vindicat Vir Summus Cujacius, *L.* VIII. *Obſ. c.* 13. & *L.* XIII. *Obſ. c.* 39. quandoquidem ipſe Imp. Juſtinianus dictam Conſtitutionem ſuam agnoſcit, ad eamque ſeſe refert in *l.* 19. *C. de teſtib.* dum ait: *Si quando invitos teſtes in pecuniariis cauſis* ex noſtra Lege *aliquis trahere maluerit.* add. *l.* 18. *C. de fid. inſtr. N.* 90. *c.* 5.

VIII. Sunt tamen, qui dicta Conſtitutione excipiuntur: Et quidem I. *Qui Legibus prohibentur ad teſtimonium cogi.* Qui vero ſint iſti, docet Paulus JC. in *l.* 4. *D. de teſtib.* dum ait: *Lege Julia Publicorum judiciorum* cavetur, *ne invito de-*

nun-

nuncietur, ut testimonium dicat adversus socerum, generum, vitricum, privignum, sobrinum, sobrinam, sobrino natum, eosve, qui priore gradu sunt. Item, *ne liberto ipsius, liberorum ejus, parentium viri, uxoris.* Item, *patroni, patronæ: & ut ne patroni patronæ adversus libertos; neque liberti adversus patronum cogantur testimonium dicere.* add. *l.* 6. *l.* 12. *C. de testib.*

IX. Quæ Exceptio non tantum locum habet in caufis Criminalibus, ad quas eam restringunt Græci, Bas. *L* XXI. *T.* 1. sed etiam in Civilibus. Licet enim *Lege Julia Publicorum Judiciorum* id cautum sit, non tamen a ratione alienum est, id ipsum ad causas quoque Civiles extendere; quemadmodum prohibitiones ex *L. Julia de Vi*, de quibus *l.* 3. §. 5. *D. de testib.* ibidem generaliter accipiuntur. Tum & Imp. *d. l.* 16. jubet, ut in *utrisque* causis, tum Civilibus, tum Criminalibus, testes cogi possint, ut Exceptio, quæ subjicitur, ad utrasque etiam causas pertineat. Quinimo ipse Imp. in *d. l.* 16. id satis aperte declarat, dum inquit: *Exceptis personis, quæ Legibus prohibentur ad testimonium cogi,* quæ utique nullæ sunt aliæ, quam quæ in *d.* Legis Juliæ Publicorum Judiciorum capite enumerantur. Et ita in Senatu Parisiensi judicatum refert A. Robert. 11. *Rer. Jud. c. ult. in marg.*

X. Non desunt sane, qui Exceptis personis annumerant Senes, Valetudinarios, Milites, aliosque ex justa causa absentes. Idque aperte docere videtur Scævola in *l.* 8. *D. de testib.* dum ait: *Inviti testimonium dicere non coguntur senes, valetudinarii, vel milites, vel qui cum magistratu Reip. causa absunt, vel quibus venire non licet. l.* 9. *D. de testib.* Nec non Ulp. in *l.* 19. *pr. D. eod.* dum inquit: *Inviti testimonium non dicunt Publicani; item is, qui non detrectandi testimonii causa aberit; item is, qui quid exercitui præbendum conduxerit.* Verum enim vero, dum Scævola & Ulp. tradunt, eos *invitos testimonium non dicere*, non hoc volunt, eos *nullo modo* cogi testimonium dicere, sed *invitos non cogi dicere testimo-*

nium in judicio. Nulla enim ratio eſt, ob quam illi, quorum in *d. l.* 8. & 19. fit mentio, a teſtimonio dando in totum excuſati eſſent; ſed ratio, ob quam inviti teſtimonium non dicunt, in eo conſiſtit, *quia venire non poſſunt*, uti ex ipſa *l.* 8. manifeſtum eſt, in verb. *vel quibus venire non licet*, nec non ex eo, quod de militibus in *h. n. l.* 3. §. *ult.* monet Calliſtratus: *milites* ſcil. *avocandos non eſſe a ſignis*, ſcil. militaribus (de quibus v. Plin. *L.* x. *c.* 4. Roſin *Ant. R. L.* x. *c.* 5. M. Aug. Cauſ. de la Chauſ. *de Sign. mil.*) quibus adhærere, neque ab iis diſcedere debent, *l.* 31. *C. de loc. cond. l.* 45. *D. ex quib. cauſ. maj. vel muneribus*, ſeu *numeris*, uti habetur in *d. l.* 31. & legiſſe videntur Græci Baſil. *L.* xxi. *T.* i. *l.* i. §. 5. dum vertunt, ἀπὸ τῆς ἰδίας τάξεων ἢ ἀριθμῶν, & non improbabiliter in *l. n.* 3. §. 6. legendum cenſet Catharin. *Obſ. ad d.* § 6. Subveniendum itaque iis, quatenus juſta excuſatione utuntur, mittendique aliqui ex judicio ad domum eorum, vel ubi morantur, ut coram jusjurandum præſtent & deponant. arg. *l.* 15. *D. de jurej.* Quod & conceſſum eſt Egregiis, *d. l.* 15. v. c. Epiſcopis, *N.* 134. *c.* 7. & Mulieribus. *N.* 124. *c.* 1. cum olim ad tempora usque Urgulaniæ, quæ prima aliud obtinuit, fœminas, ipſas etiam Virgines Veſtales, in foro & judicio audiri, quoties teſtimonium dicerent, mos fuiſſet. v. Tacit. *Ann. L.* 11. *c.* 34.

XI. 11. Excipiuntur *Illuſtres*, & *qui ſupra illos ſunt*, *niſi ſacra forma* ſeu Divina juſſio *interveniat*. Sunt autem *Illuſtres* primi ordinis Senatores; Iſid. *L.* ix. *c.* 4. quales ſunt Præfecti Prætorio, Præfecti Urbi, Quæſtores, Magiſtri Officiorum, Comites Largitionum, Comites rerum privatarum, Comites domeſticorum Equitum & Peditum. *l.* 32. *pr. C. de appell. l.* 2. *C. de temp. appell. l.* 6. *C. ubi cauſ. fiſc. l. un. C. ne rei mil. comit. l.* 11. *C. de adſeſſ. l.* 1. *C. de adv. diverſ. judicior. l. ult. C. de ſuſcept.* Not. Dign. *Imp. Ord.* & ibid. Pancir. *c.* 2. Nec non qui ex Officiis ſunt Protoſpatharii. v. Græc. *ad L.*

XXVIII.

XXVIII. *Baſ. T.* IV. *p.* 280. *Super illuſtres* vero, qui ſuper Illuſtres ſunt, §. 10. *I. de injur.* ſeu eos præcedunt, *l.* 26. §. 1. *C. de uſur.* & majore dignitate decorantur; *l.* 38. *C. de appell.* quales erant Patricii & Conſules. v. *l.* 1. *l.* 3. *C. de Conſ.* §. 4. *I. quib. mod. patr. pot. ſolv.*

XII. III. Denique μεσίται, niſi utraque pars conſentiat. *N.* 90. *c.* 8. Quinam vero fuerint illi, non ſatis conſtat. Quidam enim per eos proxenetas ſeu conciliatores contractuum intelligunt; nonnulli ſequeſtres rei litigioſæ, apud quos res litigioſa deponitur; alii vero ſequeſtres pacis, ſeu arbitros honorarios, quorum ſententia probabilis eſt. Cuj. ad *N.* 90.

XIII. Reliqui itaque non excepti, ac proinde quoque Magiſtratus, *l.* 21. §. 1. *D. de teſtib.* etiam inviti teſtimonium dare, ejusque dicendi cauſa in judicium venire coguntur. *d. l.* 16. *C. l.* 19 *C. de teſtib. Nov.* 90. *c.* 8. Ut nolentes etiam trahi, *d. l.* 19. vel mulctæ dictione, pignorumque capione, aliisve modis, quibus contumaces in ordinem rediguntur, coërceri poſſint; v. *l.* 1. §. 3. *D. de ventr. inſp. l.* 3. §. 9. *D. de tab. exh. l. un pr. D. ſi quis jus dic. non obtemp.* Moribus Arreſto, civili detentione ſeu cuſtodia, nec non æſtimatione pecuniaria. v. Cl. Voet. *ad t. D. de teſtib. n.* 13.

XIV. Sed quid ſi teſtes abſentes ſint, & in alio territorio habitent? An ex aliena quoque Jurisdictione evocari poſſunt? Et quidem non temere eos evocandos per longum iter, & ratio vult, & D. Hadrianus reſcripſit, *B. n. l.* 3. §. *ult. D. de teſtib.* cum plerumque id valde ſit oneroſum, & vix quis ſine captione a rebus ſuis avocari poſſit. *l.* 7. *D. teſtam. quemadm. aper.* Sed ſi juſta cauſa aliud exigat, DIVI FRATRES in hoc noſtro Reſcripto conſuetudinem Provinciæ, in qua judicatur, in primis attendendam ſtatuunt: *Quod ad teſtes evocandos pertinet* (inquiunt) *diligentiæ judicantis eſt examinare, quæ conſuetudo in ea provincia, in quam judicat (Accuſa-*


tivo posito pro *Ablativo*, uti & sæpe alibi. v. *l.* 121. *D. de leg.* 1. *l.* 13. *in f. D. de man. test. l.* 1. §. 1. *D. de Carb. Ed. l.* 1. §. 2. *D. quis ord. in bon. poss. l.* 14. *D. de fideic. lib. l.* 32. §. 5. *D. de don. int. vir. & ux. l.* 8. *pr. D. de nov.*) *fuerit. Nam si probabitur, sæpe in aliam Civitatem testimonii gratia plerosque evocatos, non esse dubitandum, quin evocandi sint, quos necessarios in ipsa cognitione deprehenderit.* Tolerabilia enim sunt, quæ vetus consuetudo comprobat, *l.* 13. §. 1. *D. de pollic.* servarique solent, quæ in eodem genere frequenter facta sunt. *l.* 3. *C. de ædif. priv.* Per *Consuetudinem* enim hic, uti & alibi, non jus moribus totius populi introductum, seu non scriptum, sed id quod in regione aliqua frequentatur, intelligendum est. v. *l.* 19. *C. de loc. cond.* junct. *l.* 8. *C. eod. l.* 32. §. 6. *D. de adm. tut. l.* 50. §. *ult. D. de leg.* 1. junct. *l.* 34. *D. de R. J. l.* 13. *D. de usur.* supr. Differt. VI. §. 17.

XV. Quod si vero talis non extet consuetudo, & *causa* sit *pecuniaria*, ut perfecta per omnia sit probationum omnibus facultas, Imp. ulterius constituit, ut Judex causæ, interposita interlocutoria, Litigatores eorumve Procuratores mittat in illam Provinciam, vel locum, ubi testes degunt, ut apud Præsidem ejus Provinciæ, vel Defensores Civitatis, testes interrogentur & examinentur, iisque examinatis gesta seu Acta publica, in quæ testimonia relata sunt, ad Judicem causæ remittantur. *d. l.* 16. *C. de testib. l.* 18. *& Auth. seq. C. de fid. instr. Nov.* 90. *c.* 5. Ipsum enim judicium per hoc alio non transfertur, sed ibi sententia definitiva danda, ubi lis contestata est. *d. N.* 90. *c.* 5. secundum *l.* 30. *& l.* 34. §. 1. *D. de jud.*

XVI. Sed si causa criminalis sit, jus antiquum, quo *testimonia in judiciis publicis non absentes nec per tabellas dare, sed coram & præsentes dicere cogebantur*, Quint. *Dial. de Orat. c.* 36. servari, testesque omnibus modis apud Judices præsentari jubet. *d. N.* 90. *c.* 5. Tum quia in iis de magnis

est

eſt periculum, ut ipſis teſtibus potius quam eorum teſtimoniis credendum ſit; *l.* 3. §. 3. *D. de teſtib.* tum quia tormentis quandoque locus eſt. *d. N.* 90. *c.* 5. *inf.* Licet enim extra territorium jus dicenti impune non pareatur, *l. f. D. de jurisd.* & par in parem non habeat imperium, *l.* 4. *D. de rec. l.* 13. §. 4. *D. ad SCt. Treb.* hoc tamen caſu aliud dicendum eſt, quandoquidem Imp. hic parendi neceſſitatem impoſuit. *d. N.* 90. *c.* 5. add. *N.* 134. *c.* 5. *Auth. Si vero. C. ad L. Jul. de adult.*



DIS-

DISSERTATIO NONA.

Marcianus *Libro secundo Institutionum.*

IN *Libro secundo de Adulteriis Papiniani* Marcianus notat: Divus Marcus & Lucius Imperatores *Flaviæ Tertullæ* per *Mensorem libertum* ita rescripserunt. *Movemur & temporis diuturnitate, quo ignara juris in matrimonio Avunculi tui fuisti, & quod ab Avia tua collocata es, & numero liberorum vestrorum; idcirco* [*que*] *cum hæc omnia in unum concurrant, confirmamus statum liberorum vestrorum in eo matrimonio quæsitorum, quod ante annos quadraginta contractum est, perinde ac si legitime concepti fuissent. l.* 57. §. 1. *D. de R. N.*

Papinianus *Libro tricgensimo sexto Quæstionum.*

Iidem Pollioni in hæc verba rescripserunt. *Incestæ nuptiæ confirmari non solent: & ideo abstinenti tali matrimonio pœnam præteriti delicti, si nondum reus postulatus est, remittimus. l.* 38. §. 6. *D. ad L. Jul. de adult.*

I. *Jus legitimandi liberos illegitimos soli competere Principi, seu summam potestatem in Rep. habentibus.* II. *Ejus rei exemplum esse in d. l.* 57. § 1. III. *Quinam sint* Divus Marcus & Lucius Impp. IV. *Ea, quæ in libellis supplicibus proponebantur, & ad rem faciebant, in Rescriptis ab Impp. repeti solita.* V. *An licitum sit matrimonium cum Fratris vel Sororis filia? Et quænam* 'Αδελφιδῆς? VI. *Non semel in eo erratum fuisse.* VII. *Rationes, quibus* Divi Fratres *moti statum liberorum confirmarunt, varias fuisse.* VIII. *Quodnam tempus* diuturnum *sit &* longum? IX. *An diuturnitas temporis justa causa sit remittendæ vel mitigandæ pœnæ?* X. *Mu-*

X. *Mulieribus ob juris ignorantiam subveniri.* XI. *Nepotes Neptesque sæpe apud Avias educatos esse.* XII. *Numeri liberorum in delictis rationem haberi.* XIII. *Quæ non prosunt singula, sæpe multa juvare.* XIV. Divorum Fratrum *humanitatem etiam moribus probatam esse.* XV. *An per hoc Rescriptum ipsum matrimonium cum avunculo confirmatum sit?* ad l. 38. §. 6. D. ad L. Jul. de adult. XVI. *An id* Dispensationem contineat? *an* Legitimationem? XVII. *Non semper id, quod Lege prohibente factum est, nullum esse.*

I. Inter partes Potestatis Eminentis seu Summi Imperii, quæ aliis Jura Majestatis, nec non Regalia, dicuntur, v. *L.* 11. *F. T.* 56. merito quoque refertur Legum condendarum, gratiæque faciendæ potestas; ac proinde etiam Jus Legitimandi, seu jura Legitimorum liberis illegitime natis tribuendi facultas. v. *N.* 89. *c.* 9. §. 1. Cum enim soli Principi seu Summæ Potestati Leges subjectæ sint, *N.* 105. *c.* 2. §. *ult. in f.* Jus quoque contra eas restituendi ac subveniendi, ei soli, non etiam Prætori, aliisve Magistratibus, competit. v. *l.* 2. §. 10. *D. de postul. l.* 27. *pr. D. de pœn.*

II. Cujus rei insigne prorsus exemplum notavit *Marcianus* JC. in *L.* 11. *Papin. de Adult.* qui floruit sub Antoninis & Alexandro Severo (cui quoque a consiliis fuit), v. §. 2. *I. de his qui sui vel al. jur. sunt. l. ult.* §. 11. *D. de publican.* Lampr. *in Alex. c. ult.* & inter alia *Institutionum Libros* XVI. v. *Ind. Pand. Flor. præmiss. inscr. l.* 19. *D. de R. N.* §. 1. *I. ad L. Aquil.* nec non *Notas* (uti & Paulus & Ulpianus) ad Papinianum, Librosque ejus *de Adulteriis*, composuit. *h. n. l.* 57. §. 1. *D. l.* 7. *D. ad L. Jul. de adult. l.* 1. §. 6. *C. de vet. jur. enucl.*

III. Ait autem *Marcianus* JC. Divus Marcus & Lucius Imperatores Flaviæ Tertullæ *per* Mensorem libertum *rescripserunt. Divum Marcum & Lucium Imperatores*

 cos-

eosdem esse, qui alibi *Divi Fratres*, & quandoque *Divus Marcus* & *Lucius Verus* vocantur, v. *l.* 11. §. 23. *D. de leg.* 3. monitum jam supra Dissert. I. §. 13. Illud notabile est, quod *Divi Fratres* hic per *Mensorem libertum* rescripserint, cum cæteroquin Impp. ad eam rem opera maxime Magistrorum Libellorum uti solerent, uti similiter ostensum Dissert. II. *C.* II. §. 6.

IV. Ipsius vero Rescripti pars prior ita concepta est: *Movemur & temporis diuturnitate, quo ignara juris in matrimonio Avunculi tui fuisti, & quod ab Avia tua collocata es, & numero liberorum vestrorum.* Scil. præmittunt Impp. rationes, libello supplice haud dubie propositas, quibus inducti fuerint, ut Flaviæ Tertullæ ejusque liberis succurrerent; ne, cum Juris religiosissimi essent, uti de *Marco Imp.* dicitur in *l.* 67. §. *f. D. de leg.* 2. *l.* 5. *C. de repud.* temere contra instituta & jura Romanorum aliquid admittere viderentur. Quemadmodum & alibi, tum a *Divis Fratribus*, v. *l.* 3. §. 4. *D. si cui plus quam per Leg. Falcid. l.* 1. §. 3. *D. de appell. l.* 2. *C. de proc. l.* 2. *C. de alend. lib.* tum aliis Imperatoribus, quæ alicujus momenti videntur, in Rescriptis ex libellis supplicantium repetuntur, v. *l.* 19. §. 9. *D. loc. cond. l.* 6. *l.* 17. *C. de transact. l.* 4. *C. de cont. emt. l.* 4. *C. de rer. perm. l.* 3. *C. de her. inst. l.* 4. *C. de imp. & al. subst. l.* 6. *C. de ing. man. l.* 1. *C. de interd. l.* 22. *C. de don.* Brisson de *Form. L.* III. *p.* 193. *& seqq.* & verbum *movendi* eodem hoc sensu sæpissime positum reperitur. v. *l.* 54. *D. ad SCt. Treb. l.* 38. *D. de min. l.* 74. § 1. *D. ad SCt. Treb. l.* 5. §. 2. *D. de his qui effud. l.* 2. *D. und. cogn. l.* 3. §. 7. *D. de cond. caus. dat. caus. non sec. l.* 7. §. 8. *D. de dol. l..* §. 4. *D. de min.*

V. Matrimonia enim *cum Fratris* vel *Sororis filia*, apud Romanos ad Claudii usque tempora, licet Lege nulla essent prohibita, v. Tacit. *Ann. L.* XII. *c.* 6. incesta tamen sunt habita, teste Suet. *in Claud. c.* 26. eoque pertinet illud Catulli ad Aufilenam *Carm. sc.* 112.

An-

Aufilena, viro contentus vivere solo
Nuptarum laus est e laudibus eximiis.
Sed quoivis quamvis potius succumbere fas est,
Quam Matrem fratres efficere ex patruo.

Quia liberi ex tali conjunctione suscepti suæ matri & filii, & fratres patrueles, efficiuntur. Sed primus Claudius Imp. ut Agrippinam, Germanici fratris sui filiam, ducere posset, Senatusconsultum fieri curavit, *quo justa inter Patruos fratrumque filias nuptiæ, etiam in posterum, statutæ sunt.* Tacit. *d. L.* XII. *Ann. c.* 7. Suet. *d. c.* 26. add. Ulp. *Fragm. T.* V. §. 6. Coll. LL. Mos. & Rom. *T.* VI. §. 2 4. Quod cum successu temporis a quibusdam ad *Sororum* etiam *filias* extenderetur, Imp. Nerva constitutionem promulgavit, qua prohibuit Ἀδελφιδῆν γαμεῖν, i. e. *Sororis filiam* ducere uxorem. Dion Cass. *L.* LXXXVIII. & ex eo Xiphilin: *in Nerv.* Licet enim ἀδελφιδῆς sæpe ita ponatur, ut significet *fratris filiam*, de eaque dictam constitutionem Nervæ accipiant Grot. *not. ad L.* II. *de Jur. B. ac P. c.* V. §. 14. *n.* 1. Pith. *ad Coll. Leg. Mos. & Rom. T.* VI. §. 2. aliique, magis tamen est, ut per eam apud Dion. Cass. & Xiphil. *d. l. Sororis filia* intelligenda sit. Verbum enim ἀδελφιδῆς non tantum *fratris*, sed & *sororis filiam* denotat; J. Poll. *Onom. L.* III. *c.* 2. quemadmodum & ipse Dion Cass. *L.* LIII. *p.* 496. Marcellam, quæ Sororis Augusti erat filia, ipsius vocat ἀδελφιδῆν, & Procopius *Arc. Hist. p.* 29. *l.* 19. Justinianum dicit Justini ἀδελφιδῆν, qui Justini ex sorore nepos erat. v. Alem. *ad Proc. d. l.* & *p.* 27. *l.* 6. Ipse quoque Marcus noster filiam suam Lucillam fratri suo adoptivo despondit, v. Capit. *in Marco, c.* 7. quod minime probabile est eum facturum fuisse, si Nerva talia matrimonia lege lata prohibuisset. Accedit, quod adulterium cum *Sororis filia* committi notet Papinianus, *l.* 11. §. 1 *D. ad L. Jul. de adult.* ex tertio

 tio

tio gradu uxorem ducere licere, *sed tantum Fratris filiam, non etiam Sororis*, & *Sororis proneptem* matrimonio jungi non posse, Ulpianus, Coll. Leg. Mos. & Rom. *T.* VI. §. 2. *l.* 56. *D. de R. N.* & Paulus; *l.* 39. *D. eod.* matrimonium inter *Avunculum* & Sororis filiam non subsistere, Marcianus, *h. n. l.* 57. §. 1. nec non Papinianus; *l. ult. pr. D. de condict. sin. caus.* & denique matrimonium non licere contrahere cum *Sororis filia & ex ea nepte*, statuant Diocletianus & Maximianus. Coll. Leg. Mos. & Rom. *T.* VI. §. 4. Ex quibus sequi videtur, Matrimonium cum *Fratris filia* post Imp. Nervam multo tempore adhuc licitum, sed cum *Sororis filia & nepte* prohibitum fuisse. Donec primum per Constantinum & Constantem, (lex enim 17. *C. de nupt.* interpolata est) *l.* 1. *C. Theod. de incest. nupt.* v. Cuj. *L* VIII *Obs. c.* 28. Pith. ad *Coll. Leg. Mos. & Rom. d. l.* Hotm de *Rit. Nupt. c.* 5. & deinceps iterum per Zenonem in *l. ult. C de incest. nupt.* (quæ vulgo male *Anastasio* adscribitur, Cuj. *d. l.*) sub pœna capitis interdictum est. v. Cuj. *L.* XIII. *Obs. c.* 16. Hotm. *d. l.* add VV. CC. Noodt II. *O.* 5. Schult. ad Ulp. *T.* V. §. 6. Aleand. ad *Gaj. I. L.* I. *T.* IV. §. 3. Oisel. *ibid.*

VI. Non tamen omnibus illa distinctio æque fuit cognita, maxime fœminis, quibus jus civile ignorare permittitur. *l.* 9. *pr. D. de jur. & fact. ign.* Sane non semel in eo istis temporibus erratum fuisse, tum ex *h n. l.* 57. §. 1. tum ex *l. ult. D. de cond. sin. caus.* manifestum est.

VII. Rationes autem, quibus sese motos dicunt DIVI FRATRES, proponuntur quatuor: I. *Temporis diuturnitas.* II. *Juris ignorantia.* III. *Quod* Flavia Tertulla *ab Avia collocata erat. &* IV. *Numerus liberorum.*

VIII. Quantum ad I. *Temporis* scil. *diuturnitatem* attinet, tempus *diuturnum* & *longum* in genere fere promiscue accipi, vulgo notum est. v. *l.* 33. *D. de LL.* junct. *t. C. quæ sit long. consuet. l. ult. C. si maj. fact. alien. fact. sin. decr. rat. hab.* In specie vero acceptum nonnunquam *quinquennium* significat; *d. l.*

l. ult. l. I. § 13. *D. de separ.* sæpius spatium x. vel xx. annorum; v. *l.* 2. *l.* 7. *C. de præscr. long. temp. l.* 16. §. 3. *D. qui & a quib. man.* infr. Diss. xv. §. 18 sed quandoque etiam xxx. v. *l. un. C. Theod. de act. cert. temp. fin.* imo & xl. annorum. v. *l.* 2. *C. de præscr.* 30. *vel* 40. *ann.* Quo sensu & hic poni, ex ipsius Rescripti nostri verbis finalibus, *quod ante quadraginta annos contractum est*, apertum est.

IX. Diuturnitas temporis quidem Jure nostro proprie caussa non est remittendæ, vel mitigandæ pœnæ, uti quibusdam, ob male intellectam *l.* 25. *D. de pœn.* (quæ de diutino tempore, quo quis in reatu & carcere fuit, loquitur, v. *l.* 23. *C. eod.* Suet. *in Aug. c.* 32.) visum est. Sed tamen aliquam temporis rationem, etiam in delictis, habendam censuit Trajanus; qui, cum Plinius de servis damnatis, qui se publicis ministeriis miscuerant, ad eum scripsisset, *reddere pœnæ, post longum tempus, plerosque jam senes & modeste viventes, sese nimis severum arbitrari*, respondit, *eos, qui ante decem annos damnati erant, ad pœnam non esse revocandos.* v. Plin. *L.* x. *Ep.* 40. 41. Neque in totum tempus in caussa delictorum negligi, docet non tantum jus præscriptionis, quo Accusationes xx. annis exstinguuntur, *l.* 12. *C. ad L. Corn. de fals.* sed & hoc nostrum Rescriptum, ut & *Nov.* 139. *præf.* & *c.* 1. ubi propter longum tempus ipsæ nuptiæ illicitæ confirmantur.

X. II. Ratio est *Juris ignorantia*, quia Flavia Tertulla *juris ignara in matrimonio Avunculi fuerat.* Mulieribus enim Jus Civile ignorantibus ob sexus infirmitatem fere subvenitur; *l.* 9. *pr. D. de jur. & fact. ign. l.* 11. *l. ult. C. eod.* non in caussis Civilibus tantum, *dd. ll.* sed etiam in delictis, *l.* 15. §. 4. 5. *D. ad L. Corn. de fals.* imo in ipso crimine incestus, quo mulieres in jure errantes non tenentur: *l.* 38. §. 24. *D. ad L. Jul. de adult.* dummodo incestum non Jure Gentium, sed Jure Civili prohibitum (quale hic est, v. *l. ult. D. de R. N.*) admirint. *d. l.* 38 §. 2. add. *l* 4. *C. de incest. nupt. Nov.* 139. *præf.* & *c.* 1.

XI. III. Movit etiam Impp. quod Flavia Tertulla *ab Avia collocata erat*, in ætate haud dubie minori. Nepotes enim neptesque, ob naturalem parentum ad educandum stimulum, v. *l. un.* §. 5. *C. de rei ux. act.* non raro apud avias morantur & educantur, v. *l.* 2. *C. ubi pup. educ. deb.* ab iisque in matrimonium collocantur. Ut adeo hic non tam *Flavia Tertulla*, quam avia, cui morem gessit, peccasse videatur. Ætati sane, ob consilii imbecillitatem, v. *l.* 1. *pr. D. de min.* in omnibus pœnalibus judiciis, *l.* 108. *D. de R. J. l.* 6. *pr. D. ad L. Jul. pec. l.* 37. §. 1. *D. de min.* etiam incesti, *l.* 4. *C. de incest. nupt.* succurritur; quod ob hanc causam ab ipsis Divis Fratribus *Claudiæ* remissum esse, memoriæ prodidit Papinianus. *l.* 38. §. 4. *D. ad L. Jul. de adult.* Maxime cum matrimonium palam contractum est; *l ult. D. de R. N.* quale incestum per illicitam matrimonii conjunctionem admissum excusari solet. *d. l.* 38. §. 7. 4. *D. ad L. Jul. de adult.*

XII. Accedit denique IV. *Numerus liberorum;* quorum etiam in causis delictorum rationem haberi æquissimum est, ne alieno admisso pœnam luant, quos nulla contingit culpa: *l.* 7. *pr. D. de bon. damn.* ut numerum liberorum favorabilem apud se causam facere, rescribere non dubitaverit Hadrianus. *d. l.* 7. §. 3.

XIII. Quibus præmissis rationibus subjicitur altera pars Rescripti, seu ipsa Impp. constitutio, sequentibus verbis expressa: *Idcircoque cum hæc omnia in unum concurrunt, confirmamus statum liberorum vestrorum in eo matrimonio quæsitorum, quod ante annos quadraginta contractum est, perinde ac si legitime contractum esset.* Scil. non raro contingit, ut quæ non prosunt singula, multa juvent, uti monet Ovid. *Rem. Am.* ŷ. 420. Exemplum est in causa Probationum, in qua probationes imperfectæ ordinario non sufficiunt, *l.* 6. *D. de prob.* sed, si tamen tales plures concurrant, quandoque fidem faciunt. v. *l.* 3. §. 2. *D. de testib. l.* 19. *C. de R. V. l. ult. C. de*

de prob. Cum itaque complures hic concurrant causæ; quarum singulæ fere ad ipsum incestum excusandum sufficiunt, precibus Flaviæ Tertullæ indulgendum, statumque liberorum ejus, licet ex prohibita ac incestuosa conjunctione nati sint, confirmandum censent. Et quidem non simpliciter statum eorum confirmant, ut ex tempore Rescripti demum pro legitimis habeantur, sed jura legitimorum iis ita tribuunt, ut *perinde* eos haberi velint, *ac si* in statu justi matrimonii *legitime concepti fuissent;* adeoque eos natalibus quasi restituunt, v. *N.* 89. *c.* 9. in quibus omnes homines initio ante Leges Civiles fuerunt. v. *l.* 2. *D. de nat. rest.* Per *statum* enim hic non status *libertatis*, nec *Civitatis*, sed familiæ intelligendus. v. J. Mercer. *L.* 11. *Opin. c.* XI.

XIV. Quæ *Divorum Fratrum* humanitas moribus quoque fere probata est. Ut Curia non tantum Parisiensis censuerit, Rescripto Principis legitimos etiam fieri ex damnato coitu natos; v. Costal. ad *l.* 19. *D. de stat. hom.* sed & plerisque receptum, ut nati ex matrimonio putativo, bona fide scil. & palam contracto, sint legitimi, sive error & bona fides utriusque, sive alterutrius conjugum intervenerit, v. Covarr. *de Matrim. c.* VIII. §. 1. 2. 3. Trentac. *L.* III. *Var. Resol. T. de Matrim. Resol.* IV. *n.* 14. *& seqq.* Maynard. *L.* IV. *Decis. Tholos.* 5. 6. Morn. *ad h. n. l.* 57. §. 1. Brunnem. *ibid. n.* 5. atque ita in simili casu, quo quis uxoris defunctæ ex sorore neptem uxorem palam duxerat, ex eaque filium susceperat, a suprema Frisiorum Curia judicatum sit. v Sand. *Lib.* II. *Tit.* I. *Def.* 8.

XV. Illud quæsitum est, an & ipsum matrimonium cum Avunculo initum per hoc Rescriptum confirmatum sit? Quod non videtur; incestæ etiam nuptiæ confirmari non solebant, uti iidem *Divi Fratres* Pollioni rescripserunt, *l.* 38. §. 6. *D. ad L. Jul. de adult.* ac proinde distrahi conjunctionem illicitam jusserunt. *d. l.* 38. §. 4. Cujus Rescripti verba

ex

ex Papiniano supra sunt exhibita: qui maxime floruit sub Severo, v. Spart. *in A. Caracall. c.* 8. & summa tum Jurisprudentiæ, ut & Juris Asylum & Doctrinæ Legalis thesaurus dicatur Spart. *in Sever. c.* 21. tum dignitatis gloria, fuit illustris. v. Spart. *d. c.* 21. *d. c* 8. *l.* 40. *D. de R. C.* Quemadmodum & Theodosius & Arcadius erroris aut ætatis lubrico lapsis ita demum succurrunt, si conjunctio illicita sine procrastinatione dirimatur. *l.* 4. *C. de incest. nupt.* Sed nec illud a *Flavia Tertulla* petitum apparet, eo forte, quod Avunculus idemque maritus Flaviæ Tertullæ e vita jam discesserat: quod probabile facit tum tempus matrimonii, quod ante XL. annos contractum erat; tum quod Flavia Tertulla sola libellum supplicem Impp. obtulerit, eique soli rescriptum sit. Ut confirmationis matrimonii, de qua rogati non erant, quodque nullum amplius erat, Impp. rationem non habuerint. Cæteroquin enim, si & illud confirmare voluissent, non minus id in eorum potestate positum fuisset, quam Justiniani, qui postmodum Mesopotamiam & Osdroenen Provincias incolentibus concessit, ut nuptiæ illicitæ ab iis contractæ in illa finerentur forma, *N.* 154. *c.* 1. incolisque Syndios Pagi & Hebræis in Tyro insula habitantibus, qui similiter prohibitis sese junxerant matrimoniis, ut & uxores, quas duxerant, retinerent, & filios, qui ex illis nati aut nascituri erant, haberent successores. *N.* 139. *c.* 1.

XVI. Sed & de eo disputatum, an Rescriptum hoc nostrum *Dispensationem* contineat? an *Legitimationem?* & an *Legitimatio per Rescriptum Principis* temporibus *Divorum Fratrum* jam cognita fuerit? Et si quidem accurate loqui velimus, per dictum Rescriptum Flaviæ Tertullæ ejusque liberis contra jus succurri, ejusque gratiam fieri, ac proinde eo (hoc sensu) *Dispensationem* contineri, (quemadmodum & vocatur *c. per Venerabilem.* 13. *x. qui fil. sint legit.*) non Legitimationem per Rescriptum Principis proprie dictam, eam-

eamque eo tempore nondum cognitam fuiſſe ſtatuendum videtur. *Legitimatio* enim per *Reſcriptum Principis* per Juſtinianum primum introducta eſt, *N.* 89. *c.* 9. *pr.* & ita quidem, ut in liberis naturalibus tantum, non etiam in iis, qui ex complexibus nefariis, aut inceſtuoſis, aut damnatis proceſſerint, locum habeat. *d. N.* 89. *c.* 9 Sed ſi *Legitimatio* latiori ſenſu accipiatur, pro omni actu, quo liberi qualescunque illegitimi jus legitimorum conſequuntur, quin confirmatio illa ſtatus liberorum Flaviæ Tertullæ etiam *Legitimationis* nomine comprehendi poſſit, nihil impedit. add. *d. c.* 13. *x. qui fil. ſint leg.*

XVII. Ex dictis autem ſimul apparet, non ſemper id, quod Lege prohibente factum eſt, prorſus nullum eſſe, omnique effectu carere. Cujus rei & alia exempla non pauca occurrunt alibi, ſive negotia publica ſpectemus, ſive privata. Huc enim pertinent I. Acta C. Julii Cæſaris: quæ Juri Legibusque Romanorum contraria fuiſſe, ac proinde jure reſcindi potuiſſe, nemo negaverit, ſed pacis tamen cauſa, auctore maxime Cicerone, ſervata ſunt. v. Dion Caſſ. *L.* XLIV. *circ. fin.* Cic. *Phil.* 1. *c.* 7.

II. Quæ a Barbario Philippo, ſeu Barbio Philippico, uti eum Suidas vocat, eo tempore, quo pro libero habitus Prætura functus eſt, edicta & decreta ſunt: quæ, cum ſervus Prætor eſſe nequeat, *l.* 175. *pr. D. de R. J. l.* 12. §. 2. *D. de jud. l.* 11. *l.* 38. *C. de liberal. cauſ.* nullius ſane momenti erant, ſed ob utilitatem publicam rata habenda eſſe placuit. *l.* 3. *D. de off. Præt.*


III. Quæ a Magiſtratibus & Judicibus, qui a Tyrannis conſtituti fuerant, more judiciorum ſervato, legitime geſta, vel ſponte apud eos transacta ſunt: quæ, licet ſimiliter ſummo jure non ſubſiſterent, ob eandem tamen utilitatis rationem non infirmata ſunt. v. *l.* 2. *l.* 5. *l.* 8. *l.* 9. *l.* 13. *C. Theod. de infirm. his quæ ſub Tyrann.*

IV. Adoptio non jure facta: quæ a Principe confirmari potest. *l.* 38. *D. de adopt.*

V. Nuptiæ inter Senatorem & libertinam initæ: quæ Lege Julia & Papia erant prohibitæ, *l.* 44 *pr.* §. 1. *& seqq. D. de R. N.* sed si indulgentia Principis permissum esset libertinam uxorem habere, justæ fieri poterant. *l.* 31. *D eod.*

VI. Matrimonium a muliere intra tempus luctus contractum, quod est illicitum: *l.* 1. *D. de his qui not. infam. l.* 2. *C. de sec. nupt.* sed si tamen nuptiæ celebratæ sint, matrimonium non rescinditur, sed mulier, una cum marito, si eam sciens duxit, infamia notatur, aliisque quibusdam incommodis punitur. *d. l* 1. *D. de his qui not. infam. l.* 1. *l.* 2. *C. de sec. nupt. N.* 22. *c.* 22.

VII. Testamentum, in quo liberi, quos testator in potestate habet, sunt præteriti, quod Jure Civili nullum est: *pr.* §. 5. *I. de exher. lib. l.* 30. *D. de lib. & post. l.* 1. *D. de inj. rupt. & irr. fact. test.* sed, si filius v. c. præteritus patri superstes bonis paternis sponte sese abstineat, Jure Prætorio ex bono & æquo sustinetur. *l.* 17. *D. de injust. rupt. & irr. fact. test.* Et similia. v. Vin. 1. Q. 1. Wiss. *ad l.* 5. *C. de LL.*



DIS-

DISSERTATIO DECIMA.

Ulpianus *Libro vicesimo quarto ad Edictum.*

TEmporibus DIVORUM FRATRUM cum hoc incidisset, ut maritus quidem prægnatem mulierem diceret, uxor negaret, Consulti *Valerio Prisciano Prætori Urbano* rescripserunt in hæc verba: *Novam rem desiderare* Rutilius Severu *videtur, ut uxori, quæ ab eo diverterat, & se non esse prægnatem profiteatur, custodem apponat: & ideo nemo mirabitur, si nos quoque novum consilium & remedium suggeramus. Igitur, si perstat in eadem postulatione, commodissimum est, eligi honestissimæ fœminæ domum, in quam* Domitia *veniat: & ibi tres obstetrices, probatæ & artis & fidei, quæ a te assumtæ fuerint, eam inspiciant. Et si quidem vel omnes, vel duæ renunciaverint prægnatem videri, tunc persuadendum mulieri erit, ut perinde custodem admittat, atque si ipsa hoc desiderasset. Quod si enixa non fuerit, sciat maritus, ad invidiam existimationemque suam pertinere; ut non immerito possit videri captasse hoc ad [aliquam] mulieris injuriam. Si autem vel omnes, vel plures, non esse gravidam renunciaverint, nulla causa custodiendi erit. l. 1. pr. D. de insp. ventr. cust. part.*

I. II. *Non posse Leges ita scribi, ut omnes casus comprehendant; ac proinde novam rem, novum remedium postulare.* III. *Quo sensu hic dicatur* Res nova? IV. *Marito ob justam causam permitti, ut mulier inspiciatur, ventrique custos apponatur.* V. *Priusquam autem id fiat, mulierem apud Prætorem rogari posse, an se putet esse prægnantem?* VI. *Quid si mulier non respondeat, aut ad Prætorem non veniat?* VII. *Si interrogata dixerit, se esse prægnantem, ordinem SCtis expositum sequi oportere.* Tò sequetur *enim sensu passivo, (ut & mul-*

ta alia deponentia) positum esse. VIII. *Si negaverit, Praetorem obstetrices adhibere.* IX. *Quid hic sit* inspicere? X. *Quod si mulier inspici se non patiatur, vel non veniat, eam justis remediis in ordinem redigi* XI. *In quantum peritis in arte sua credendum?* XII. Τὸ persuadere *aliquando necessitatem continere.* XIII. *Si mulier enixa non fuerit, vel omnes vel plures obstetrices gravidam non esse renunciaverint, an injuriarum agere possit?* XIV. *An tempus* XXX. *dierum servandum sit?*

I. Neque Leges, neque Senatusconsulta (uti in *l.* 10. *l.* 11. *D. de LL.* rectissime monet sapientissimus, & Edicti Perpetui conditor subtilissimus, Julianus) ita scribi possunt, ut omnes casus, qui quandoque inciderint, comprehendantur, sed sufficit ea, quæ plerumque accidunt, contineri. Et ideo de his, quæ primo constituuntur, aut interpretatione, aut Constitutione Optimi Principis certius statuendum. Natura enim quotidie novas deproperat edere formas, *l.* 2. §. 18. *C. de vet. jur. enucl.* & sortes humanæ multæ sunt, propter varios casus, qui nec dici, nec enumerari possunt. *l. ult. C. de præscr.* 30. *vel* 40. *ann.* Unde, si quid tale contingat, & Leges latæ per interpretationem ad id accommodari nequeant, Augustum implorandum est remedium. Quia ideo Imperialem fortunam rebus humanis Deus præposuit, ut possit omnia, quæ noviter contingunt, & emendare, & componere, & modis & regulis competentibus tradere, atque ita quod imperfectum est Imperiali sanctione replere. *d. l.* 2. §. 18. *C. de vet. jur. enucl.* add. *Nov.* 74. *præf.*

II. Cum itaque temporibus Divorum Fratrum accidisset, ut *Rutilius Severus* uxorem suam *Domitiam*, quæ ab eo diverterat, (quod istis temporibus frequenter, etiam bona gratia, fiebat, v. Juv. *Sat.* VI. ℣. 224. *& seqq. l.* 32. §. 10. *l.* 62. *pr. D. de don. int. vir. & ux.*) prægnantem esse diceret, uxor vero

vero negaret, & ob id uxori custodem apponi desideraret, neque SCta de liberis agnoscendis locum haberent, Principes, de eo a Valerio Prisciano Prætore Urbano consulti, subveniendum censuerunt, *l.* 1. *pr.* §. 1. *D. de insp. ventr.* & remedium Rescripto hoc nostro (quod, ut & alia v. supr. Dissert. v. *pr.* & §. 14. nobilissimo v. *l.* 4. §. 1. *D. de excus.* debemus Ulpiano) suggesserunt.

III. Ajunt autem DIVI FRATRES: *Novam rem desiderare* Rutilius Severus *videtur, ut uxori, quæ ab eo diverterat, & se non esse prægnatem profiteatur, custodem apponat: & ideo nemo mirabitur, si nos quoque novum consilium & remedium suggeramus.* Non novum est, ut mariti officium non præstent, agnoscendisque & alendis liberis sese subducere conentur; unde & mulieribus SCtis de agnoscendis & alendis liberis, Planciano scil. ratione partus, qui post divortium editur, eoque, quod, ratione libererum constante matrimonio natorum, temporibus Divi Hadriani conditum est, prospectum est. v. *l.* 1. *pr* §. 1. *& seqq. l.* 3. §. 1. *D. de agn. & al. lib.* Sed raro contingit, ut maritus uxori, ei maxime quæ divertit, de partu concepto litem moveat, ejusque educationem in sese ultro suscipiat. Ut merito *Novam rem* Rutilium Severum desiderare dicant Impp. id est inauditam & inusitatam. Quemadmodum eodem hoc sensu *causam Novam & inusitatam* dicit Cic. *ad Att. L.* III. *Ep.* 24. *Novum ac inusitatum genus dicendi*, Id. *pro Arch. Poët. c.* 2. *Novum consilium*, C. Nep. *Eumen. c.* VIII. *n.* 4. *Novi generis edictum*, Flor. *L.* III. *c.* 21. *Novas & usu incognitas religiones*, Paul. 1. *Sent.* XXI. §. 2. nec non *Novam pœnam*, quæ extraordinaria est, Justinianus §. 6. *I. de publ. jud.* cæteroquin enim pœna *culei*, de qua ibi loquitur Imp. non nova, sed antiquissima erat, ipsa scil. L. XII. Tabb. in parricidas constituta; v. Cic. *ad Heren. L.* I. *c.* 13. imo a Tarquinio Rege M. Tullio Duumviro, quod Librum, secreta civilium Sacrorum continentem, custodiæ suæ commissum,

 missum,

miſſum, corruptus, Petronio Sabino deſcribendum dediſſet, jam irrogata. v. Val. Max. *L.* 1. *c.* 1. *n.* 13.

IV. *Igitur, ſi perſtat in eadem poſtulatione, commodiſſimum eſt, eligi honeſtiſſimæ fœminæ domum, in quam* Domitia *veniat, & ibi tres obſtetrices, probatæ & artis & fidei, quæ a te aſſumtæ fuerint, eam inſpiciant.* Licet itaque rem novam deſideret *Rutilius Severus*, ſi tamen in illa poſtulatione *perſtet*, i. e. perſeveret, v. Cic *pro Roſc. com. c. ult.* & *de Off. L.* 111. *c.* 9. cum deſiderium ejus juſta ratione nitatur, ne ſcil. uxor, odio mariti, viſceribus ſuis vel vim inferat, vel falſum partum ſupponat, v. *l.* 39. *D. de pœn. l.* 4. *D. de extr. crim. l.* 1. §. 13. *D. de inſp. ventr.* mulierem inſpici, ventrique cuſtodem apponi permittunt.

V. Priusquam vero id fiat, evocari mulier ad Prætorem poterit, & apud eum interrogari, an ſe putet prægnantem, cogendaque erit reſpondere. *l.* 1. §. 2. *D. de inſp. ventr.*

VI. Sed quid ſi non reſponderit, aut ſi non veniat ad Prætorem, numquid SCti Planciani pœnam adhibemus, ut ſcil. liceat marito non agnoſcere? v. *l.* 1. §. 6. *D. de agn. & al. lib.* an vero pro confeſſa habenda eſt? Neutrum placuit. Finge enim non eſſe eo contentum maritum, qui ſe patrem potius optet, quam carere filio velit: quo caſu prior pœna locum habere nequit. Neque qui tacet ſemper conſentire videtur; *l.* 142. *D. de R. J. c.* 44. *de R. J. in* 6. licet quandoque ſecus ſit, *c.* 43. *de R. J. in* 6. & tacens nonnunquam hanc contumaciæ pœnam ferat, ut ſilentium ejus pro confeſſione habeatur. v. *l.* 11. §. 4. 7. *D. de interr. in jur. fac.* Cogenda igitur erit mulier remediis Prætoriis, & in jus venire, & ſi venit reſpondere, pignoraque ejus capienda & diſtrahenda, ſi contemnat, vel multis, aliisve modis, quibus contumaces in ordinem rediguntur, coërcenda. *l.* 1. § 3. *D. de inſp. ventr.* add. *l. un. pr. D. ſi quis jus dic. non obtemp.* ſupr. Diſſert. VIII. §. 13. Niſi forte jusjurandum maritus uxori deferre malit; quod

&

& in hac causa locum habere idem docet Ulp. in *l.* 3. §. 3. *D. de jurej.*

VII. Quid ergo, si interrogata dixerit se prægnantem? *Ordo SCtis expositus sequetur. l.* 1. §. 4. *D. de insp. ventr.* Ubi pro *SCtis* quidam malunt *SCti*, & pro *sequetur*, *servetur*. Sed nihil mutandum est. Verbo *sequetur* enim Ulp. ibi usus est passive, quemadmodum & multa alia, quæ *Deponentia* dici solent, eodem sensu non raro usurpantur: veluti *moderari*, *l.* 15. *D. de neg. gest. morari*, *l.* 5. §. 1. *D. ut leg. seu fideic. serv. c. cav. demoliri*, *l.* 37. *D. de damn. inf. l.* 23. §. 2. *D. de usurp. & usu l.* 10. §. 1. *D. quib. mod. usufr. am. arbitrari*, *l.* 27. §. 4. *D. de rec. l.* 12. §. 5. *D. de relig. l.* 15. §. 1. *D. de usufr.* Cic. *pro Mur. c.* 16. A. Bynckersh. 1 *Obs.* 25. *interpretari*, *l.* 12. *D. de R. J. l.* 13. §. *ult. D. de reb. dub. l.* 18. *D. de LL. l.* 4. §. 1. *D. de appell. partiri*, Cic. *de Orat. L.* III. *c.* 30. *polliceri*, *l.* 1. §. 18. *D. de exerc. act. tueri*, *l.* 17. *D. de inj. rupt. & irr. fact. test. l.* 7. *pr. D. adipisci*, §. 4. *I. de legat. de cur. fur. oblivisci*, *l.* 60. § 6. *D. de R. N. exequi*, *l.* 19. *pr. D. de jurisd. l.* 2. *D. de re jud. persequi*, *l.* 49. §. 1. *D. ad L. Aquil.* & similia. v. Gell. *L.* XV. *c.* 13. Briss. *parerg.* Opusc. *de Latin. Vet. JCtor. p.* 328. 329. 333. 334. 349. 381. 382. & ibid. Cl. Duker. in *not.* Scip. Gent. *L.* 1. *parerg. c.* 18. G. Forster. 1. *O.* 4. supr. Diss. VIII. §. 6. Quænam vero intelligat SCta, ex *l.* 1. §. 3. *D. de insp. ventr.* manifestum est, ea scil. quæ de liberis agnoscendis condita erant, quæ, si mulier dissimularet vel negaret se prægnantem, locum non habebant. *d. l.* 1. §. 3.

VIII. Quod si vero uxor negaverit se esse prægnantem, tum secundum hoc Rescriptum Prætor debebit obstetrices adhibere, *l.* 1. §. 4. *D. de insp. ventr.* non etiam maritus, vel mulier, quibus hoc non permittitur. *l.* 1. §. 5. *D. eod.*

IX. Prætor autem honestæ matronæ domum eligere debet, in quam *Domitia* veniat, & tres obstetrices, (5. requirit Prætor in casu *l.* 1. §. 10. *D. eod.*) non qualescunque, sed pro-

probatæ artis & fidei, adhibere, quæ eam *inspiciant*, i. e. examinent, & habita diligenti & accurata signorum & circumstantiarum indagatione, scrutentur, an gravida videatur? an secus? *d. l.* 1. §. 6. *D. de insp. ventr.* Hoc sensu enim τὸ *inspicere* hic accipiendum esse, docet tum *Edictum Prætoris, de inspiciendo ventre custodiendoque partu*, quo obstetrices ventrem mulieris, ea invita, tangere prohibentur; *l.* 1. §. 10 *D. de insp. ventr.* tum Paul. 11. *Sent.* xxiv. §. 7. ubi *marito* dicit hoc casu *permitti ventrem inspicere;* tum locutiones aliæ prorsus similes. Sic enim *conditionem testium*, qui ad testamentum adhibentur, *cum signant*, *inspici debere*, *l.* 22. §. 1. *D. qui testam. fac. poss.* annuumque legatum *per singulos annos*, *inspecta conditione legatarii capi*, idem ait Ulpianus. *l.* 23. *D. quand. dies leg. ced.* Sic quoque *Valetudinarios inspicere*, inter alia, ad officium Tribunorum refert Macer. *l.* 12. § 2. *D. de re mil.* Sic denique Antonium *a puero inspicit* Cicero; *Phil.* 11. *c.* 18. Suetonium *propius inspexit* Plinius; *L* x. *Ep.* 95. nec non *sententiam mulieris* Palæstrio apud Plautum. *Mil. glor. Act.* 11. *Sc.* 1. ℣. 51. Quæ utique de alia inspectione, quam quæ fit considerando, examinando, scrutando, intelligi nequeunt.

X. Quid ergo, si inspici se non patiatur, vel ad domum non veniat? Æque Prætoris auctoritas interveniet, *l.* 1. §. 7. *D. de insp. vent.* ut scil. justis remediis (de quibus ex *d. l.* 1. §. 3. jam monitum §. 6.) in ordinem redigatur.

XI. *Et si quidem vel omnes, vel duæ renunciaverint prægnatem videri, tunc persuadendum mulieri erit, ut perinde custodem admittat, atque si ipsa hoc desiderasset.* Peritis enim in sua arte credendum, v. *l.* 12. *D. de stat. hom. l.* 3. §. *ult. D. de suis & leg. her. l.* 6. *C. de re mil. l. pen. C. de jud.* dummodo omnes vel duæ mulierem sibi gravidam videri asserant, dictumque jurejurando confirment. In ore enim duorum vel trium omne consistit verbum: Deut xix. ℣. 15. Matth. xviii. ℣. 16. 11 Cor. xiii. ℣. 1. *l.* 12. *D. de testib.* add. *l.* 17. §. *ult. l.* 18. *l.* 27.

l. 27. §. 3. *D. de rec. l.* 39. *D. de re jud.* & quemadmodum testi injurato non creditur, *l.* 9. *pr. C. de testib.* sic nec artifici de negotiis artis suæ respondenti sine jurejurando fides adhibetur. v. *l.* 11. §. 1. *C. de advoc. diverſ. judicior. l.* 6. §. 1. *C. de sec. nupt.* junct. *N.* 7. *c.* 3. §. 2. *l.* 20. *C. de fid. instr.* junct. *N.* 49. *c.* 2. §. 2. *N.* 64. *c.* 1. Costal. ad *l.* 1. *D. de insp. ventr.* Brunnem. *ad d. t. n.* 4. Voet *ad d. t. n.* 2. Quod tamen, cum solo sensu externo hæc res non percipiatur, & in eo facile errari possit, ita accipiendum, ut non requiratur jusjurandum veritatis, sed sufficiat credulitatis, si scil. obstetrices jurent, uti aperte Impp. *mulierem sibi prægnatem videri.* add. Brunem. *d. l.* Voet. *d. l.*

XII. Cum autem dicunt *Divi Fratres persuadendum mulieri esse, ut custodem admittat*, civiliter & humaniter id dictum accipiendum est, & *persuasio* intelligenda, quæ necessitatem continet. v. *l.* 1. §. *ult. D. de lib. exhib.* Non enim liberæ *Domitiæ* voluntati (uti ex prædictis constat) id relinquitur, sed continet hæc pars Rescripti maxime remedium, quod Impp. principio promiserant, ipsamque adeo eorum Constitutionem, qua *Rutilio Severo* hoc casu ventri custodiam apponere permittunt. add. Paul. II. *Sent. T.* XXIV. §. 7 Exemplo Lycurgi, qui fratris viduæ gravidæ (quæ sub spe matrimonii partus abolitionem promiserat) custodes misit, qui enitenti adessent, eamque observarent; teste Plutarcho *in Lycurg.* ne scil. mulier partui noceat, falsumve partum supponat. v. supr. §. 4.

XIII. *Quod si enixa non fuerit, sciat maritus ad invidiam existimationemque suam pertinere; ut non immerito possit videri captasse hoc ad aliquam mulieris injuriam. Si autem vel omnes, vel plures, non esse gravidam renunciaverint, nulla causa custodiendi erit.* Unde quæsitum, an ergo mulier injuriarum experiri possit? Et magis puto (ait Ulp.) agere injuriarum posse; sic tamen, si injuriæ faciendæ causa maritus desideraverit. Cæterum, si non injuriæ faciendæ animo, sed quia

Q juste

juſte credidit, vel nimio voto liberorum ſuſcipiendorum ductus eſt, vel ipſa eum illexerat, ut crederet, quod conſtante matrimonio hoc fingebatur, æquiſſimum erit ignoſci marito. *l.* 1. §. 8. *D. de inſpic. ventr.* Cum enim injuria ſine animo injuriandi non inferatur, *l.* 5. *C. de injur.* ceſſante delicto, Actio quoque injuriarum eo caſu locum habere nequit.

XIV. Meminiſſe autem oportebit, tempus non eſſe præſtitutum hoc *Reſcripto*, quamvis in *SCtis de liberis agnoſcendis* 30. dies præſtituantur mulieri. Quid ergo? ſemper dicemus marito licere uxorem ad Prætorem evocare? an vero & ipſi 30. dies præſtituimus? Et putem (inquit idem Ulp.) Prætorem cauſa cognita debere maritum & poſt 30. dies audire. *d. l.* 1. §. 9. *D. de inſp. ventr.*



DIS-

DISSERTATIO UNDECIMA.

Paulus *Libro nono Responsorum.*

DIvi MARCUS & VERUS Cornelio Proculo. *Si quando desint in Civitate, ex qua pupilli oriundi sunt, qui idonei videantur esse tutores, officium sit Magistratuum inquirere ex vicinis Civitatibus honestissimum quemque, & nomina Præsidi Provinciæ mittere, non ipsos arbitrium dandi sibi vindicare. l. 24. D. de tut. dat.*

I. *Impuberes in tutela esse naturali juri conveniens esse.* II. *Unde apud plerasque gentes receptum* Jus Tutelarum. III. IV. *Cui Magistratui apud Romanos permissum sit dare tutores?* V. *A quo & quando lata sit* Lex Attilia, *ut &* Lex Julia & Titia? VI. Prætorem Tutelarem *primum a* D. Marco *constitutum esse.* VII. VIII. *Quid postmodum obtinuerit? & ab Imp.* Justiniano *constitutum sit?* IX. *Quid significent verba* secundum suam jurisdictionem? X. *Exponitur* l. 10. D. de. tutel. XI. XII. XIII. *Quid faciendum, si in Civitate desint, qui tutores sint idonei? & an tutoris datio mandari possit?* XIV. *Quid juris, si Præses causam remittat?*

I. Impuberes in tutela esse Naturali Juri conveniens est, ut is, qui perfectæ ætatis non sit, alterius tutela regatur, uti rectissime monet Justinianus Imp. §. 6. *I. de Attil. tut.* Inter omnes enim constat, fragile & infirmum esse hujusmodi ætatum consilium, & multis captionibus suppositum, multorum insidiis expositum, uti de minoribus ait Ulp. *l. 1. pr. D. de min.* aliorumque libidine infestum, uti Cic. *pro M. Cæl. c. 4.* ut ineuntis ætatis inscientia aliorum constituenda sit ac re-

 gen-

genda prudentia. v. Cic. *de Off.* *L.* 1. *c.* 34. *l. ult. D. de man. vind.*

II. Unde apud Romanos non tantum, ſed & alias gentes, Tutelarum jus receptum. v. Demoſth. *Orat. contr. Aphob.* Diog. Laërt. *de vit. Phil.* *L.* 1. *in Solon.* Diod Sic. *L.* XII. *c.* 15. Alex. ab Alex. *L.* VI. *c.* 10. Et quidem in primis parentibus permiſſum, ut poſſint liberis de tutoribus poſt mortem ſuam teſtamento proſpicere; *l.* 1. *pr.* §. 1. 2. *D. de teſtam. tut.* §. 3. *I. de tutel.* Dem. *d.l.* vel, ſi parentes inteſtati deceſſerint, Tutela delata eſt propinquis. *l.* 1. *pr. D. de legit. tut. pr. I. de legit. agn. tut.* Diog. Laërt. *d.l.* Diod. Sic. *d. l.* Quod ſi vero neque Parentes Teſtamento liberis tutores dederint, neque in Familia ſint, qui tutela fungantur, ad officium pertinet Magiſtratuum, hunc defectum ſupplere, & curare, ne pupilli indefenſi maneant. v. *l.* 11. *C. de compenſ.* *l.* 9. §. 5. *D. de off. Proconſ.*

III. Non tamen, quantum ad Romanos attinet, cuivis Magiſtratui, vi Juriſdictionis Ordinariæ tutoris dandi competit poteſtas. *Tutoris datio enim neque* Imperii *eſt*, *neque* Juriſdictionis, *ſed ei ſoli competit, cui nominatim hoc dedit vel Lex, vel SCtum, vel Princeps*, uti docet Ulp. in *l.* 6. §. 2. *D. de tutel.* i. e. vi officii neque competit Magiſtratibus majoribus, neque minoribus, v. c. Municipalibus, ſed ei tantum, cui ſpecialiter conceſſa eſt. Verbum *Imperii* enim pertinet ad Magiſtratus majores, *Juriſdictionis* vero ad Magiſtratus minores, v. c. Municipales: quomodo & alibi *Imperium* & *Juriſdictio* ſibi opponuntur; v. *l.* 4. *D. de juriſd.* *l.* 26. *pr. D. ad municip.* cum cæteroquin ſenſu latiori *Imperium* & *Juriſdictio* ſæpe pro eodem ponantur. v. *l.* 7. §. 14. *D. de pact.* junct. *l.* 1. §. 9. *D. de O. N. N.* *l.* 13. §. 4. *D. ad SCt. Treb.* *l.* 7. §. *f.* *l.* 8. *l* 9. *D. de offic. Proconſ.* *l.* 215. *D. de V. S.* *l.* 3. *D. de juriſd.* junct. *l.* 12. §. 1. *D. de jud.* *l.* 26. *pr.* §. 1. *D. ad municip.* junct. *l.* 16. §. *ult. D. de min.* add. V. Cl. Noodt, *de Juriſd.* *L.* 1. *C.* 1. 2. 3.

IV.

IV. Et primum quidem in Urbe Romana tutor dabatur a Prætore Urbano & majore parte Tribunorum Plebis, (i. e. sex Tribunis, v. *l.* 2. §. 34. *D. de O. J*) ex *Lege Attilia*; in Provinciis vero ex *Lege Julia & Titia. pr. I. de Attil. tut. Lex Attilia*, ait Ulp. *T.* XI. §. 18. *jubet mulieribus pupillisve non habentibus tutores dari a Prætore & majore parte Tribunorum Plebis. Quos* Tutores Attilianos *appellamus. Sed quia* Lex Attilia *Romæ tantum locum habet*, Lege Julia & Titia *prospectum est, ut in Provincia quoque similiter a Præsidibus earum dentur tutores.*

V. Quæ Leges a quibus, & quando latæ sint, non satis constat. *Legem Attiliam* Plebiscitum fuisse censent Balduin. Muret. ad *d. pr. I. de Attil. tut.* aliique; conditumque A. U. C. 443. a *L. Attilio* & *C. Martio* Tribunis Plebis, quorum meminit Liv *L.* IX *c.* 30. Sed Pighius (ut incertum tamen) eam refert ad A. U. C. 540. quo Prætor fuit *M. Attilius Regulus.* v. Liv. *L.* XXIV. *c.* 43. *Legem* quoque *Juliam* & *Titiam* similiter Plebiscitum fuisse opinatur Muret. *d. l.* H. Valesius vero *ad Excerpt. Peiresc. p.* 61. & quidem probabilius, eam latam putat A. U. C. 722. quo Consul fuit *Augustus III.* & *M. Titius* Consul suffectus. Sed deficiunt probationes idoneæ. Illud certum est, Leges illas fuisse perantiquas, maxime *Attiliam*, quam jam ante A. U. C. 567. latam esse docet Historia de *Hispala Fecenia*, quæ Sp. Postumio Albino & Q. Marcio Philippo Coss. post mortem patroni, quia in nullius manu erat, ex ea tutorem a Prætore & Tribunis accepit. v. Liv. *L.* XXXIX. *c.* 9.

VI. Sed ex istis Legibus Tutores pupillis desierunt dari, posteaquam primum Consules pupillis utriusque sexus tutores ex inquisitione dare cœperunt, deinde Prætores ex Constitutionibus. §. 3. *I. de Attil. tut.* Cum enim pupilli & pupillæ, uti dictitavit & re ipsa probavit Verres, v. Cic. *in Verr.* 1. *c.* 50. sæpe certissima præda essent Prætoribus, Clau-

dius Imp. sanxit, ut pupillis extra ordinem tutores a Consulibus darentur; uti memoriæ prodidit Suet. *in Claud. c.* 23. Idque ad tempora D. MARCI nostri in usu mansisse videtur; sub Domitiano enim Helvidii filiæ a Consulibus adhuc tutor datus est Cornutus, uti refert Plin. *L.* IX. *Ep.* 13. neque ante D. MARCUM id mutatum reperitur. Ut autem diligentius de Tutoribus tractaretur, primus Imp. MARCUS singularem *Prætorem* fecit *Tutelarem*, teste Capit. *in Marc. c.* 10. v. supr. Differt. 1. §. 30. ut scil. tutelaribus cognitionibus præsideret: *l.* 1. *C. de tut. vel cur. ill. pers. l.* 2. *in f. C. quand. mul. off. tut.* unde & *Judicem Tutelarem* vocat Paulus, *L.* V. *Sent. T.* 16. §. 2. qui etiam, ut & Ulpianus, *de Officio ejus* Librum conscripsit singularem. v. *Ind. Pand. Flor. præp. inscr. l.* 3. *l.* 5. *l.* 9. *D. de excus.*

VII. Quod tamen non obstitisse videtur, quominus & deinceps Prætores Urbani & Consules jus antiquum quandoque usurparint. v. Ulp. *T.* XI. §. 20. 24. *l. pen.* §. 3. *D. de excus. l.* 1. §. 1. *D. de conf. tut.* Sane postmodum iterum admissum, ut Romæ Præfectus Urbi, vel Prætor; in Provinciis autem Præsides, vel Proconsules, eorumque Legati (quibus Oratione D. MARCI id tributum, *l.* 1. §. 1. *D. de tut. dat.*); vel Magistratus jussu Præsidum, si non sint magnæ pupilli facultates, tutores crearent. §. 4. *I. de Attil. tut. l.* 45. §. 3. *D. de excus. l.* 1. *C. de tut. vel cur. ill. pers. l.* 1. *pr.* §. 1. *l.* 3. *D. de tut. dat.*

VIII. Tandemque per Imp. Justinianum constitutum, ut Defensores Civitatum, vel Magistratus Municipales, puta Duumviri, vel Juridicus in Civitate Alexandrina, etiam non expectata jussione Præsidum possint tutores creare, dummodo facultates pupilli non excedant 500. solidos, & adhibeatur Episcopus, vel aliæ personæ publicæ (i. e. Tabularii, *l.* 32. *C. de Ep. & cler.*) Civitatis. *l.* 30. *C. de Ep. aud.*

IX. Quibus autem specialiter id concessum est, non aliter tutores dare possunt, quam *secundum suam jurisdictionem,*

i e

i. e. ſecundum terminos ſuæ jurisdictionis, ſeu territorii. § 4. *I. de Attil tut* *Jurisdictio* enim *d.* §. 4. ponitur pro *territorio*, quemadmodum & non raro alibi. Sic enim Ulp. in *l.* 5. *D. de jud. Si quis ex* aliena jurisdictione *ad Prætorem vocetur, debet venire, uti* Pomponius *&* Vindius *ſcripſerunt: Prætoris enim eſt æſtimare, an ſua ſit jurisdictio, vocati autem non contemnere auctoritatem Prætoris.* Sic quoque Tac. *L.* 1. *Ann.* 80. *Id quoque morum* Tiberii *fuit, continuare Imperia, at plerosque in finem vitæ in iisdem exercitibus aut* jurisdictionibus *habere.* Et ſic denique eodem prorſus ſenſu Plin. *L.* v. *c.* 28. *Sed prius terga &* mediterraneas Jurisdictiones *indicaſſe conveniat.* Proinde Prætor intra Urbem tantum tutorem conſtituere poteſt; *l.* 2. §. 27. *D. de O. J.* Præfectus Urbi intra Urbem & centeſimum lapidem; *l.* 1. *pr.* §. 4. *de off. Præf. Urb.* Præſides & Proconſules intra Provinciam, in quam miſſi ſunt; *l.* 1. §. *ult. D. de tut. dat.* & Magiſtratus Municipales intra Civitatem agrumque Civitatis. *l.* 3. *D. eod.* Extra Provinciam Præſes vel Proconſul ei, qui alterius eſt Provinciæ, vel extra Municipium Magiſtratus ei, qui ab eodem non eſt Municipio, vel ejus Municipii agro, neque jurisdictioni dantis ſubjectus, tutorem dare nequit. *l.* 1. §. *ult. l.* 3. *D. de tut. dat. l.* 5. *C. qui dar. tut.* Quia extra territorium jus dicenti impune non paretur. *l. ult. D. de jurisd.*

X. Neque contrariatur Ulp. in *l.* 10. *D. de tutel.* cum ait: *Etiam non Municeps tutor dari poteſt, dummodo Municipi detur.* Dum enim requirit, *ut Municipi detur*, utique exigit, ut ei detur, qui ejusdem jurisdictionis eſt. Unde & *d. l.* 10. neque ad tutorem a Præſide datum, neque ad eum, qui teſtamento datus eſt, referenda videtur; licet veriſſimum ſit, poſſe Teſtatorem teſtamento tutores dare etiam eos, qui ejusdem civitatis non ſunt cives, uti idem Paulus, cui hoc noſtrum Reſcriptum debemus, docet in *l.* 32. *pr. D. de teſtam. tut.* Sed cum monet Ulp. *Etiam non Municipem tutorem dari poſſe*,

posse, id accipiendum de incola. *Incola* enim, qui in aliqua civitate domicilium constituit, sed ejus civis non est, v. *l.* 239. §. 2. *D. de V. S. l.* 7. *C. de incol. & his Magistratibus parere debet, apud quos incola est, & illis, apud quos civis est, nec tantum Municipali jurisdictioni in utroque municipio subjectus est, verum etiam omnibus publicis muneribus fungi debet;* uti docet Gajus in *l.* 29. *D. ad munic.* Accedit, quod *d. l.* 10. *D. de tutel.* excerpta sit ex *Lib.* 11. *Ulpiani ad Edict.* quo inter alia, de Municipibus, & jurisdictione municipali, actum esse, ex *l.* 1. *l.* 27. *D. ad municip.* manifestum est.

XI. Sed quid juris, si desint in Civitate, ex qua pupilli oriundi sunt, qui idonei sint tutores? quid faciendum? Consulti sunt ea de re *Divi* FRATRES a *Cornelio Proculo*, eodem forte, cujus fit mentio in *l.* 27. *pr. D. de lib. caus.* qui rescripserunt: *Si quando desint in Civitate, ex qua pupilli oriundi sunt, qui idonei videantur esse tutores, officium sit Magistratuum inquirere ex vicinis Civitatibus honestissimum quemque, & nomina Præsidi Provinciæ mittere, non ipsos arbitrium dandi sibi vindicare.* Quod, ut Libr. IX. *Resp.* integrum describeret, dignum visum est Julio Paulo, Legum Prudentum Coryphæo, v. *l.* 13. §. 2. *D. de excus.* & Alexandri Imp. Consiliario, v. Lamprid. *in Alexandr. c.* 26. totidemque fere verbis, omisso tamen nomine *Divorum* FRATRUM, repetitum ab Ulpiano in *l.* 1. §. 10. *D. de Mag. conv.*

XII. Ajunt Impp. *Si quando desint in Civitate, ex qua pupilli oriundi sunt, qui idonei videantur esse tutores, officium sit Magistratuum inquirere ex vicinis Civitatibus honestissimum quemque, & nomina Præsidi Provinciæ mittere.* Licet enim quandoque in Civitatibus, maxime minoribus, deficiant, qui ad administrandam tutelam sint idonei, non tamen ob id indefensi debent relinqui pupilli, vel cessat officium *Magistratuum*, scil. Municipalium, de quibus solis hic agitur, quique etiam *Magistratus* sæpe simpliciter dicuntur. v. *l.* 26. *D.* de


de neg. gest. l. 11. *pr.* §. 1. *l. ult.* §. 2. *D. ad municip. l.* 5. *D. de conf. tut. l. ult. D. de tut. & cur. dat. l.* 1. *pr.* §. 2. *& seqq. D. de mag. conv.* Sed debent illi in cives vicinarum civitatum inquirere, & nomina eorum, qui idonei videantur, Præsidi mittere seu indicare, *l.* 1. §. 10. *D. de mag. conv. l* 6. *C. qui dar. tut.* ut ipse, si velit, ex illis eligere & tutores constituere possit. *l.* 1. §. 5. *D. de mag. conv.*

XIII. Addunt itaque, *Non ipsos arbitrium dandi sibi vindicare.* Præses enim toti præest Provinciæ, & tutoris dandi potestatem habet ubique in Provincia sua, adeoque & in omnibus civitatibus ejusdem Provinciæ. *l.* 1. *pr.* §. 2. *D. de tut. dat. l.* 1. §. 2. 5. *D. de mag. conv.* Neque Magistratus municipales, cum magnæ sunt pupilli facultates, tutores constituere possunt, nisi *jussu Præsidum:* §. 4. *I. de Attil. tut.* postquam scil. causa a Præside ad eos remissa est. *d. l.* 1. §. 5. *D. de mag. conven.* Quod tamen, licet etiam *mandati* in *d. l.* 1. §. 6. *D. de mag. conv.* fiat mentio, non ita accipiendum, quasi Magistratus municipales ex *mandata* a Præside *jurisdictione* Tutores dederint. Quæcunque enim specialiter Lege, vel SCto, vel Constitutione Principum, tribuuntur, (qualis etiam est Tutoris dandi potestas, *l.* 6. §. 2. *D. de tutel.*) mandata jurisdictione non transferuntur. *l.* 1. *pr. D. de off. ejus, cui mand. est jurisd.* Imo mandante Præside alium tutorem dari non posse, aperte docet Ulp. in *l.* 8. *pr. D. de tut. dat.* Scil. Tutoris datio singulari jure, uti supra ostensum, concessa est & Præsidi, & Magistratui municipali, sed ita tamen, ut primæ partes sint Præsidis, ad quem rem omnem referre debet Magistratus municipalis, ut possit, si velit, tutorem creare: eoque casu cessant partes Magistratuum. Sed si Præses, vel quia rebus majoris momenti occupatus est, vel quia non magnæ pupilli sunt facultates, huic rei vacare nolit, causam Magistratibus remittit, *d. l.* 1. §. 3. 5. *D. de mag. conv.* simulque eos monet, ut ipsi dent tutores. *d. l.* 1. §. 6. Quæ *admonitio,*

nitio, tum ratione summæ Præsidis dignitatis, quippe qui omnibus majus imperium habet in provincia post principem, *l.* 4. *D. de off. Præs.* tum quia Magistratus municipales parere necesse habent, *d. l.* 1. §. 6. in *d.* §. 4. *I. de Attil. tut. Jussus,* nec non in *d. l.* 1. §. 6. *de mag. conv. Mandatum* vocatur, uti constat ex *l.* 46. §. 6. *D. de adm. tut.* ubi Paulus JC. dictam Præsidis admonitionem, quam *mandatum* dicit Ulp. *l.* 1. §. 6. *D. de mag. conv. Præceptum* appellat, dum ait: *Cum testamento duo tutores dati essent pupillo, & alter ex his vita defunctus fuisset, in locum ejus petente matre*, ex Præsidis Provinciæ præcepto a Magistratibus alius tutor datus est, *a quo Magistratus satis exegerunt rem salvam fore* &c. Quod utique ad *mandatam* Jurisdictionem referri nequit. Similes hac in parte sunt Magistratus municipales Legatis Proconsulum, qui etiam tutores dare possunt; *l. pen. D. de off. Procons.* sed hanc potestatem exercere nequeunt, nisi postquam a Proconsule ipsis mandata sit Jurisdictio. Sic enim accipiendum videtur, quod ait Pomponius in *l.* 13. *D. eod. Legati Proconsulis nihil proprium habent, nisi a Proconsule eis mandata fuerit jurisdictio.* Legatos Proconsulum enim aliquid *proprium* habere, propriamque eorum jurisdictionem sub mandata generali jurisdictione contineri, tum in genere constat ex Rescripto Impp. Severi & Antonini, quod est in *l.* 4. *pr. D. de off. ejus, cui mand. est jurisd.* tum in specie apparet ex hac ipsa, de qua agimus, tutoris datione, quam eos ex singulari concessione, D. Marci scil. nostri oratione seu SCto, habuisse docet Ulp. *l.* 1. §. 1. *D. de tut. dat.* Quemadmodum & illud singulare fuit in Legatis Proconsulum, quod ab illis ad ipsum Proconsulem fieret appellatio; *l.* 2. *D. quis, a quo app.* cum cæteroquin ab eo, cui quis mandavit jurisdictionem, non provocetur Mandans, sed is, qui a Mandante provocandus esset, uti idem monet Ulp. in *l.* 1. §. 1. *D. eod.* v. Cuj. VII. O. 21.

XIV.

XIV. Quod si itaque Præses tutores dare nolit, causamque remittat, vel secundum jus novum facultates pupilli non excedant 500. solidos, Magistratus municipalis jure proprio dare potest. *l. 3. D. de tut. dat.* Non tamen in casu Rescripti nostri directe & immediate, sed mediate, per *literas* scil. (quæ *publica* dicuntur *Nov.* 134. *c.* 5. nunc vero *Requisitoriales* & *Mutui compassus* vocari solent) ad Magistratus ejus civitatis, ubi idonei reperiuntur, datas. v. Brunn. ad *h. l.* 24. & ad *l.* 5. *C. qui dar. tut.* Nisi forte alterius civitatis cives dationi consentiant, & jurisdictioni dantis ultro se submittant, in quos etiam jus dici posse monet Ulp. in *l.* 14. *D. de jurisd. l.* 13. §. 4. *D. ad SCt. Treb.* Qua ratione & Collega Collegam dare potest, *l.* 19. §. 1. *D. de tut. dat.* qui tamen in Collegam nullum habet imperium. *d. l.* 13. §. 4. *D. ad SCt. Treb.* add. Montan. *de Tut. c.* 23. *n.* 33.



DISSERTATIO DUODECIMA.

Ulpianus *Libro ſeptuageſimo nono ad Edictum.*

QUamvis autem omnes legatarii & fideicommiſſarii neceſſe habeant hac ſtipulatione cavere, tamen quibusdam remitti Divi Fratres reſcripſerunt; utputa his, quibus minuta alimenta ſunt relicta. *Pompejæ* enim *Fauſtinæ* reſcripſerunt ſic: *Non eandem cauſam eſſe decem aureorum, quos annuos tibi teſtamento* Pompejæ Criſpianæ *patronæ tuæ relictos proponis, atque fuit alimentorum & veſtiarii libertis relictorum, quibus propterea cautionis onus remittendum exiſtimavimus. l. 3. §. 4. D. ſi cui plus quam per Leg. Falcid. lic: leg. eſſe dic.*

I. *Celebrem Legem eſſe* XII. *Tabb. qua libera patrifam de rebus ſuis diſponendi poteſtas conceditur, & quomodo illa concepta ſit?* II. *Soli* patrifam. *illam poteſtatem datam eſſe.* III. IV. *Quid ſit* legare? V. *An bene ſeſe habeant verba,* ſuper pecuniæ tutelæve. VI. *Quid veniat verbo* pecuniæ? *& quo ſenſu dicatur,* tutorem ſeparatim ſine pecunia dari non poſſe? VII. *Quid veniat nomine* rei? VIII. *An verba* ſuæ rei *genuina ſint?* IX. *Quô ſenſu diſpoſitio Teſtatoris* jus *dicatur?* X. *Liberrimam illam poteſtatem legandi reſtrictam eſſe, maxime per* Legem Falcidiam. XI. *Quid ſi dubitetur, an illa locum habeat?* XII. XIII. *Quinam ſatisdare cogantur, & excipiantur?* XIV. XV. XVI. *Lectio Codicis Florentini defenditur.* XVII. *Quid dicendum, ſi legato ſoluto poſtmodum appareat,* Legi Falcidiæ *locum eſſe.*

I. Inter varia eaque illuſtria Legis XII. Tabularum capita celeberrimum eſt, quo libera Patrifamilias de rebus ſuis diſpo-

po-

ponendi poteſtas conceſſa eſt. Sed, quod mirari liceat, non eodem modo referuntur verba ejus, ab illis, qui Legis iſtius mentionem faciunt. Cic. *Rhetor. ad Herenn. L.* I. *c.* 13. ait: *Lex*, PATERFAMILIAS UTI SUPER FAMILIA PECUNIAVE SUA LEGASSIT, ITA JUS ESTO; & *de Invent. L.* II. *c.* 50. PATERFAMILIAS UTI SUPER FAMILIA PECUNIAQUE SUA LEGAVERIT, ITA JUS ESTO. Pomponius in *l.* 120. *D. de V. S. Verbis Legis* XII. *Tabularum his*, UTI LEGASSIT SUÆ REI, ITA JUS ESTO, *latiſſima poteſtas tributa videtur:* & ſecundum eum Imp. in *princ. I. de Leg. Falcid. Quippe cum ea Lege ita cautum eſſet*, UTI QUISQUE LEGASSIT SUÆ REI, ITA JUS ESTO; nec non *Nov.* 22. *c.* 2. *pr. Sicut & antiquiſſima nobis Lex & prima pene Reip. Romanorum diſponens ait*, (*dicimus autem* Duodecim Tabularum) *ſecundum antiquam & Patriam linguam ita dicens*, UTI LEGASSIT QUISQUE DE SUA RE, ITA JUS ESTO. Paulus vero JC. verba ejusdem in *l.* 53. *D. de V. S.* ita exprimit: *At cum dicitur*, SUPER PECUNIÆ TUTELÆVE SUÆ, *tutor ſeparatim ſine pecunia dari non poteſt.* Et denique plenius Ulpianus *Tit.* XI. §. 14. *Teſtamento quoque nominatim tutores dati confirmantur eadem Lege* XII. *Tabb. his verbis:* UTI LEGASSIT SUPER PECUNIA TUTELAVE SUÆ REI, ITA JUS ESTO. Ex quibus omnibus probabile eſt, dictum Legis XII. Tabb. caput plene ita conceptum fuiſſe: PATERFAMILIAS UTI LEGASIT SUPER PECUNIÆ TUTELÆVE SUÆ REI, ITA JUS ESTO. v. Balduin. *ad LL.* XII. *Tabb. c.* 29. Ræv. *ad dd. LL. c.* 18. Rittersh. *ad dd. LL. Claſſ.* III. *P.* I. *c.* II. J. Gothofr. ad *LL.* XII. *Tabb.* TAB. V. & *Prob. ad d. Tab.* 5.

II. Ajunt Decemviri PATERFAMILIAS; v. Cic. *dd. ll.* Filiusfamilias enim, qui in poteſtate parentis eſt, teſtamenti faciendi jus non habet: adeo ut, quamvis Pater ei permittat, nihilo magis tamen jure teſtari poſſit. *l.* 6. *pr. D. qui teſtam. fac. poſſ. pr. I. quib. non eſt permiſſ. fac. teſtam.* Neque fœ-

minis id permissum fuit; quæ calatis comitiis, quorum nullam communionem habebant, Gell. *L.* v. *c.* 19. nunquam testari poterant: per æs & libram vero tum demum poterant, si in tutela essent, & tutoris intercederet auctoritas. Ulp. *T.* xx. §. 15. Si enim in manum Viri convenissent, capite deminutæ & filiarumfam. loco erant, & proinde testandi facultatem non habebant. v. Cl. Schulting. *ad Ulp. d. l.* Donec Jure novo id mutatum, omnibusque fœminis sui juris concessum, ut libere testari possent, dummodo annum duodecimum complevissent. *l.* 5. *D. qui testam. fac. poss.*

III. Uti legaSit; i. e. *legarit* seu *legaverit*, Cic. *de Inv.* *L.* 11, *c.* 50. Veteres enim pro litera R. utebantur litera S. v. *l.* 2. §. 36. *D. de O. J.* Cic. *ad Fam.* *L.* ix. *Ep.* 21. Quintil. *Inst. Or.* *L.* 1. *c.* 4. Unde & in iisdem xii. Tabulis *eSit* seu *escit* pro *erit*, *nuncupaSit* pro *nuncuparit*, *occentaSit* pro *occentarit*, nec non *excantaSit* & *incantaSit* pro *excantarit* & *incantarit*, posita sunt.

IV. *Legandi* autem verbo usi sunt Decemviri sensu latiori, ut id de *Legato* non tantum in specie sic dicto accipiendum sit, sed omnem omnino dispositionem significet testamentariam. Latissima enim eo verbo potestas Testatori tributa est, heredes scil. instituendi, legata & libertates dandi, ut & tutelas constituendi: uti aperte docet Pomponius in *l.* 120. *D. de V. S.* Quo sensu latiori hoc verbum etiam posuit Liv. *L.* 1. *c.* 3. dum de *Proca* Albanorum Rege disserens ait: *Numitori, qui stirpis maximus erat, regnum vetustum Sylviæ gentis* legat; nec non Cic. *Ep. ad Octav.* dum de eo agens inquit: *Qui tanquam in dotali matrimonio Remp. testamento* legatam *sibi obtineret.* Neque hoc loco tantum generale verbum adhibitum, sed solenne id Decemviris fuit, ut verbis uterentur sensus latioris, uti ex sequenti in eodem hoc capite voce *pecuniæ*, nec non *tigni*, v. *l.* 1. §. 1. *D. de tign. junct.* §. 29. *I. de R. D.* & *emendi*, manifestum est. v. *l.* 29. §. 1. *D. de stat. lib.* add. *l.* 23.

l. 23. §. 1. *D. de liberal. cauſ.*

V. SUPER PECUNIÆ TUTELÆVE; *d. l.* 53. *D. de V. S.* ὑπερχαυκῶς pro *ſuper pecunia tutelave.* Ulp. *d. T.* XI. §. 14. Quemadmodum & Ulp. Græco more loquens genitivum pro ablativo poſuit in *l.* 50. §. 2. *D. de leg.* 3. in verbis: *Puto & de eo ſenſum caſu, quo* curæ & tutelæ liberetur; nec non Papinianus in *l.* 11. §. 5. *D. ad L. Falcid.* in verb. *Ut longe* plus habeat quartæ *paternæ hereditatis;* ut & Marcianus in *l.* 3. §. 1. *D. ad L. Corn. de ſic.* in verb. *Ejusdem legis* pœnæ afficitur. vid. Cujac. ad *l.* 28. *D. de V. S.* Rittersh. *ad LL.* XII. *Tab. Claſſ.* III. *P.* I. *c.* II. J. Gothofr. *ad dd. LL. Prob. ad Tab.* 5.

VI. *Pecuniæ* autem verbum iterum latiori ſenſu poſitum, ut non tantum ſignificet pecuniam numeratam, uti in *l.* 7. §. 3. *D. ad SCt. Maced.* vel res fungibiles, uti in *l.* 30. *pr. D. de leg.* 1. *l.* 2. §. 3. *D. de reb. cred.* ſed & res alias omnes, quæ ſunt in patrimonio; v. *l.* 5. *D. de V. S.* tam ſoli, quam mobiles, tam corpora, quam jura. v. *l.* 222. *D. de V. S.* A qua diſtinguitur *Tutela*, quia ſeparata hæc eſt ſpecies, neque ſub *pecuniæ* appellatione contineri poteſt. Ubi notabilis eſt obſervatio Pauli in *l.* 53. *D. de V. S.* disjuncta ſcil. heic pro conjunctis accipienda: ut cum dicitur *pecunia tutelave*, perinde ſit, ac ſic in lege ſcriptum eſſet *pecunia tutelaque;* quia *tutor ſeparatim ſine pecunia dari non poteſt.* Quod tamen non ita accipiendum, quaſi tutor in teſtamento nulli dari poſſit, niſi heredi inſtituto, nam & exheredato a patre dari poſſe certum eſt: *l.* 4. *l.* 26. §. *ult. l.* 31. *D. de teſt. tut.* ſed hoc ſenſu, quod tutor in teſtamento dari non poſſit, niſi ſimul *ſuper pecunia legatum*, i. e. aliquis heres inſtitutus ſit; quia teſtamenta vim ex inſtitutione heredis accipiunt, & ob id veluti caput atque fundamentum intelligitur totius teſtamenti heredis inſtitutio. §. 34. *I. de legat.* Ulp. *T.* XXIV. §. 15. Ut ille, cui tutor datur, heres inſtituatur, neque Lex, neque JCtus Paulus exigit.

VII.

VII. SUÆ REI; i. e. patrimonii sui. *Res* enim, (cujus generalis cæteroquin & latior quam *pecuniæ* est significatio, *l.* 1. *in f. D. de R. C. l.* 5. *pr. l.* 23. *D. de V. S.*) ubi de Testamentis & successionibus agitur, fere patrimonium seu hereditatem denotat. Terent. *Phorm. Act.* II. *Sc.* III. ỳ. 46. *At si talentum* rem *reliquisset decem;* ibidemque Donat. *More Romanorum, apud quos hereditas pecunia erat.* Papin. *l.* 77. §. 19. *D. de leg.* 2. Filia mea præcipiat, sibique habeat, volo, rem matris suæ. *Fructus, quos medio tempore pater percipiet, nec in separato habuit, sed absumsit, vel in suum patrimonium convertit, non videntur filiæ relicti.* Scæv. *l.* 89. §. 1. *D. eod. Qui* indivisam *cum fratre suo* rem *habebat, filias suas heredes instituit, & ita cavit* &c. nec non in *l.* 85. *D. de C. & D. Titia heredis instituti liberos habentis filii fidei commisit, uti* rem ejus universam restitueret *filiis ejus, liberisve eorum.* African. *l.* 26. *D. de bon. libert. Liberto octoginta habenti fundus quadraginta legatus est: is, die cedente legati, decessit extraneo herede instituto. Respondit, posse patronum partem debitam vindicare; nam videri defunctum mortis tempore* ampliorem habuisse rem centum, *cum* hereditas *ejus propter computationem legati pluris venire possit.* Ubi *rem centum*, hereditatem seu patrimonium centum millium sestertium significare, tum ex verbis sequentibus, tum ex §. 2. *I. de success. libert.* manifestum est.

VIII. Addita autem sunt verba *suæ rei*, quia de iis tantum, quæ *sui* seu proprii patrimonii sunt, disponere licet, non de alienis; v. *N.* 22. *c.* 2. *pr. l.* 8. §. 3. *D. de jur. codicil.* adeoque non tam ad *Tutelam*, quæ jus principaliter in personam continet, §. 1. *I. de tutel.* §. 4. *I. qui testam. tut. dar. poss.* (licet per consequentiam etiam ad res pupilli pertineat, *l.* 12. §. 3. *D. de adm. tut.*) quam *Pecuniam*, referenda sunt. v. Rittersh. *ad LL.* XII. *Tabb. Cl.* III. *P.* 1. *c.* 11. Quo sensu si dicta verba accipiantur, neque intricatiori alia expositione, neque incommoda interpunctione, ut scil. conjunctim legatur *suæ rei ita jus esto.*

esto. de qua vid. Vin. ad *pr. I. de Leg. Falc. n.* 2. neque transpositione, ut legatur *pecuniæ*, *reive*, *tutelæve suæ.* neque *rei* (cujus in verbis Legis XII. Tabb. mentionem expresse factam uno ore testantur Pomponius, *l.* 120. *D. de V. S.* Ulpianus, *T.* XI. §. 14. nec non Imp. Justinianus, *pr. I. de Leg. Falcid. N.* 22. *c.* 2. *pr.*) expunctione opus est.

IX. Ita jus esto. Quæ Justinianus, *d. N.* 22. *c.* 2. *pr.* & Theoph. ad *pr. I. de Leg. Falcid.* eleganter vertunt νόμος ἔστω; quandoquidem ultima voluntas Testatoris legitima *l.* 23. §. 1. *in f. C. de legat.* pro Lege servanda est. *d. N.* 22. *c.* 2. *pr.* Cic. *Phil.* 11. *c.* 42. *In publicis nihil est Lege gravius; in privatis firmissimum est Testamentum.*

X. Cum vero hac Lege latissima disponendi potestas Testatori data esset, ex eaque haud pauca nascerentur incommoda, sensus ille Legis amplissimus postea interpretatione coangustatus est, vel Legum, vel auctoritate Jura constituentium. *l.* 120. *D. de V. S.* Et quidem quantum ad *Leges* attinet, restricta est liberrima *legandi* seu testandi potestas per Legem *Papiam*, *Æliam Sentiam*, *Fusiam Caniniam*, *Furiam*, *Voconiam*, nec non *Falcidiam*, a P. Falcidio Tr. pl. A. U. C. 714. latam. Dion Cass. *L.* XLVIII. *p.* 377. Qua cautum, ne plus legare liceat, quam dodrantem totorum bonorum, i. e. ut sive unus heres institutus sit, sive plures, apud eum eosve quarta pars remaneat. *l.* 1. *pr. D. ad L. Falcid. pr. I. eod.* Quam, siquidem totam adhuc possideat hereditatem, jure Retentionis heres deducere; Caj. *L.* II. *T.* VIII. *l.* 73. §. *ult. D. l. pen. C. ad L. Falcid.* vel, si in possessione Legatorum jam sint Legatarii, *vindicare*, *l.* 26. *pr. D. l. pen. C. eod.* vel *Actione in factum*, *l.* 77. §. 2. *D. de leg.* 2. vel etiam *Interdicto Quod Legatorum* agere potest. *l.* 1. §. 2. *D. quod legator.*

XI. Sed quid si juste dubitetur, quia v. c. legata sunt conditionalia, vel metus subest æris alieni latentis, an Lex Falcidia locum habeat? an & hoc casu heres jure Retentio-

 nis

nis uti poteſt? Et poſſe dicendum eſt: niſi Legatarii datis fidejuſſoribus caveant, ſeſe, ſi poſtea apparuerit Legi Falcidiæ locum eſſe, id, quod amplius legatorum nomine ceperint, quam per Legem Falcidiam liceat, reddituros. *l.* 1. §. 16. *l.* 45. §. 1. *l.* 73. §. 2. *& ſeqq. D. ad L. Falcid. l.* 1. *pr.* §. 4. 7. 9. 11. *l.* 3. §. 1. *l.* 4. *l.* 5. *D. ſi cui plus quam per Leg. Falcid.*

XII. Quam ſatisdationem omnes præſtant Legatarii & Fideicommiſſarii: *l.* 3. §. 4. *D. ſi cui plus quam per Leg. Falcid.* exeptis paucis, quibus illa ſpeciali jure remiſſa eſt.

XIII. Qualis eſt I. Fiſcus, qui tamen perinde ac ſi caviſſet conveniri poteſt. *d. l.* 3. §. 5.

II. Qui ſatisdationem non facile præſtare poſſunt. *l.* 6. *D. eod.*

III. Qui annua legata ad diſtribuendum præcipere juſſi ſunt, a quibus vetatur cautio exigi *ceſſantium partes reddi. l.* 7. *D. eod.*

Nec non IV. ex hoc *Reſcripto* DIVORUM FRATRUM, quod (ut & alia, v. Diſſert. v. *pr.* §. 14. Diſſert. x. *pr.* §. 2.) *L.* LXXIX. *ad Ed.* notavit Ulpianus, quibus minuta alimenta relicta ſunt. *l.* 3. §. 4. *D. eod.*

XIV. Præmittunt Impp. *Non eandem cauſam eſſe decem aureorum, quos annuos tibi teſtamento* Pompejæ Criſpianæ *patronæ tuæ relictos proponis, atque fuit alimentorum & veſtiarii libertis relictorum.* Alii habent, *Si non eadem*, ſed ſenſu incommodo; neque ulla ratio eſt, ob quam à lectione codicis Florentini recedendum ſit. Non enim utique eadem cauſa eſt x. aureorum in alimenta relictorum, & alimentorum veſtiariique cæteris libertis ſimpliciter relictorum, cum alimenta veſtiariumque ſeu veſtitus, v. *l.* 4. *l.* 12. *l.* 13. *l.* 18. *D. de alim. leg. l.* 8. §. 12. *D. de tranſact.* decem aureorum quantitatem longe excedat, ac proinde heres, ſi eorum nomine ſatiſdandum non eſſet, & legatarii poſtmodum non eſſent ſolvendo, magnum damnum ſentire poſſet.

XV.

XV. Adeoque subjiciunt: *Quibus propterea cautionis onus remittendum exstimavimus.* Scil. *decem aureis*, de quibus consulti erant Impp. τὸ *quibus* enim, uti quibusdam visum est, ad libertos, quorum proxime facta mentio, referri nequit: tum propter rationem præmissam, & verbum *propterea*; tum quia liberti, quibus alimenta & vestiarium Patrona legaverat, ab onere satisdationis non sunt immunes. Omnes enim legatarii & fideicommissarii, cujuscunque dignitatis sint & conditionis, hac satisdatione cavere necesse habent: *l.* 3. §. 4. 5. *D. si cui plus quam per Leg. Falc. lic. leg. esse dic.* nisi singulari jure excepti sint, quos inter non inveniuntur, quibus alimenta & vestiarium majoris momenti legata sunt. Ut autem minutis alimentis, v. c. *decem aureis*, onus satisdationis remittatur, rationis est; minuta enim talia alimenta relinquuntur fere pauperibus, quibus, cum fidejussores invenire nequeant, satisdatio remittitur, *l.* 6. *D. cui plus quam per Leg. Falc. lic. leg. esse dic.* neque habet, quod queratur heres, cum per remissionem satisdationis, ratione x. aureorum, non multum oneretur.

XVI. Cujacius quidem *ad l.* 5. *D. de V. O.* in hoc nostro Rescripto pro *propterea*, legendum censet *Prætoriæ:* sed contra fidem omnium codicum, neque quicquam obstat, quod a lectione Pandectarum Florentinarum abire nos cogat. Licet enim satisdatio hæc *cautio* vocetur *Prætoria* in *l.* 32. §. 2. *D. ad L. Falcid.* non tamen ex eo recte infertur, pro *propterea* hic restituendum esse *Prætoriæ*, imo contra ratio præmissa τὸ *propterea* hic exigere videtur.

XVII. Quod si tamen legato soluto postmodum appareat Legi Falcidiæ locum esse, quin possit heres, si velit, partem a Legatario repetere, dubium non videtur. Cum & qui cavere sibi poterat, si non caverit, indebitum solutum repetere possit, *l.* 39. *D. de condict. indeb.* & Fiscus, qui etiam non satisdat, perinde conveniri possit, ac si cavisset; *l.* 3. §. 5. *D.*

si cui plus quam per Leg. Falcid. lic. leg. esse dic. quod merito ad alios extenditur: arg. *l.* 10. *l.* 12. *D. de LL.* dummodo heres in facto errans solverit, *l.* 1. §. 11. *D. ad L. Falcid. l.* 9. *C. eod.* vel si sciens solvat ea conditione tradat, ut, si Falcidia emerserit, reddatur. *l.* 2. *pr. D. de condict. indeb.* Si quis enim, sciens vires hereditatis omnesque circumstantias, integra legata simpliciter solverit, Legi Falcidiæ tacite renunciasse videtur, *l.* 9. *C. ad L. Falcid.* ut & si solvens in jure erraverit; *d. l.* 9. *l.* 10. *C. de jur. & fact. ign. l.* 6. *l.* 7. *C. de condict. indeb. l.* 9. *pr. D. de jur. & fact. ign.* quia in jure errans pro sciente habetur. *l.* 10. *D. de bon. poss. l.* 9. §. 3. *D. de jur. & fact. ign. l.* 48. *pr. D. de fidejuss.*



DIS-

DISSERTATIO DECIMA TERTIA.

Ulpianus *Libro ſeptuageſimo nono ad Edictum.*

SI quis filium habeat ſui juris, & ex eo nepotem in poteſtate ſua, conſequenter erit dicendum, ſi nepos Patris ſui emancipati accipiat bonorum poſſeſſionem, de conferendis ſuis quoque bonis cavere eum debere, & eſſe ſimilem ei, qui adoptavit; hoc enim DIVI FRATRES reſcripſerunt, ut ad collationem Avus compellatur. Plane eodem Reſcripto adjectum eſt ſic: *Niſi forte Avus iſte nullum ex his bonis fructum acquirere vult, paratusque eſt de poteſtate nepotem dimittere, ut ad emancipatum omne emolumentum bonorum poſſeſſionis perveniat.* Nec idcirco ea filia, quæ poſt emancipationem nata patri heres extitit, juſte queri poterit, [inquit] quod eo facto collationis commodo excluditur: cum Avo quandoque defuncto, ad bona ejus ſimul cum fratre poſſit venire. Hæc in patre adoptivo ratio reddi non poteſt: & tamen & ibi [idem] dicemus, ſi ſine dolo malo emancipaverit. *l. 5. pr. D. de collat.*

I. *Emancipatum in bona Patris emancipatoris Jure Civili, ſecundum* L. XII. Tabb. *nihil juris habere.* II. *Sed* Prætorem *ei ſubveniſſe dando* Bonorum poſſeſſionem. III. *Ita tamen, ut emancipati ea, quæ a patre acceperunt, conferre debeant.* IV. V. VI. *Si* Titius *Avus, filium habens* Mævium, *& ex eo nepotem* Sempronium, *filium* Mævium *emancipaſſet, nepotem* Sempronium *vero in poteſtate retinuiſſet, filius autem emancipatus* Mævius *poſt emancipationem filiam procreaſſet* Titiam, *& inteſtatus deceſſiſſet, Nepotem* Sempronium *ad Bonorum poſſeſſionem patris* Mævii *una cum Sorore* Titia *admitti, & Nepotem* Sempronium *bona Sorori conferre debere, ſeu Avum* Titium, *qui ſimilis eſt ei, qui*

adoptavit. VII. *Quæ comparatio quomodo procedere possit?* VIII. *Et quænam limitatio adhibenda?* IX. X. XI. *Scrupuli removentur.* XII. *An hoc Rescriptum Jure novo adhuc usum habeat?*

I. Cum *liberi emancipati* ex potestate & familia exeant patris, ac proinde extraneorum numero sint, *l.* 55. §. 1. *D. de R. N.* §. 3. *I. de her. qual. & diff.* neque Pater Jure Civili, si testamentum faciat, *emancipatos* instituere cogitur vel exheredare; §. 3. *I. de exher. lib.* neque *emancipati*, si Pater intestatus decedat, in bona paterna quicquam juris habent. §. 9. *I. de hered. quæ ab intest.* Intestatorum enim hereditates ex Lege XII. Tabb. primum ad *suos* heredes, &, si nemo *suus* heres existat, ad *consanguineos* & *agnatos* proximos pertinent. §. 1. *I. de hered. quæ ab intest. pr. I. de leg agn. success. l.* 1. §. 9. *D. de suis & leg. her.* Quæ ex vestigiis antiquæ lectionis, quæ apud Ulp. *Fragm. T.* XXVI. §. 1. & Auct. *Collat. Leg. Mos. & Rom. T.* XVI. §. 4. supersunt restituta, hoc modo exhibetur a J. Gothofr. *ad LL.* XII. *Tabb. Tab.* V. *c.* 2. & *Not. ad d. T.* V. *c.* 2. AST SINTESTATO MORITUR, CUI SVS HERES NEC ESCIT, AGNATUS PROXIMUS FAMILIAM HABETO. SI AGNATUS NEC ESCIT, GENTILIS FAMILIAM HERES NANCITOR. Quin enim locus Ulp. apud Auct. *Coll. Leg. Mos. & Rom. d.* §. 4. mendosus, & τὸ HANC ex prioribus literis verbi NANCITOR (cum forte non plene legeretur) ortum sit, indubium videtur. add. Cl. Schulting. ad Ulp. *d. l.*

II. Sed Prætor naturali æquitate (quam semper ante oculos habebat, v. *l.* 1. *pr. D. de min. l.* 1. *pr. D. de pec. const.*) motus, emancipatis subvenit, dando iis ex bono & æquo *Bonorum Possessionem*, *pr. in f. I. de bon. poss.* & quidem *Contra tabulas*, si pater testatus sit, liberosque emancipatos in testamento præterierit, §. 3. *I. de exher. lib.* §. 2. *I. de bon. poss. Unde Liberi* vero, si intestatus decesserit. *d.* §. 2. Licet enim Prætor

tor *heredem* proprie facere non possit, *pr. I. de bon. poss.* quia *heredem* facere est *dominum* facere, §. *ult. I. de hered. qual.* Fest. *in voc. Heres.* Plaut. *Menechm. Act.* III. *Sc.* II. ℣. 12. quod in potestate non erat Prætoris; v. *l. ult.* §. 3. *C. de jur. dom. imp.* eo ipso tamen, dum Liberis emancipatis concedit Bonorum Possessionem, eos *velut* heredes facit, *l.* 1. *D. de possess. her. pet. l.* 2. *D. de bon. poss.* & loco heredum constituit. *d. pr. in f. I. de bon. poss.*

III. Ne tamen *Emancipatos* ad Bonorum Possessionem admittendo, & participes hereditatis paternæ cum *suis* faciendo, *suis* injuriam faceret, Jus *Collationis* simul introduxit Prætor, quo Emancipati, qui appetunt bona paterna, bona sua iis, qui tempore mortis in potestate sunt Patris, conferre coguntur. *l.* 1. *l.* 10. *D. de collat.*

IV. Unde cum, temporibus DIVORUM FRATRUM, *Titius* Avus v. c. filium habens *Mævium*, & ex eo Nepotem *Sempronium*, Filium *Mævium* emancipasset, Nepotem vero *Sempronium* in potestate retinuisset; Filius autem emancipatus *Mævius* post emancipationem filiam procreasset *Titiam*, & intestatus decessisset, consulti sunt Impp. An Nepos *Sempronius* ad Bonorum Possessionem Patris *Mævii*, una cum sorore *Titia*, admittendus sit? & an admissus bona sua sorori conferre cogatur?

V. Et quidem quantum ad prius attinet, rescripserunt Impp. Nepotem *Sempronium*, qui in potestate Avi *Titii* mansit, & respectu Patris *Mævii* loco emancipati & extranei est, simul cum sorore *Titia*, post emancipationem Patris nata, ad Bonorum Possessionem *Unde Liberi* admittendum esse. *h. n. l.* 5. *l.* 6. *D. si tab. test. null. extab. und. lib. l.* 4. *D. de conj. cum eman. lib. l.* 7. *D. de bon. poss. contr. tab.* Cum & rei æquitas, & causa Edicti, quo de bonorum Possessione liberis danda cavetur, efficiat, ut ejus ratio habenda sit, uti idem, qui auctor est *l. n.* 5. ait Ulp. *d. l.* 6. *si tab. test. null. ext. und. lib.* Bono-

norum enim Possessio *Unde liberi* ex naturali æquitate a Prætore non tantum concessa est iis, qui sunt in potestate, sed etiam liberis emancipatis, quique in familia non sunt, perinde, ac si in potestate parentis mortis tempore fuissent; §. 9. *I. de hered. quæ ab intest.* quia, licet emancipati sint, nihilominus liberi sunt, manetque vinculum naturæ & sanguinis, quod nullo Jure Civili dirimi potest. *l.* 8. *D. de R. J. l.* 4. *D. si tab. testam. null. ext. und. lib. l.* 10. §. 5. *D. de grad. & aff.*

VI. Ex qua admissione Nepotis *Sempronii* ad Bonorum Possessionem, secundum prædicta, ultro fluit decisio Quæstionis posterioris: ac proinde similiter placuit, Nepotem *Sempronium*, qui ad bonorum possessionem admittitur, per eamque particeps desiderat esse bonorum paternorum, etiam conferre debere; *h. n. l.* 5. *l.* 6. *D. si tab. test. null. ext. d. l.* 4. *D. de conj. cum emancip lib.* sed cum sui juris non sit, verum in potestate Avi *Titii*, Avum *Titium*, qui per nepotem bonorum possessionis emolumentum acquisiturus est, ad conferenda bona sua obstrictum esse. *dd. ll.* Similis enim est hic Avus ei, qui adoptavit, is autem, qui in adoptiva familia est, conferre cogitur, hoc est non ipse, sed is, qui eum in potestate habet, uti idem docet Ulp. in *l.* 1. §. 14. *D. de collat.*

VII. Quæ tamen comparatio quemadmodum procedere possit, non satis constat. Cum filius adoptivus, qui eo tempore, quo pater naturalis moritur, in potestate est alterius, neque Jure Civili, neque Jure Prætorio, patri naturali succedere possit. §. 10. 12. *I. de her. quæ ab intest.* Et sane vix est, ut cum ratione Juris conciliari possit, nisi *d. l.* 1. §. 14. restringatur ad casum, quo filius adoptivus a patre naturali, qui alium filium præteriit, testamento heres institutus est; quo casu ille institutus, beneficio præteriti, etiam bonorum possessionem contra tabulas petere potest. Licet enim, qui heres scriptus est, ad bonorum possessionem contra tabulas

non

non vocetur, aliud tamen dicendum, si alius committat Edictum; *l.* 3. §. 11. *D. de bon. poss. cont. tab.* quo casu res ad causam intestati redibat. Idque de Adoptivis in specie monuit idem Ulp. in *l.* 8. §. 11. *D. de bon. poss. cont. tab.* dum ait: *In adoptionem datos filios non summoveri Prætor voluit, modo heredes instituti sint; & hoc justissime eum fecisse* Labeo *ait, nec enim in totum extranei sunt. Ergo si fuerunt heredes scripti, accipient contra tabulas bonorum possessionem, sed ipsi soli non committunt Edictum, nisi fuerit alius præteritus ex liberis, qui solent committere Edictum.* Quin & id ita accipiendum esse, ex ipsa confirmatur *l.* 1. §. 14. *D. de collat.* quandoquidem ibidem addit Ulp. patrem adoptivum, si ante petitam bonorum possessionem, filium sine fraude emancipaverit, ad collationem non teneri: atqui constat filium post patris naturalis mortem emancipatum, Bonorum possessionem *Unde liberi*, vel *Contra tabulas* testamenti patris naturalis petere non posse. §. 9. 12. 13. *I. de hered. quæ ab intest.* v. Bach. *ad Tr. V.* 11. *D.* XVII. *th* 3. *lit. F.* Vin. *de Collat. C.* IV. *n. ult.*

VIII. Plane dicta de collatione ab Avo *Titio* facienda non indistincte procedunt, sed & hic limitatio locum habet, ab ipsis DIVIS FRATRIBUS eodem Rescripto subjecta, uti constat ex ejus fragmento, quod hisce verbis conceptum *h. n. l.* 5. nobis exhibet Ulp. *Nisi forte Avus ille nullum ex his bonis fructum acquirere vult, paratusque est de potestate Nepotem dimittere, ut ad emancipatum omne emolumentum bonorum possessionis perveniat.* add. *l.* 6. *D. si tab. test. null. extab. l.* 4. *D. de conj. cum em. lib.* Ubi tum idem Ulp. tum Modestinus ejusdem limitationis mentionem faciunt.

IX. Neque contrarius est Ulpiano Modestinus, dum in *d. l.* 4. non DIVOS FRATRES, sed *Divum Marcum* rescripsisse refert. Vel enim dicendum, & Divos Fratres simul, & postea Divum Marcum, cum solus præesset imperio, per se (uti & alibi factum, §. 6. *I. de excus. tut.*) ita rescripsisse;

T vel,

vel, quod & probabilius videtur, *Divos* quidem *Fratres* de eo simul rescripsisse, sed id tamen a Modestino soli *D. Marco* adscribi, quia, licet uterque imperio praeesset, solus tamen D. Marcus administravit Remp. ab eoque omnia tum consilia, tum Constitutiones profectae sunt. vid. supr. Dissert. I. §. 33. *& seqq.*

X. Sed nonne injuria fit sorori *Titiae*, dum Avo potestas conceditur emancipandi Nepotem, cum ita soror commodo collationis, ab Avo caeteroquin faciendae, privetur. Et sane sic videri poterat; ac proinde Ulp. hunc scrupulum merito eximit, dum ad hoc Rescriptum ita notat: *Nec idcirco ea filia, quae post emancipationem nata patri heres extitit, juste queri poterit, quod eo facto collationis commodo excluditur, cum Avo quandoque defuncto ad bona ejus simul cum fratre possit venire.* Quod totidem verbis repetit in *l.* 6. *D. si tab. testam. null. extab. unde lib.*

XI. Sed & addit denique Ulp. *Haec in Patre Adoptivo ratio reddi non potest, & tamen & ibi idem dicemus, si sine dolo malo emancipaverit.* add. *l.* I. §. 14. *D. de collat.* Licet enim, ubi eadem ratio est, idem etiam jus sit, *l.* 32. *pr. D. ad L. Aquil. l.* 10 *l.* 12. *D. de LL.* non tamen statim a contrario inferre licet, ubi ergo ratio diversa est, ibi idem jus esse non posse. Qualia argumenta a contrario non semper procedunt. v. *l. ult.* §. 5. *C. de bon. quae lib.* junct. *l. pen. C. qui testam. fac. poss. l.* 2. *C. de cond. insert. l.* 2. *C. rer. amot.* junct. *l.* 36. *D. de O. & A. l.* 12. *C. ex quib. caus. infam. irrog. l.* 4. *D. de cur. fur. l.* 4. §. I. *l. ult. pr. D. de fidej. & nominat. l.* I. *C. de her. tut.*

XII. Sed dicta secundum jus antiquum locum habebant. Jure novo vix est, ut decisio legis nostrae 5. *de collat.* usum habere possit. Tum quia per liberos, qui in potestate sunt, parentibus indistincte amplius non acquiritur; v. *pr. I. per quas pers. cuique acq. l.* 6. *l.* 7. *l.* 8. *C. de bon. quae lib.* tum quia differentia, quae quoad jus succedendi ab intestato inter *eman-*

emancipatos & *ſuos* olim obtinebat, Jure novo ſublata eſt, *N.* 118. *c.* 1. ut talis nepos nunc etiam Jure Civili Patri ſuccedere poſſit, ac proinde, ſi quid a patre acceperit, etiam conferre cogatur. *l.* 17. *l. pen. C. de collat.* Add. Bach. ad *Tr.* v. 11. *D.* XVII. *th.* 3. *lit. F.*



DISSERTATIO DECIMA QUARTA.

Ulpianus *Libro undecimo ad Legem* Juliam & Papiam.

DIVI FRATRES in hæc verba reſcripſerunt : *Comperimus a peritioribus dubitatum aliquando , an nepos contra tabulas aviti liberti bonorum poſſeſſionem petere poſſit , ſi eum libertum pater patris , cum annorum viginti quinque eſſet , capitis accuſaſſet ? Et* Proculum *ſane non levem juris auctorem in hac opinione fuiſſe , ut nepoti in hujusmodi cauſa non putaret dandam bonorum poſſeſſionem. Cujus ſententiam nos quoque ſecuti ſumus , cum reſcriberemus ad libellum* Cæſidiæ Longinæ. *Sed &* Voluſius Mæcianus *amicus noſter , ut & Juris Civilis , præter veterem & bene fundatam peritiam , anxie diligens , religione Reſcripti noſtri ductus , ſicut coram nobis affirmavit , non arbitratum ſe aliter reſpondere debere. Sed cum & ipſo* Mæciano , *& aliis amicis noſtris juris peritis adhibitis , plenius tractaremus , magis viſum eſt , nepotem neque verbis , neque ſententia Legis aut Edicti Prætoris , ex perſona vel nota patris ſui excludi a bonis aviti liberti. Plurium etiam juris auctorum, ſed &* Salvii Juliani , *amici noſtri , clariſſimi viri , hanc ſententiam fuiſſe. l. 17. pr. D. de jur. patron.*

I. II. *Caſus de quo conſulti ſint Impp.* III. *Quinam* Fratres *ſint* Quintilii ? IV. *In* d. l. 17. *delendum eſſe* τὸ Patris. V. *Quæ ratio fuerit dubitandi ?* VI. Proculum *nepotem ad bonorum poſſeſſionem non admiſiſſe , idque Impp. aliquando ſecutos eſſe.* VII. *Quis ſit* Proculus ? *& an a* Licinio Proculo *diverſus ?* VIII. *In verſ.* Sed &c. *pro* arbitratum *ſcriptum videri* arbitratus. IX. *Quis ſit* Mæcianus ? X. XI. *Quan-*

Quanto honore Principes JCtos *affecerint?* XII. Divos Fratres *sententiam mutasse.* XIII. *Non tamen temere.* XIV. *Neque sine justa ratione.* XV. *Quis sit* Julianus? XVI. *Examinantur rationes dubitandi.* XVII. *Mutationem sententiæ, ob justam causam factam, non adscribendam esse vitio & inconstantiæ.*

I. Ad caput de *Bonorum Possessione* pertinet etiam elegantissimum DIVORUM FRATRUM Rescriptum, quod ex ejusdem Ulpiani *Libr.* XI. *ad* L. Jul. & Pap. superest in *d. l.* 17. *D. de jur. patr.*

II. Casus autem, de quo consulti sunt Impp. talis est: *Titius* v. c. avus, filium habens *Mævium*, & ex eo nepotem *Sempronium*, *Stichum* servum manumittit; *Mævius* filius, cum annis viginti quinque major esset, libertum *Stichum* per calumniam capitis accusat; Libertus *Stichus*, mortuo *Mævio* Patroni filio, testamentum condit, in eoque, liberos non habens, præterito nepote Patroni *Sempronio*, heredem instituit *Cajum* extraneum: Quæsitum, an Patroni nepos *Sempronius* præteritus contra Tabulas aviti liberti bonorum possessionem petere possit? Et rescripserunt DIVI FRATRES, mutata sententia, quam ante secuti fuerant, posse.

III. Ait Ulp. DIVI FRATRES *in hæc verba rescripserunt:* Nobilissimis scil. fratribus *Quintiliis*, uti idem tradit Ulp. in *l.* 16. §. 4. *D. de bon. libert.* Qui similiter simpliciter *Quintilii* vocantur in tabula marmorea apud Gruter. *Inscript. p.* 126. sed plene dicti sunt *Quintilius Cardianus* seu *Gordianus* vel potius *Condianus*, & *Sextus Quintilius Maximus*, teste Dione Cassio, *L.* LXXI. & ex eo Xiphilino, nec non Fastis Consularibus ad A. U. C. 903. post N. C. 151. simulque, uti ex iisdem constat, Consules fuere & Præsides, doctrinæ, scientiæ rei militaris, concordiæ æterna laude dignissimi, & divitiarum gloria celebres. Ob quam causam etiam, (licet a-

lium prætextum referat Lamprid. *in Commod. c.* 4.) juſſu immaniſſimi Tyranni Commodi, una ſtrangulati & extincti ſunt. v. Dion Caſſ. ſeu Xiphil. *Epit. L.* LXXII.

IV. *Comperimus a peritioribus dubitatum aliquando, an nepos contra tabulas aviti liberti bonorum poſſeſſionem petere poſſit, ſi eum libertum pater patris, cum annorum viginti quinque eſſet, capitis accuſaſſet.* Sic legitur in Codice Florentino; ſed vocem *Patris* in quibusdam MSS. deeſſe, teſtis eſt ad *h. l.* 17. Charondas, eamque expungendam, neque ſine ratione, monet Vir ſummus Cuj. *L.* IV. *O. c.* 13. Quæſtio enim non eſt propoſita de caſu, quo ipſe Avus *Titius* libertum accuſavit, ſed quo filius ejus *Mævius*, ſeu pater nepotis *Sempronii* libertum reum fecit: uti non tantum conſtat ex *l.* 16. §. 4. *D. de bon. libert.* ubi idem Ulp. a DIVIS FRATRIBUS ita reſcriptum docet, *ſi patroni filius libertum paternum capitis accuſaverit*, ſed & ex ipſis verbis Reſcripti noſtri, quæ cauſæ deciſionem continent, manifeſtum eſt; dum ſcil. in fine dicitur, *magis viſum eſſe* nepotem *neque verbis, neque ſententia Legis aut Edicti Prætoris, ex perſona vel nota* patris *ſui, a bonis aviti liberti excludi.* Neque movet, quod, ſi τὸ *Patris* deleatur, ejusdem rei repetitio fiat, *h. l.* 17. § 1. quandoquidem prorſus probabile eſt, Ulpianum prius quæſtionem ejusque deciſionem ex Juliani ſententia propoſuiſſe, & deinceps eam ſubjecto Reſcripto DIVORUM FRATRUM probaſſe & confirmaſſe, ac proinde rationem ordinis in deſcribendo hoc loco ex Ulpiani *Libro* XI. *ad Legem* Juliam *&* Papiam,, uti & alibi, neglectam eſſe. v. *l.* 7. junct. *l.* 6. §. 1. *D. de ſerv. export.*

V. Ratio dubitandi autem haud dubie fuit, quod inter cauſas, ob quas Jus Patronatus amittitur, etiam referatur, ſi quis Patronus libertum, vel patroni filius libertum paternum, cum annis 25. major eſt, capitis accuſaverit. *l.* 9. §. 1. *l.* 10. *D. de jur. patron. l.* 14. *pr.* §. 1. *D. de bon. libert.* Accedit, quod filio exheredato etiam nepotes ex eo a bonorum poſ-

ſeſ-

ſeſſione liberti aviti excludantur, *l.* 38. *pr. D. de bon. libert. d. l.* 16. §. 4. *D. de bon. libert.* nec non, quod ſi quis contra Legem Æliam Sentiam ad jurandum libertum adegerit, nihil juris habeat nec ipſe, nec liberi ejus. *l.* 15. *D. de jur. patr.* Ut adeo Bonorum poſſeſſio contra tabulas, quæ non competit filio, neque nepoti competere poſſe videatur.

VI. *Et* Proculum *ſane non levem juris auctorem in hac opinione fuiſſe, ut nepoti in hujusmodi cauſa non putaret dandam bonorum poſſeſſionem. Cujus ſententiam nos quoque ſecuti ſumus; cum reſcriberemus ad libellum* Cæſidiæ Longinæ. Non tantum enim de eo dubitatum, ſed & egregius JCtus *Proculus* in ea fuit ſententia, ut nepotem ad Bonorum poſſeſſionem hoc caſu non eſſe admittendum cenſeret, cujus ſententiam, auctoritate ejus moti, ipſi aliquando ſecuti ſunt noſtri Impp.

VII. Eſt autem hic *Proculus* idem cum *Proculo* JCto, qui Nervæ ſucceſſit, & plene *Sempronius Proculus* dictus eſt, uti aperte vocatur in *l.* 47. *D. de leg.* 2. in Pandectis Florentinis; ac proinde a *Licinio Proculo*, qui temporibus Othonis Præfectus fuit Prætorio, v. Tac. *L.* 1. *Hiſt. c.* 46. 82. 87. *L.* 11. *Hiſt. c.* 33. 39. uti contra Bertrand. *de JCtis, L.* 1. *c.* 5. recte ſtatuunt Rupert. *ad l.* 2. §. *ult. D. de O. J.* & G. Grot. *de Vit. JCtor. L.* 11. *c.* 2. nec non alio, quem inter Conſiliarios Alexandri Imp. (ſi tamen locus ſanus eſt) refert Lamprid. *in Alexandr. c.* 68. diverſus. Quem merito Divi Fratres *non levem* dicunt *Juris auctorem*, i. e. JCtum, v. Vell. Pat. *L.* 11. *c.* 26. *l.* 2. §. 13. *D. de O. J. l.* 1. *pr.* §. 1. *C. de comm. ſerv. man.* Cuj. *L.* VII. *O. c.* 25. quandoquidem hic ſeſe *C. Caſſio Longino* magnæ auctoritatis JCto, a quo *Caſſiani* nomen habuere, auſus eſt opponere, v. *l.* 11. §. *ult. D. de juriſd. l.* 40. *pr. D. de hered. pet. l.* 7. §. 7. *D. de A. R. D.* plurimumque ſuo tempore potuit, teſte Pomponio, in *l.* 2. §. *ult. D. de O. J.* ut ſententia ejus ſententiæ *Caſſii* ſæpe fuerit prælata, v. *l.* 1. §. 1. *D. contr. emt.* §. 2. *I. de emt. vend. l.* 3. §. *ult.* junct. *l.* 4. *D. mand.* §. 8 *I. de*

ead.

eod. l. 14. pr. D. de jur. codicill. Ulp. *T.* XI. *§. ult.* junct. *pr. I. quib. mod. tut. fin.* sectatoresque Labeonis ab eo *Proculejani* dicti sint. *d. l. 2. §. ult. D. de O. J.*

VIII. *Sed &* Volusius Mæcianus *amicus noster, ut & Juris Civilis, præter veterem & bene fundatam peritiam, anxie diligens, religione Rescripti nostri ductus, sicut coram nobis affirmavit, non arbitratum se aliter respondere debere.* Alii habent, *religione Rescripti nostri ductus est, ut coram nobis affirmaverit, non arbitratum se aliter respondere debere.* Sensu sane meliore. Nisi forte scriptum sit, *religione rescripti nostri ductus, sicut coram nobis affirmavit, non* arbitratus *se aliter respondere debere*, quod a Codice Florentino minus recedit.

IX. *Mæcianus* autem, cujus pro humanitate sua honorificam mentionem faciunt Impp. plene dictus est *L. Volusius Mæcianus*, Capit. *in Ant. Pio, c. 12.* Quo, ut & Vinidio Vero, Salvio Valente, Ulpio Marcello, nec non Javoleno, in jure sanciendo usus est Antoninus Pius, Capit. *d. l.* Præceptore vero, cum juri studeret, & Consiliario Imp. noster Marcus; Capit. *in Marco Aur. Ant. c. 3. h. n. l. 17.* v. supr. Diss. 1. §. 26. a quo & Alexandriæ est Præfectus, ibidemque, quod spe participatus Avidio Cassio consenserat, ab exercitu ignorante Imp. Marco interemtus. Vulcat. Gallic. *in Avid. Cass. c. 7.* Ut adeo *Metianus* vel male inter consiliarios Alexandri referatur apud Lamprid. *in Alexand. c. 68.* vel hic noster ab illo altero diversus sit.

X. Vocant Divi Fratres *Mæcianum* suum *Amicum*, uti & paulo post *Julianum* aliosque JCtos. Solebant enim Principes eos, quos in interiorem familiaritatem admittebant, & in consilio habebant, interque eos & JCtos, honoris causa, non tantum *Amicos* appellare, v. *l. 1. C. de sent. pass. l. 1. §. 3. D. de appell. l. ult. D. de off. Præf. vig. l. 1. C. si mancip. ita ven. l. 4. C. de contr. stip. l. 4. C. de jur. & fact. ign.* & *Carissimos*, v. *l. 6. D. ad L. Jul. de vi publ. l. 2. D. ad SCt. Silan. l. 87. §. 3. D. de leg. 2.*

de leg. 2. *l.* 1. §. *ult. D. de quæst.* infr. Diss. XVIII. §. 11. sed & *Fratres*, v. Cassiod. *in form. Rect. prov. L.* VI. *Var. N.* 121. *in fin.* imo *Parentes*, *l.* 4. *C. de loc. cond. l.* 6. *C. Th. de ann. l.* 1. 2. *C. Th. de Ep. jud. l.* 2. *C. Th. de pact.* & *Parentes Carissimos; l.* 1. 2. *C. Th. de Ep. jud. d. l.* 2. *C. Th. de pact.* quia tales tanquam *patres* (uti de *Patriciis* loquitur Imp. Justinianus, *l. ult. C. de consul.* §. 4. *I. quib. mod. patr. pot. solv. N.* 81. *præf.*) sibi eligebant, & patrum loco honorabant. Quo pertinet illud Claudiani in Eutrop. *L.* II. ỳ. 68. 69.

—— *Præsidium legum* Genitorque *vocatur*
Principis.

Nec non elegans jocus ejusdem in *Prolog. in L.* II. *in Eutr.* ỳ. 48. 49.

Direptus quid plangis opes? quas natus *habebit*,
Non aliter poteras Principis *esse Pater*.

Quo salse significat, Eutropium æquo animo adversum fortunæ casum bonorumque suorum publicationem ferre debere, cum ea ad filium ejus, Principem scil. cujus ipse *Pater* vocatus erat, pervenissent add. Casaub. *ad Spart. Hadr. c.* 18. Salmas. *ibid.* & ad Treb. Poll. XXX. *Tyr. c.* 12. Briss. *de Form. L.* III. *p.* 297. 312. 314. 315.

XI. Non tantum vero DIVI FRATRES *Mæcianum Amicum* suum vocant, sed & aliud, & quidem pulcherrimum, ei tribuunt elogium, dum addunt: *Ut & Juris Civilis, præter veterem & bene fundatam peritiam, anxie diligens;* testantes, eum non solum Juris Civilis, sed & antiquitatum, aliarumque bonarum artium scientia ornatum, ac instructum fuisse: sine qua vix est, ut quis strenui JCti nomen tueri possit. Cum enim plurima ejus sint generis, ut cognitio & decisio eorum ab intellectu antiquitatum, vocum proprietate, ipsa-

que rerum natura & substantia pendeat, earum rerum notitiam non tantum utilem JCto, sed & necessariam esse, res ipsa loquitur. Apposite ad hanc rem Cic. *L.* 1. *de Or. c.*43. *Accedit vero, quo facilius percipi cognoscique Jus Civile possit, (quod minime plerique arbitrantur) mira quædam in cognoscendo suavitas & delectatio. Nam, sive quem aliena studia delectant, plurima est, & in omni jure Civili, & in Pontificum libris, & in* XII. *tabulis, antiquitatis effigies, quod & verborum prisca vetustas cognoscitur, & actionum genera quædam, majorum consuetudinem, vitamque declarant. Sive quis civilem scientiam contempletur, quam Scævola non putat Oratoris esse propriam, sed cujusdam ex alio genere prudentiæ, totam hanc descriptis omnibus Civitatis utilitatibus ac partibus contineri videbitis: sive quem ista præpotens & gloriosa Philosophia delectat, (dicam audacius) hosce habet fontes omnium disputationum suarum, qui jure Civili & legibus continentur.* Eoque pertinet, quod Plato *in Cratylo* ait: ὃς ἂν τὰ ὀνόματα εἰδῇ, εἴσεται καὶ τὰ πράγματα, *qui rerum nomina novit, etiam ipsas res facile pernoscet;* nec non, quod teste Epicteto olim dixit Socrates: τὴν τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψιν τῆς Παιδείας εἶναι ἀρχὴν, *nominum contemplationem eruditionis esse principium.* Unde & ab Antiquitatis literarumque reconditarum peritia *Aristonem* laudat Plin. *L.* 1. *Ep.* 22. dum ait: *Quam peritus ille & privati juris & publici! quantum rerum! quantum exemplorum! quantum antiquitatis tenet! Nihil est, quod discere velis, quod ille docere non possit: mihi certe, quoties aliquid abditum quæro, ille thesaurus est.* Nec non *Antistium Labeonem* Gellius, qui *Noct. Att. L.* XIII. *c.* 12. refert, eum *legum atque morum populi Romani jurisque Civilis doctum apprime fuisse, & ratum pensumque nihil habuisse, nisi quod justum sanctumque esse in Romanis antiquitatibus legisset;* & ejusdem *Libr.* XIII. *c.* 10. sequenti encomio ornat: Labeo Antistius *juris quidem Civilis disciplinam principali studio exercuit, & con-*

consulentibus de Jure publice responsitavit ; cæterarum quoque bonarum artium non expers fuit : & in Grammaticam sese ac Dialecticam, litterasque antiquiores altioresque penetraverat ; Latinarumque vocum origines rationesque percalluerat : eaque præcipue scientia ad enodandos plerosque juris laqueos utebatur.

XII. Et in hac quidem sententia primum fuere Divi Fratres ; sed postea, re penitius inspecta & ponderata, aliud ipsis statuendum visum est, uti ipsi porro subjiciunt, dum pergunt: *Sed cum & ipso* Mæciano, *& aliis amicis nostris Jurisperitis, adhibitis, plenius tractaremus, magis visum est, nepotem neque verbis, neque sententia Legis, aut Edicti Prætoris, ex persona vel nota patris sui excludi a bonis aviti liberti.*

XIII. Non itaque temere sententiam mutarunt, sed consilium secuti sunt Cic. *L.* 1. *de Off. c.* 41. docentis: *Non alienum esse, ad deligenda ea, quæ dubitationem afferunt, adhibere doctos vel etiam usu peritos, aliorumque judicio permulta facienda & non facienda, mutanda & corrigenda esse.* Quod & optimum censuit Augustus, qui, priusquam Codicillos introduceret, convocavit sapientes viros, interque eos Trebatium, cujus tum maxima erat auctoritas, ex iisque quæsivit, an posset recipi, nec absonans a juris ratione Codicillorum usus esset? *pr. I. de codicill.* nec non Alexander, qui nullam constitutionem sancivit sine viginti Juris peritis, & doctissimis ac sapientissimis viris, iisdemque disertissimis, non minus quinquaginta, Lampr. *in Alexandr. c.* 16. ut & Theodosius, qui nullam Legem promulgari voluit, nisi ab omnibus antea proceribus Palatii & Senatu de ea esset tractatum, &, cum omnes in eam consensissent, in consistorio esset recitata, *l.* 8. *C. de legib.* aliique, qui, in condendo sanciendoque jure, Senatus & JCtorum auctoritate & consilio, plerumque usi sunt. (v. Capit. *in Anton. Pio, c.* 12. *l.* 20. §. 6. *l.* 22. *D. de pet. her. l.* 16. *D. de sponsal. l.* 32. *pr.* §. 2. *D. de don. int. vir. & ux.* Briss. *Ant. L.* 1. *c.* 16.

V 2 XIV.

XIV. Sed & justissima intercedit ratio, quæ mutationem illam sententiæ prioris requirit. Jus enim Patronatus non tantum Patrono competit in libertum, sed & ad omnes ejus liberos pertinet: *pr. I. de assign. libert.* §. 3. *I. de success. libert.* Ulp. *T.* XXIX §. 4. ratio autem Justitiæ & æquitatis non patitur, ut filius ferat iniquitatem patris sui; Ezech. XVIII. ỳ. 20. Deut. XXIV. ỳ. 16. Jerem. XXXI. ỳ. 30. II Reg. XIV. ỳ. 5. 6. nam unusquisque ex suo admisso sorti subjicitur, nec alieni criminis successor constituitur, uti iidem DIVI FRATRES, teste Callistrato in *l.* 26. *D. de pœn.* rescripserunt Hieropolitanis: ibique pœna esse debet, ubi noxia est, ut peccata suos teneant auctores, nec ulterius progrediatur metus, quam reperitur delictum. *l.* 22. *C. de pœn.* Unde & in eadem hac causa, si quis libertum ad jusjurandum adegit, *ne uxorem ducat, ne nubat*, ipsum Patronum in jus vocari posse, filium vero ejus, qui innocens est, non posse, plerisque placuisse, docet Ulp. in *l.* 8. §. 2. *D. de in jus voc.* Quin imo jura libertorum liberis, cum pater eorum perduellionis erat damnatus, salva esse, Divus Severus & Antoninus benignissime rescripserunt, sicut & alia causa punitorum liberis jura libertorum salva sunt, uti auctor est Marcianus in *l.* 4. *D. de jur. patron* add *l.* 9. *D. ad L. Jul. Maj. l.* 5. *C. de obseq. par. & patr. præst.* Quibus ultimo loco accedit consensus Juliani, aliorumque Juris auctorum, quorum eandem fuisse sententiam in fine Rescripti monent Impp. dum subjiciunt: *Plurium etiam Juris auctorum, sed & Salvii Juliani, amici nostri, clarissimi viri, hanc sententiam fuisse.*

XV. Qui Salvius Julianus proavus fuit Imperatoris Didii Juliani, si credimus Spart. *in Did. Julian. c.* 1. successor Javoleni, v. *l.* 2. §. *ult. in fin. D. de O. J. l.* 5. *D. de man. vind.* Præfectus Urbi, bis Consul, & Prætor, Spart. *d. l. d. l.* 5. *l.* 36. *D. de sol.* & Hadriano a Consiliis; Spart. *in Hadr. c.* 18. summus auctor Juris scientiæ, *l.* 15. *C. de usufr.* maximæ auctori-


tatis

tatis & existimationis, *l. 10. C. de condict. indeb. l. 5. C. de bon. quæ lib.* Edictique Perpetui sublimissimus conditor & ordinator. *l. 2. §. 18 C. de vet. jur. enucl. d. l. 10. C. de condict. indeb.* Ut mirum non sit, DIVOS FRATRES eum *Amicum suum* vocare & *Virum Clarissimum*, quo titulo Magistratus majores ac JCtos ornatos esse constat ex *l. 1. §. 2. D. de reb. eor. qui sub tut. l. 3. C. si adv. rem jud. l. 3. C. de proc. l. 1. C. si ex fals. instrum. l. 2. C. si adv. fisc.* v. Briss. *de Form. L. III. p.* 296. & jam supra monitum §. 10.

XVI. Neque aliud exigunt rationes dubitandi §. 5. exhibitæ. Licet enim filius, qui libertum paternum capitali judicio reum fecit, jus patronatus amittat, & a bonorum possessione contra tabulas liberti excludatur, *l. 9. §. 1. l. 10. D. de jur. patron. l. 14 pr. D. de bon. libert.* non tamen hoc ideo (uti ex dictis apparet) ad nepotem extendendum est. Neque exheredato filio nepotes simpliciter a bonorum possessione liberti excluduntur; sed distinguitur, ut vivo filio, donec in potestate ejus liberi manent, non admittantur ad bonorum possessionem, per rationem, *Ne, qui suo nomine a bonorum possessione summoventur, per alios eam consequantur:* sin autem emancipati a patre fuerint, vel alio modo, puta morte patris, sui juris sint effecti, sine aliquo impedimento ad bonorum possessionem admittantur. *l. 11. l. 38. pr. D. de bon. libert.* Quantum vero ad *l. 15. D. de jur. patr.* attinet, illa vel similiter (quoad bonorum possessionem) tantum procedit, quamdiu nepotes in potestate sunt; vel secundum *l. 8. §. 2. D. de in jus voc.* accipienda, ut sc. si quis ad jurandum libertum adegit, liberique ejus rei sint conscii ac participes, nihil juris habeat nec ipse nec liberi ejus: sed si liberi plane sint innocentes, a jure patronatus non excludantur.

XVII. Ut adeo mutatio illa sententiæ prioris non tantum inconstantiæ non sit adscribenda, neque DIVIS FRATRIBUS vel *Mæciano* vitio vertenda, sed contra vel maxime laudan-

da. Sano enim consilio utitur, qui malum revocat, uti est in proverbio; neque levitatis est, vel turpe, cum re consilium mutare, uti sapienter monet Sen. *L.* IV. *de Benef. c.* 38. quemadmodum & Julianus *l.* 19. §. 5. *in f. D. ad SCt. Vellej.* Scævola, v. *l.* 25. §. 6. *D. de usufr.* junct. *l.* 23. §. 3. *D. de A. R. D.* Ulpianus, v. *l.* 92. *D. de C. & D.* §. 3. *C. de em. Cod.* Papinianus, v. *l.* 7. junct. *l.* 6. §. 1. *D. de serv. export. l. ult.* §. 3. *C. de furt.* Augustinus, v. *Libri* ejusdem *Retract.* aliique Viri egregii, meliora docti, a priori sententia recedere nunquam erubuerunt. v Cuj. Tr. IV. *ad Afric. p.* 1336. *in f.* 11. *Obs.* 37. J. Gothofr. ad *l.* 75. *D. de R. J.*



DIS-

DISSERTATIO DECIMA QUINTA.

Marcianus *Libro Tertio Decimo Institutionum.*

IN fraudem Civitatum manumissi ad libertatem non veniunt, ut Senatus censuit. §. 1. Sed nec in fraudem Fisci datas libertates procedere, Principalibus Constitutionibus cavetur. Sed DIVI FRATRES rescripserunt: *Non utique, si debitor Fisci manumiserit, libertates impediuntur; sed ita, si, cum non erat solvendo, in fraudem manumisit. l.* 11. *pr.* §. 1. *D. qui & a quib. man. lib. non fiunt.*

I. *Ex natura Dominii potestatem fluere disponendi de rebus suis.* II. *Sed id non uno casu limitari.* III. *Debitorem Fisci manumittere posse.* IV. *Nisi id in fraudem factum sit.* V. *Quando lata sit* Lex Ælia Sentia? *& quid ea cautum?* VI. *Qua occasione cautum*, ne manumittere liceat in fraudem creditorum? VII. *Prohibitam eo capite manumissionem fraudulentam, non tantum quæ in testamento, sed & eam, quæ inter vivos fiebat.* VIII. *Quales creditores sint, etiam non interesse.* IX. X. *Quid sit* manumittere in fraudem creditorum? XI. *Casum tamen in ipsa* Lege Ælia Sentia *exceptum esse, quo, qui solvendo non est, servum in testamento heredem instituit necessarium, ex quo nemo alius heres extitit.* XII. *Eamque exceptionem locum habere, licet libertas in testamento nominatim data non sit.* XIII. *Si contra* Legem Æliam Sentiam *fiat, nihil agi.* XIV. XV. XVI. *Ad dubia respondetur.* XVII. *Et limitatio subjicitur.*

I. Ex natura quidem Dominii libera fluit de rebus suis disponendi potestas domino competens, v. Grot. *de Jur. Bell. ac Pac. L.* II. *c.* VI. §. 1. ut nihil tam conveniens sit naturali æqui-

æquitati, quam voluntatem Domini de re sua disponentis ratam haberi; §. 40. *I. de R. D.* quippe qui rei suæ moderator est & arbiter, uti ait Constantinus in *l.* 21. *C. mand.* ac proinde etiam servis suis libertates, tum inter vivos, tum in ultimis voluntatibus, dare potest. *pr.* §. 1. *& seqq. I. de libertin.* §. 2. *I. de sing. reb. per fideic. relict.*

II. Non pauci tamen sunt casus, quibus potestas illa restricta est, &, licet quis dominus sit, res tamen suas alienare, servosque manumittere nequit: *t. t. I. quib. alien. lic. vel non lic. t. t. D. qui & a quib. man. lib. non fiunt. t. t. I. qui & ex quib. caus. man. non poss.* quos inter est, de quo, auctore *Marciano L.* XIII. *Inst.* (cui etiam debemus eorundem Rescriptum, quod extat in *l.* 57. §. 1. *D. de R. N.* v. supr. Dissert. IX. *pr.* §. 2.) rescripserunt DIVI FRATRES, si scil. Dominus servos manumittat in fraudem creditorum. *h. n. l.* 11. §. 1. *pr. I. qui & ex quib. caus. man. non poss.*

III. Ajunt Imperatores: *Non utique, si debitor Fisci manumiserit, libertates impediuntur;* licet enim omnia bona (& proinde etiam servi) debitoris fisci Fisco pignori sint obligata, *l.* 2. *C. in quib. caus. pign. vel hyp. tac. contr.* non tamen hoc impedit, quo minus talis debitor servos manumittere possit. Multum enim interest, an bona debitoris generaliter, an vero servus specialiter pignori obligatus sit. Si bona generaliter, veluti privilegio Fisci, obligantur, servus sine dubio pleno jure debitoris est, & justam libertatem ab eo consequi potest; *l.* 29. *pr. D. qui & a quib. man. l. pen. D. in quib. c. pign. vel hyp. tac. contr. l.* 3. *C. de serv. pign. dat. man.* sed si servus pignoris jure specialiter traditus est, vel obligatus, libertas ei dari nequit. *dd. ll.* Quemadmodum &, quantum ad hanc ipsam causam attinet, Severus & Antoninus in *l.* 2. *C. de serv. pign. dat. man.* aperte rescripserunt: *Libertas* (inquiunt) *a debitore Fisci servo data, qui pignori non est ex conventione speciali, sed tantum privilegio Fisci obligatus, non aliter infirmatur, quam*

si

si hoc fraudis consilio effectum detegatur.

IV. *Sed ita, si, cum non erat solvendo, in fraudem manumisit.* Quod enim præmissum, debitorem Fisci manumittere posse, ita demum procedit, si *Lex Ælia Sentia* non impediat libertatem, id est, si solvendo sit, nec ob id creditores videantur fraudari. *d. l. 29. pr. D. qui & a quib. man. lib. non fiunt. d. l. 3. C. de serv. pign. dat. man.*

V. Quæ Lex lata est sub Augusto, *S. Ælio Cato* & *C. Sentio Saturnino* Coss. A. U. C. 756. post N. C. 4. v. Dion Cass. *L.* LV. variaque habuit capita, v. Dion Cass. *d. l.* Suet. *in Aug. c.* 40. Ulp. *T.* 1. §. 11. *& seqq.* Caj. *l. L.* 1. *T.* 1. §. 5. *& seqq. l.* 16. §. 2. *l.* 29. *pr. l.* 31. *l.* 32. *pr.* §. 1. 2. *D. qui & a quib.* junct. *l.* 6. *l.* 15. *D. de jur. patr. pr.* §. 4. *I. qui & ex quib. caus. man. non poss. l.* 33. *D. de bon. lib.* junct. *l.* 6. *pr. D. de agn. & al. lib.* & inter ea saluberrimum illud ratione creditorum & patronorum, quo cautum: *Ne quis debitor, qui solvendo non est, creditorum vel patronorum fraudandorum causa, manumittat; d. l. 16. §. 2. l. 29. pr. D. qui & a quib. man. pr. l. qui & ex quib. caus. man. non poss.* Ulp. *T.* 1. §. 15. Caj. *l. L.* 1. *T.* 1. §. 5. 6. ne scil. alteri per alterum iniqua conditio inferatur. *l. 74. D. de R. J.*

VI. Cum enim olim Servi libertatem assequerentur honestatis ac probitatis merito, successu temporis Domini potestate sua in servis manumittendis abuti cœperunt, servosque sæpenumero pessimos ad libertatem perduxerunt. Egregie Dion. Hal. *L.* IV. *c.* 28. *Assequebantur autem libertatem plurimi gratis, honestatis ac probitatis merito: (atque hæc manumissionis optima est ratio) pauci autem numerato pretio, quod labore per jus & fas conquisissent. At non ita nostro tempore; sed talis est rerum confusio, & sic ad sordes & ignominiam degeneravit Romanorum probitas, ut nonnulli e latrociniis, parietum perfossionibus, prostitutionibus, omnibusque aliis sceleribus, pecunia collecta libertatem redimant, statimque se Romanos faciant. Alii conscii dominis & socii veneficiorum, homicidiorum,*

facinorumque, tum contra Deos, tum contra Remp. susceptorum, eam ab illis gratiam recipiunt. Quidam ideo manumittuntur, ut acceptum e publico frumentum menstruum, & si qua aliæ liberalitates in egenos cives conferuntur a principibus, dent his, a quibus facti sunt liberi: alii per herorum levitatem gloriam inde captantium. Scio, qui tota servitia testamento libera esse jusserunt, ut benignitatis laudem ferrent post obitum, & in funeris elatione lecticam eorum magna pileatorum prosequeretur frequentia: in qua pompa quidam erant, ut a scientibus audivi, recens dimissi ex carcere malefici, mille supplicia commeriti. Accedebant causæ aliæ minus honestæ, nec non æris alieni, ut scil. per manumissiones credito suo fraudarentur creditores. v. Tacit. *Ann. L.* XV. *c.* 55. Quapropter Augustus nimiam illam manumittendi licentiam restringendam ac coercendam censuit, idque sese suisque temporibus adeo dignum credidit, ut inter mandata extrema, quæ Tiberio Senatuique & populo Romano dedit, ejus quoque rei curam commendaverit; de quo ita Dion Cass. *Libr.* LVI. *p.* 591. *Quarto* (scil. Libro) *præcepta ac consilia Tiberio ac Reip. data, interque alia ne multos manumitterent, ne nimirum varia turba urbs impleretur: neve multos jure civitatis donarent, quo videlicet ipsi multa haberent suis subditis potiora.*

VII. Prohibita autem hoc nostro capite *Legis Æliæ Sentiæ* manumissio in fraudem creditorum, non tantum, quæ fit testamento, uti quibusdam visum est, sed &, quæ inter vivos facta est. Non enim distinguitur in ipsa *Lege Ælia Sentia;* v. *l.* 16. *§.* 2. *D. qui & a quib. man. lib. non fiunt. pr. I. qui & ex quib. caus. man.* non etiam distinguunt DIVI FRATRES in hoc nostro Rescripto; neque distinguunt Ulp. *T.* I. §. 15. & Caj. *I. L.* I. *T.* I. *§.* I. neque Justinianus. *d. pr. I. qui & ex quib. caus. man.* Ratio quoque prohibendi utrobique eadem est: imo, prohibitionem illam ad manumissionem etiam inter vivos pertinere, aperte docent *l.* 5. *§.* 2. *l.* 6. *l.* 10. *D.*

qui

qui & a quib. man. l. 5. *C. qui manum. non poss.* Neque ad rem facit, quod Tacit. *Ann. L.* xv. *c.* 55. refert: *Scevinum* libertatum & pecuniarum in servos collatarum hanc rationem reddidisse; *quia tenui jam re familiari, & instantibus creditoribus, testamento diffideret.* Ex quo utique, libertates inter vivos in fraudem creditorum datas subsistere, inferri nequit; cum possit quis inter vivos tuto manumittere, si animum fraudandi non habeat, & tenui jam re familiari testamento diffidere, eo quod vereatur, ne heres institutus hereditatem suspectam adire recuset, ac proinde testamentum destituatur, nihilque ex eo effectum habeat. v. Cl. Schult. ad Caj. *I. L.* 1. *T.* 1. §. 5.

VIII. Quales etiam Creditores sint non interest; *Creditores* enim hic intelliguntur, quibus quacunque ex causa actio cum fraudatore competit. *l.* 16. §. 2. *D. qui & a quib. man. lib. non fiunt. l.* 10. *l.* 11. *l.* 12. *pr. D. de V. S.* Sive Creditores privati sint, sive Civitates, sive Fiscus; *h. n. l.* 11. *pr.* §. 1. *l.* 45. §. 3. *D. de jur. fisc.* sive dies solvendæ pecuniæ jam cesserit, sive in diem, vel sub conditione (excepto tamen legato) sit debitum: ut & inter Creditores Fideicommissarii numerandi sint. *l.* 27. *pr. D. qui & a quib. man. l.* 1. *C. qui man. non poss.*

IX. *In fraudem* vero *Creditorum manumittere* videtur, qui vel jam eo tempore, quo manumittit, solvendo non est, vel qui datis libertatibus desiturus est solvendo esse; *l.* 10. *D. qui & a quib. man.* §. 3. *I. qui & ex quib. caus. l.* 1. *C. qui man. non poss.* quia solvendo nemo intelligitur, qui solidum, quod debet, solvere non potest. *l.* 114. *D. de V. S.* Dummodo consilium fraudis, hoc est animus manumittentis, & eventus damni suum recipere volentium sequatur. *d. l.* 1. *d* §. 3. Solus eventus non sufficit; *Fraudis* enim interpretatio semper in jure Civili non ex eventu duntaxat, sed ex consilio quoque desideratur: *l.* 79. *D. de R. J.* & sæpe bona fide de facultatibus suis amplius quam in his est sperant homines. *d.* §. 3. *I.*

qui & ex quib. caus. Quod frequenter iis accidit, qui transmarinas negotiationes, & aliis regionibus, quam in quibus ipsi morantur, per servos & libertos exercent; quod sæpe adtriti istis negotiationibus longo tempore id ignorant. *l.* 10. *D. qui & a quib. man.* Licet enim quidam, interque eos Gajus *d. l.* 10. solum eventum spectandum censerent, Julianus tamen, aliique, utrumque & consilium & eventum exigebant; *l.* 15. *D. quæ in fraud. cred.* §. 3. *I. qui & ex quib. caus.* quorum sententia prævaluit ac probata est: *d.* §. 3. *l.* 1. *C. qui man. non poss.* nisi fideicommissaria data sit libertas, quo casu solum eventum inspici obtinuit. *l.* 4. §. 19. *D. de fideic. lib. l. ult. C. qui man. non poss.*

X. Quin & amplius utrumque & consilium & eventus in ejusdem creditoris personam concurrere debet. *d. l.* 15. *D. quæ in fraud. cred.* Si quis enim, cum haberet v. c. *Titium* creditorem, & sciret se solvendo non esse, libertates dederit testamento, deinde dimisso *Titio* postea *Sempronium* creditorem habere cœperit, & eodem manente testamento decesserit, libertates ratæ manent, etsi hereditas solvendo non sit; quia adversus posteriorem creditorem, qui fraudatur, consilium initum non est. Neque contrariatur Papinianus in *l.* 25. *D. qui & a quib. man.* dum ait: *In fraudem creditorum testamento datæ libertates, prioribus creditoribus dimissis, propter novos creditores irritæ sunt.* Non enim indistincte id locum habet, sed tum demum procedit, si pecunia posteriorum creditorum priores dimissi sint. Si enim debitor simpliciter, dimissis prioribus, quos fraudare voluit, alios postea sortitus est, secus est. *l.* 16. *l.* 10. §. 1. *D. quæ in fraud. cred.*

XI. Sed exceptus est in ipsa *Lege Ælia Sentia* casus, quo, qui solvendo non est, servum in testamento heredem instituit, ut liber fiat heresque necessarius, si modo ei nemo alius ex eo testamento heres extiterit. §. 1. *I. qui & ex quib. caus. man. non poss.* Necessitas enim manumissionem facit probabilem,

babilem, *l. 27. D. de man. test.* & profpiciendum erat, ut egentes homines, quibus alius heres extiturus non eſſet, vel fervum fuum neceſſarium heredem haberent, qui fatisfacturus eſſet creditoribus, aut, hoc eo non faciente, creditores res hereditarias fervi nomine vendant, ne *injuria*, i. e. contumelia defunctus afficiatur. §. 1. *I. qui & ex quib. cauſ.* add. *l. 23. D. quæ in fraud. cred. l.* 6. *D. de interr. in jur. fac.* Licet enim debitores, quorum bona venierunt, ex ea cauſa proprie non fiant infames, *l. 11. C. ex quib. cauſ. infam. irrog. l. ult. C. qui bon. ced. poſſ.* quin tamen pudor eorum per hoc oneretur, *l.* 28. *D. de reb. auct. jud. poſſ.* & opprobrio premantur ignominiæ, nemo negaverit. v. *N.* 135. *c.* 1. Cic. *pro Quint. c.* 15. *Cujus bona ex Edicto poſſidentur, hujus omnis fama & exiſtimatio cum bonis ipſis ſimul poſſidentur.* add. Tac. *Ann. L.* VI. *c.* 17.

XII. Quod non tantum procedit, fi Dominus fervum liberum & heredem eſſe juſſerit, fed &, fi fine libertate eum heredem inſtituerit: *l. pen. C. de neceſſ. ſerv. hered. inſt.* ubi Imp. Juſtinianus non tantum ratione Domini, qui folvendo non eſt, fed generaliter id conſtituit, non quidem per innovationem, quandoquidem Atilicino, Paulo, aliisque, jam ante fic placuerat; *pr. I. de hered. inſt.* fed nova tamen humanitatis ratione, quia primus per d. Conſtitutionem id fancivit. §. 2. *I. qui & ex quib. cauſ. man. non poſſ.*

XIII. Præter quem cafum exceptum, fi quis in fraudem creditorum fervos manumiſerit, libertates per *Legem Æliam Sentiam* impediuntur, *h. n. l.* 11. §. 1. *pr. I. qui & ex quib. cauſ. man. l.* 21. *D. de man. l.* 29. *pr. D. qui & a quib. man. l.* 83. *pr. D. de her. inſt.* i. e. fervi liberi fieri prohibentur, *l.* 27. *pr. D. eod.* ac proinde nihil agitur. *pr. I. qui & ex quib. cauſ. man. non poſſ. l.* 16. *pr. D. de jur. patr.* Quemadmodum ordinario, quod Lege prohibente factum eſt, ipſo jure nullum eſt, *l.* 5. *pr. C. de LL.* eodemque fenfu *Donatio inter conjuges impediri* dicitur, *l.* 5. §.

 8.

8. *ult. D. de don. int. vir. & ux.* nec non *Usucapio*, *l.* 8. §. 1. *D. ad L. Jul. rep.* ut & *Judicum datio*, *l.* 12. §. 2. *D. de jud.* aliaque, quæ legibus prohibentur.

XIV. Licet enim libertas in fraudem creditorum data per *Legem Æliam Sentiam rescindi*, *l.* 5. §. 2. *D. qui & a quib. man. lib. non fiunt.* & *revocari*, *l.* 1. *C. qui man. non. poss.* manumissusque in servitutem *retrahi* legatur, *l.* 24. *D. qui & a quib. man.* non tamen ex eo putandum, manumissionem ab initio ratam esse. Quandoquidem rescissio illa per Legem fit & ipso jure, non vero per Actionem; & *rescindi* non tantum dicuntur, quæ ab initio subsistunt, sed & quæ ipso jure nulla sunt. Sic enim *rescindi* dicitur *Venditio dolo & contra jus facta*; *l.* 5. *C. de resc. vend.* *l.* 9. *C. de præd. & al. reb. min. sin. decr. non alien.* sic *rescinduntur pacta, quæ contra jus inita sunt*; *l.* 7. §. 16. *D. de pact.* & sic denique, ut alia prætereamus, *Sententiæ sine appellatione rescindi* dicuntur, quæ ipso jure nullæ sunt. *t. t. D. quæ sent. sin. appell. rescind.* add. supr. Dissert. III. *C.* 1. §. 8.

XV. Non etiam aliud vult Paulus JC. in *l.* 1. §. 1. *D. de stat. lib.* dum docet, manumissos in fraudem creditorum fieri statu liberos; id enim contingit præter intentionem manumittentis. Ipsa manumissio nulla est, sed manumissi tamen fiunt statu liberi, eo scil. effectu, ut, si creditores re ipsa non fraudentur, libertatem consequantur, ut neque ipse manumissus, neque heredes ejus libertatem revocare possint; *l.* 5. *C. de serv. pign. dat. man.* *l.* 3. *D. qui & a quib.* quoniam fraus cum effectu in *Lege Ælia Sentia* accipitur. *d. l.* 1. §. 1. Quemadmodum &, si ususfructus extraneo cedatur, nihil agi dicitur, §. 3. *I. de usufr.* cum tamen præter intentionem cedentis contingat, ut ad proprietatem revertatur. *l.* 66. *D. de jur. dot.*

XVI. Neque tandem contrariatur, quod ad alias res, in fraudem creditorum vel patronorum alienatas, revocandas,

Actio.

Actione Pauliana, *l.* 1. *pr.* §. 1. *D. quæ in fraud. cred.* §. 6. *I. de act. l.* 38. §. 4. *D. de usur.* vel *Faviana* & *Calvisiana* opus sit; v. *l.* 1. *pr.* §. 5. 6. *& seqq. l.* 4. *l.* 3. §. 3. *D. si quid in fraud. patron. l.* 2. *C. eod.* quia manumissionis aliusque alienationis diversa plane ratio est: cum res aliæ, in fraudem creditorum alienatæ, rescissa traditione a possessoribus avocari possint, libertates autem semel cum effectu datæ revocari nequeant. *l.* 2. *C. de op. lib. l.* 9. §. *ult. D. de min.* §. 6. *I. qui & ex quib. caus. man.*

XVII. Quod si tamen in fraudem Fisci manumissus *diu* fuerit in libertate, in servitutem non revocatur, id est, si in eo statu non minus fuerit decennio. *l.* 16. §. 3. *D. qui & a quib. man. lib. non fiunt.* Quomodo *longum* & *diuturnum tempus* (quod cæteroquin variæ significationis est) etiam alibi accipi monitum supra Differt. IX. §. 8.



DIS-

DISSERTATIO DECIMA SEXTA.

Ulpianus *Libro secundo de Officio Consulis.*

DIVI FRATRES *Proculo* & *Munatio* rescripserunt: *Cum* Romulus, *de cujus statu quaeritur, pupillaris aetatis sit, an exigente* Varia Hedone *Matre*, *& consentiente* [Vario Hermete] *tutore, ad tempus pubertatis causa differenda sit, vestrae gravitatis est, ex fide personarum, quod utile est pupillo, constituere. l. 27. pr. D. de liberal. caus.*

I. II. *Si impuberibus de bonis simul & statu controversia fiat, subveniri ipsis* Edicto Carboniano. III. *A quo hoc Edictum nomen habeat?* IV. *Non tamen simpliciter concedi* Bonorum possessionem, *sed causa cognita.* V. VI. *Quid juris sit, si causa sit ambigua?* VII. *Et quid, si de statu tantum controversia fiat?* VIII. *Quinam sint* Proculus *&* Munatius? IX. *Quaenam aetas sit* pupillaris? X. *Quid sit* Quaestio status? XI. *Controversiam* Status *ad tempus pubertatis tum demum differri, si id pupillo expediat.* XII. *An hoc Jus hodie etiam usum habere possit.*

I. Cum inter pericula, quibus expositi sunt, qui pupillaris sunt aetatis, v. supr. Dissert. XI. §. 1. maximum & gravissimum sit, si non tantum ex liberis esse negentur, sed & servi esse dicantur, *l. 1. §. 5. D. de Carbon. Edict.* quippe quae controversia capitis accusationi proxima est, v. *l. 14. pr. D. de bon. libert.* merito iis, quibus Status quaestio movetur, singulari jure consulendum ac subveniendum visum est. v. *d. l. 1. §. 5. D. de Carbon. Edict.*

II. Si enim impuberibus, qui neque instituti, neque exheredati sunt, de bonis simul & statu controversia fiat, Bono-

rum

rum possessio ex *Edicto Carboniano* eis conceditur, & quæstio status in tempus pubertatis differtur. *l.* 1. *pr.* §. 5. 8. *l.* 3. §. 2. *l.* 6. §. 3. *l.* 7. §. 2. *D. eod.*

III. Quod, uti *Actio Publiciana* a Prætore *Publicio*, §. 4. *I. de act.* similesque a suis auctoribus, a *Carbone Prætore* haud dubie nomen habet, neque improbabiliter *Cn. Carboni* ter Consuli adscribitur a Cuj. *Parat. ad t. C. de Carb. Ed.* Quandoquidem is *Cn. Pompejum* (postea *Magnum* dictum) Cn. Pompeji Strabonis filium, admodum adolescentem, cum post mortem patris, ob interversam Prædam Asculanam, v. Plut. *in Pompej.* peculatus accusatus esset, de bonis paternis dimicantem in foro defendit ac protexit, auctore Val. Max. *L.* v. *c.* III *n.* 5. *L.* VI. *c.* II. *n.* 8. Ubi simul merito notat Pompejum, eo quod postmodum tanti beneficii non tantum immemor, sed & in Cn. Carbonem crudeliter fuerit ingratus. Cum enim L. Cornelius Sylla Remp. occupasset, Pompejumque contra Cn. Carbonem cum exercitu misisset, Cn. Pompejus Cn. Carbonem ex Africa in Siciliam cum multis claris viris profugum, atque inde in Cosyram fugientem, intercepit, cumque tum III. Cos. catenis vinctum sibi pro tribunali sedenti sisti passus, frustra sese obtestantem, post gravem pro concione invectionem damnavit, damnatumque interfici jussit. v. Val. Max. *d. l. L.* IX. *c.* XIII. *n.* 2. App. *de Bell. Civ. L.* I. Epit. Liv. *L.* LVIII.

IV. Non tamen simpliciter & temere iis conceditur Bonorum possessio, sed causa cognita; *l.* 1. *pr. D. de Carb. Ed.* summatim enim Prætor cognoscere debet: *l.* 3. §. 4. *D. eod.* &, si quidem manifestam calumniam, absolutamque causam invenerit, negare debet Bonorum possessionem Carbonianam. *d. l.* 3. §. 4. Qualis est v. c. si contra matrem impuberis jam judicatum sit, eam uxorem non fuisse, aut partum ab ea suppositum esse. *l.* 1. §. *ult. D. de Carb. Ed.* Non etiam, si pater dixerit vel scripserit filium ex adulterio conceptum, *l.* 1. §.

9. *D. eod.* vel mater id professa, *l.* 29. §. 1. *D. de prob.* adulteriive damnata sit. Cum longe alia ratio sit, si mater uxor non fuisse, vel partum supposuisse judicetur, alia, si adulterii damnata fuerit; quia filius legitimus dici nequit, qui vel suppositus, vel ex ea, quæ uxor non est, natus est: arg. *l.* 6. *D. de his qui sui vel alien. jur. sunt. l.* 5. *D. de in jus voc.* mulier vero adultera esse potest, & tamen filium concepisse ex suo marito, adeoque impubes defunctum patrem habere. *l.* 11. §. 9. *D. ad L. Jul. de adult.* v. supr. Differt. VII. §. 5.

V. Si vero ambiguam causam deprehendat, hoc est, vel modicum pro puero facientem, ut non videatur evidenter filius non esse, dabit ei Carbonianam bonorum possessionem, *d. l.* 3. §. 4. *D. de Carb. Ed.* & judicium in tempus pubertatis differetur: *l.* 1. *pr. D. l.* 1. *C. eod.* concessa interim administratione eorum tutoribus, qui pupillo alimenta non tantum præstant, sed & sumtus in studia, aliasque impensas necessarias pro modo facultatum. *l.* 5. §. 3. *l.* 6. §. 5. *D. eod.*

VI. Dummodo adversario pupilli nomine satisdetur de bonis restituendis, si appareat eum filium non esse. *d. l.* 1. *C. de Carb. Ed.* Si enim adversario non satisdetur, is, licet extraneus sit, (si enim ex liberis sit, semper simul mittitur, *l.* 5. *pr. D. eod.*) una cum pupillo in possessionem mittitur, *l.* 1. §. 1. *l.* 5. §. 2. *D. l.* 4. *C. de Carb. Ed.* ut ei satisdanti ipsa quoque administratio concedatur, vel, si nec ipse satisdederit, curator constituatur, per quem bona administrentur. *l.* 5. §. 1. 2. *D. eod.*

VII. Quod si vero de statu tantum controversia fiat, quod puta pupillus servus dicatur, non differetur status quæstio ex Edicto Carboniano, sed liberale judicium statim explicandum est. *l.* 6. §. 3. *D. de Carb. Ed.* Sed ex Constitutionibus tamen & hoc casu causa status, si hoc pupillo expedire videatur, ad tempus pubertatis differenda est. *l.* 3. §. 2. *D. de Carb. Ed.* Eoque pertinet Rescriptum DIVORUM

FRA-

FRATRUM, quod ex Ulp. *L. 11. de Off. Proc.* descriptum reperitur in *h. n. l. 27. D. de lib. causs.*

VIII. Ait Ulp. DIVI FRATRES Proculo & Munatio *rescripserunt*. Proculum hunc plene *Cornelium Proculum* dictum, eundemque cum *Cornelio Proculo* esse, cui D. Pius, *l. 7. D. qui satisd. cog.* nec non DIVI FRATRES rescripserunt in *l. 24. D. de tut. & cur. dat.* patremque habuisse *Claudium Proculum*, qui sub D. Hadriano Prætor fuit, & ad quem Hadrianus rescripsit in *l. 1. §. 14. D. de ventr. in poss. mitt.* filiam vero *Proculam*, quæ sub Commodo vixit, cujus quæstio de fideicommisso, adversus fratris sui heredes, extat apud Papinianum in *l. 26. D. de prob.* & ad quam D. *Marcus* & *Verus* rescripserunt in *l. 11. §. 23. D. de leg. 3.* eumque Consulem fuisse cum *Munatio*, arg. *h. n. l. 27.* Proconsulem vero Africæ sub Divo Pio, *l. 5. §. 1. D. de jur. immun.* tradit Bertrand. *de Jurisperit. L. 1. c. 5.* & quidem eundem hunc nostrum cum *Cornelio Proculo* esse, ad quem Rescriptum D. Marci & Veri extat in *l. 24. D. de tut. & cur. dat.* v. supr. Dissert. XI. §. 11. Consulemque cum *Munatio* fuisse, vero simile est. Licet enim nulla horum Coss. in fastis Consularibus fiat mentio, suadet tamen id ipsum tum inscriptio *l. n. 27.* ex qua Rescriptum hoc nostrum ad officium Consulum pertinere manifestum est; tum ipsum Rescriptum in verbis *Vestræ gravitatis est.* Quandoquidem hic titulus, inter humanas Magistratuum & JCtorum compellationes, quibus ab Impp. fere honorabantur, v. supr. Dissert. XIV. §. 10. 15. non nisi Magistratibus majoribus, puta Præfecto Prætorio, *l. 1. C. Theod. de centonar.* Præfecto Urbi, *l. 18. C. Theod. de appell.* Magistris Militum, *l. 5. C. Theod. de præd. navicul.* Præsidibus Provinciarum & Consularibus, tribui solebat. v. *l. 4. C. si adv. rem. jud. l. 18. C. de pact. l. 16. C. de excus. l. 3. C. Theod. de protostas. l. 8. C. Theod. quor. app. non recip. l. un. C. Theod. de præb. sal. l. 29. C. de appell. l. 8. C. Theod. de decur. l. 1. C. Theod. de his qui ven. æt. l. 3. C. Th. ad L. Corn. de fals.* Briss. *de*

Form. L. III. *p.* 316. 317. & causæ status apud maximos tantum Judices agi possunt. *l.* 32. §. 7. *D. de recept. l. ult. C. ubi caus. stat.* Ut *Proculus* & *Munatius* Consules videantur fuisse suffecti, quorum nomina in Fastis Consularibus sæpius desiderantur. v. §. 4. 5. *I. de fideic. her. l.* 2. §. 1. *D. ad SCt. Vellej. l.* 26. §. 7. *D. de fideic. lib.* add. Scip. Gent. *Jurisd. L.* II. *c.* 2. An autem *Cornelius Proculus* filius fuerit *Claudii Proculi* Prætoris, & Africæ Proconsul; an & male *Cæcilius* pro *Æmilius* dicatur in *l.* 1. *D. de opt. leg.* filiamque habuerit *Proculam*, uti vult Bertrand. *d. l.* non sine ratione dubitat Reinef. & Men. not. ad Bertr. *d. l.* Nam idonea deficit auctoritas, & non *Cornelii* in *d. l.* 5. §. 1. *D. de jur. immun.* sed *Ennii Proculi* mentio fit in Pandectis Florentinis, pluresque *Proculi* alii occurrunt alibi: v. supr. Differt. XIV. §. 7. *l.* 3. §. 9. *D. de jur. fisc. l.* 1. §. 15. *D. de tut. & rat. distr.* ut de iis utpote incertis nihil temere statuendum sit.

IX. *Cum* Romulus, *de cujus statu quæritur*, *Pupillaris ætatis sit;* i. e. cum necdum pubes, seu minor sit annis XIV. Quemadmodum filia *intra pupillarem ætatem* & *intra pubertatem* constituta eadem est in *l.* 7. *C. de imp. & al. subst.* & *in pupillari ætate esse* dicitur, qui est sub tutoribus. *l.* 7. *pr. C. de præscr.* 30. *ann. Pupillus* enim est *puer intra impuberes annos constitutus:* v. Corn. in Perf. *Sat.* II. *l.* III. *D. de R. J.* junct. *l.* 23. *D. de furt.* sive in potestate sit, *l.* 13. §. 1. *D. de dol. l. ult.* §. 2. *D. de V. O.* §. 3. *I. de pup. subst. l.* 7. §. 3. *D. de pecul.* sive sui juris, qui tamen κατ' ἐξοχὴν fere *pupillus* dici *solet. l.* 239. *D. de V. S. l.* 4. *D. de his qui sui vel alien. jur. sunt. l.* 195. §. 2. *D. de V. S.* Indeque *pupillare* dicitur omne, quod ad *pupillum* pertinet: veluti *Substitutio pupillaris*, *t. D. de vulg. & pup. subst. t. I. de pup. subst. pupillare testamentum*, *l.* 2. §. 2. *l.* 43. *D. de vulg. & pup. subst.* §. 5. *I. de pup. subst. l.* 34. §. 10. *D. de leg.* 1. i. e. testamentum *impuberis*, *l.* 8. §. 5. *D. de inoff. testam. tabulæ pupillares*, *l.* 33. *D. de vulg. & pup. subst.* & similia.

X.

X. *Status* autem *quæstio*, quæ in genere omnem *causam Status* complectitur, v. *inscr.* junct. *l.* 5. *C. ubi caus. stat.* hic (uti & *status controversia* in *l.* 6. §. 3. *D. de Carb. Ed.*) in specie significat *Causam liberalem*, arg *inscr. tit. D.* (sub quo *l. n.* 27. posita est) *de liberal. caus.* seu *Judicium liberale*, *l.* 3. *l.* 4. *C. ubi caus. stat.* quo libertatis quæstio vertitur, *l.* 32. §. 7. *D. de rec. l.* 38. *D. de re jud. l.* 3. §. 9. *D. de jur. fisc.* seu quo quis in servitutem vindicatur, *l.* 8. §. 2. *D. rem rat. hab. l.* 39. §. 5. *D. de proc.* & Servus esse dicitur. *d. l.* 6. §. 3. *D. de Carb. Ed.* Donat. ad Ter. *Adelph. Act.* 11. *Sc.* 1. ỳ. 40.

Nam ego liberali illum adsero causa manu.

Ordo est, Ego liberali causa manu adsero: *& sunt Juris verba, a quibus &* Adsertores *dicuntur vindices alienæ libertatis. Nam &* causa *ipsa* liberalis *dicitur*, *quæ actionem in se continet libertatis.*

XI. *An exigente* Varia Hedone *matre*, *& consentiente* [Vario Hedone] *tutore*, *ad tempus pubertatis causa differenda sit*, *Vestræ gravitatis est*, *ex fide personarum*, *quod utile est pupillo*, *constituere.* Non enim indistincte controversia status ad tempus pubertatis differtur, sed ita demum, si pupillo hoc expediat: de quo in primis audienda Mater, tutores, & cognati. *l.* 3. §. 5. *D. de Carb. Ed.* Sed si tamen evidenter appareat, magis e re pupilli esse, ut cognitio illa repræsentetur, id quod maxime utile est pupillo constituendum est. Finge esse testes quosdam, qui dilata controversia aut mutabunt consilium, aut decedent, aut propter temporis intervallum non eandem fidem habebunt; vel finge esse anum obstetricem, vel ancillas, quæ veritatem pro partu possint insinuare, vel instrumenta satis idonea ad victoriam, vel alia argumenta, ut magis damnum patiatur pupillus, quod differtur cognitio, quam compendium, quod non repræsentatur: aut stulti aut iniqui Prætoris est, rem in tempus pubertatis differre, cum summo ejus incommodo, cui consultum

 velit.

velit. *Non* enim *debet adversus pupillos observari, quod pro ipsis excogitatum est, & pendere status eorum, qui indubitatus esse potest*, uti D. Hadrianus rescripsit. *d. l.* 3. §. 5. Quia neque ratio juris neque æquitatis benignitas patitur, ut, quod favore alicujus introductum est, id in fraudem & odium ejus convertatur. *l.* 25. *D. l.* 6. *C. de LL. l.* 19. *in f. C. de fid. instrum. l.* 5. §. 1. *C. de sec. nupt.*

XII. Quod Jus, quo minus & hodie usum habere possit, nihil obstat. v. Brunnem. *ad l.* 2. *C. de Carbon. Ed.* Christin. *Vol.* IV. *Dec.* 1. *n.* 7.



DIS-

DISSERTATIO DECIMA SEPTIMA.

Papirius Justus *Libro primo de Constitutionibus.*

IMperatores ANTONINUS & VERUS AUGUSTI in hæc verba rescripserunt: *Minime æquum est, Decuriones Civibus suis frumentum vilius, quam annona exigit, vendere.* §. 1. Item scripserunt: *Jus non esse ordini cujusque Civitatis, pretium grani, quod invehitur, statuere.* §. 2. Item in hæc verba rescripserunt: *Etsi non solent hoc genus nunciationis mulieres exercere, tamen, quia demonstraturam te, quæ ad utilitatem annonæ pertinent, polliceris*, Præfectum Annonæ *docere potes. l. ult. pr.* §. 1. 2. *D. de Leg. Jul. de annon.*

I. *Unde dicta sit* Annona? II. *Quid sit* Annona? III. IV. *Annonæ copiam ad summam Reip. pertinere, ejusque tum apud alios, tum apud Romanos maximam curam semper habitam esse.* V. *Quodnam sit Munus* Præfecti Annonæ? VI. *Non pauca ad Annonam pertinentia, variis temporibus, etiam a* Divis Fratribus, *constituta esse.* VII. VIII. *Decuriones non debere civibus suis frumentum vilius, quam Annona exigit, vendere.* IX. *Jus non esse Ordini cujusque Civitatis, pretium grani, quod invehitur, statuere.* X. *Mulieres, aliosque ceteroquin inhabiles, in causa Annonæ ad accusandum admitti.* XI. *Scrupulus eximiti.*

I. *Annonam* quidam a *Nonis* deducunt, eo quod sub Nonas apud Romanos fuerit data; Suidas in voc. Νόναι. Δοκοῦσι δὲ παρ' αὐτοῖς γενέσθαι αἱ Ἀννῶναι, ὡς οἷον αἱ ἀνὰ τὰς Νόνας διδόμεναι. *A* Nonis *quidam dictas esse putant* Annonas, *quasi quæ singulis Nonis distribuantur.* Isidorus vero *Orig. L.* xx. *c.* 2. a *nona hora*, qua Romani cibum capere solebant: *Annona*,

nona, inquit, *tractum est a tempore, quo Romani veteres ad cibos advocabantur, sicut* MARTIALIS, (*sc. L.* IV. *Ep.* 9. ÿ. 6.) Imperat excelsos frangere nona toros: *quod adusque hodie Persæ faciunt*. Quas derivationes putidas & ineptas dicunt Lipſ. *L.* I. *Elect. c.* 8. & Voſſ. *Lex. Etym.* in voc. *Annona*. Et ſane magis alluſiones ſunt, quam rationes vocis etymologicæ. Dicta enim haud dubie eſt *Annona* pro *anni proventu* ab *anno*, quemadmodum & *Pomorum proventus Pomona* apud Solin. *Polyhist.* dum *c.* 25. ait: *Thule larga, & diutina* Pomona *copiosa est*. Unde, uti Dea eſt *Pomona*, ſic & fertilitatis ac ubertatis annuæ DEA ANNONA; vid. vetus inſcriptio apud Salmaſ. ad Solin. *d. l. p.* 250. ut & Gruter. *Corp. Inscr. p.* 81. *n.* 10. ipſeque *Annus* pro *Annona* non raro poſitus eſt. v. Lucan. Pharſ. *L.* III. ÿ. 70. Tacit. *de Mor. Germ. c.* 14. Tertull. *Apol. c.* 40.

II. Ac proinde I. *Annona* proprie nihil aliud eſt, quam fructuum, & maxime quidem frumenti, unius anni proventus. Sed poſtea id verbum ad alia quoque productum; ut II. Significet non tantum frumentum, ſed & omnia, quæ ad victum ſunt neceſſaria, veluti oleum, vinum, carnem, & ſimilia. v. *l.* 6. *D. de extr. crim. t. D. de Leg. Jul. de ann. l.* 1. *C. de erog. mil. ann. l.* 1. *C. de off. Præf. urb.* junct. *l.* 1. §. 11. *D. eod.* III. Quæ in macello veneunt. v. Suet. *in Tib. c.* 34. IV. Panes, cum ſcil. *Annonæ* plurali numero dicuntur. v. Lamprid. *in Alexandr. Sever. c.* 41. 42. & ibid. Salmaſ. *t. C. Theod. de ann. civil. & pan. gradil.* Nec non v. Tributum, quod collatione Annonæ præſtatur, v. *l.* 32. §. 6 *D. de adm. tut. l.* 9. *C. de susceptor. t. C. de annon. & tribut.* indeque *Annonaria Collatio*, *l.* 1. *C. de præscr.* 30. *ann.* nec non *Annonaria functio* vocatur. *l.* 7. *in f. C. de fer.*

III. Quemadmodum autem in tributis nervi ſunt Reip. *l.* 1. §. 20. *D. de quæst.* ut ſine illis nulla Reſp. conſervari poſſit, *N.* 149. *c.* 2. Tacit. *Ann. L.* XIII. *c.* 50. Hiſt. *L.* IV. *c.* 74. ſic omnium rerum, in primis vero annonæ, latiori ſenſu acceptæ,

ceptæ, copia, naviumque exercitio ad summam Reip pertinet. *l.* 1. §. 20. *D. de exercit. act.* Ut enim Civitas bene beateque habitari possit, tum alios cives, tum inprimis rusticos & negotiatores, qui res utiles & necessarias invehant & evehant, necessarios merito duxit summæ prudentiæ & auctoritatis apud Græcos Plato, *L.* 11. πολιτείας, laudatus Callistrato in *l.* 2. *D. de nund.* nec non Philosophorum suo tempore Princeps Aristoteles, qui Polit. *L.* 1. *c.* 2. & *L.* 111. *c.* 6. ad constituendam servandamque societatem politicam αὐταρκείαν, seu sufficientiam desiderat, quæ in omnium rerum affluentia maxime consistit. Eleganter Cic. ad Att. *L.* VIII. *Ep.* 11. *Moderatori Reip. beata civium vita proposita est, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit.* Sane non magni momenti Urbis præsidia essent, parum admodum Leges, Sanctiones, Ordoque Civitatis, prodessent, si populus esuriret; cum nihil sit famelico populo periculosius, quem non arma, non magistratus, non jura divina aut humana, non Leges, non pudor aliquis coërcere valet. Egregie Lucan. *Bell. Civ. L.* 111. ỷ. 55. *& seqq.*

Gnarus & irarum causas, & summa favoris
Annona momenta trahi, namque asserit urbes
Sola fames, emiturque metus, cum segne potentes
Vulgus alunt. Nescit plebes jejuna timere.

v. Franc. Patric. *de Rep. L.* 111. *T.* XI.

IV. Unde tum apud alios, v. Genes. XLI. ỷ. 32. *& seqq.* 1. Reg. IV. ỷ. 27. 28. II. Chron. XI. ỷ. 11. 23. XVII. ỷ. 2. 13. tum apud Romanos, maxima semper cura habita est annonæ. v. Liv. *L.* 11. *c.* 9. Ut & singularis in eam rem Magistratus creatus sit, primum quidem extraordinarius, v. Liv. *L.* IV. *c.* 12. postea vero perpetuus, Præfectus scil. Annonæ. v. Tacit. *Ann. L.* 1. *c.* 2. *l.* 2. §. 33. *D. de O. J.* Lips. *Elect. L.* 1. *c.* 8.

Z V.

V. Cujus munus erat, videre ne plebs annonæ caritate ac inopia laboraret, sed ut panis suppeteret affatim, pondereque justo ac munditie debita veniret. De quo Senec. *de Brev. Vit. c.* 19. ad Paulinum: *Simile tu putas esse, utrum cures, ut incorruptum a fraude advenientium & negligentium frumentum transfundatur in horrea, ne concepto humore vitietur & concalescat, ut ad mensuram pondusque respondeat.* Et plenius Cassiodor. *Variar. L.* VI. *c.* 18. *Tui siquidem studii est, ut sacratissimæ Urbi præparetur annona, ubique redundet panis copia, & tam magnus populus tanquam una mensa satietur. Per officinas pistorum cibosque discurris, pensum & munditiem panis exigis, nec vile judicas esse, unde te possit Roma laudare, merito quando gloria singularis est illius Civitatis affectus.* Et deinceps: *Si querela panis, ut assolet, concitetur, tu promissor ubertatis seditiones civicas momentanea satisfactione dissolvis, & per te prospicitur, ne quid a populis conquerentibus excedatur.* Et paulo post: *Ne quis autem putet abjectis te hominibus imperare, dignitati quoque tuæ pistorum jura famulata sunt, quæ per diversas mundi partes possessione latissima tendebantur; ne inopia faciente vilesceret, quod Romanæ copiæ laudabili famulatione serviret. Suarii quoque Romanæ copiæ causa reperti, tuo deputati videntur examini.* Nec non circ. fin. *In fraudulentos distringe, panis pondera æquus examinator intende: solicitius auro pensetur, unde a Quiritibus vivitur.*

VI. Quin & non pauca ad annonam pertinentia variis temporibus constituta ac sancita sunt, v. Lips. *El. L.* I. *c.* 8. maxime ab Augusto, qui militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii, pellexit, uti ait Tacit. *Ann. L.* I. *c.* 2. Legeque lata, quæ *Julia de Annona* dicta est, ne quid contra annonam fieret, prospexit; *l.* 2. *pr. D. de Leg. Jul. de annon.* nec non D. MARCO nostro, qui de alimentis publicis privatisque multa prudenter invenit, omnique rei frumentariæ consuluit, graviterque providit. Capit. in Marc.

c. XI.

c. XI. *l.* 8. *pr.* §. I. *& seqq.* *D. de transact.* v. supr. Differt. I. §. 30. Cujus & L. VERI Fratris tria de eo Rescripta ex Papirii Justi *L.* I. *de Constit.* (qui DIVORUM FRATRUM Constitutiones collegit, v. supr. Differt. VI. §. I.) in *l. h. n. ult.* relata sunt.

VII. Et quidem quantum ad *primum* attinet, ait Papirius Justus. *Imperatores* ANTONINUS & VERUS AUGUSTI in hæc verba rescripserunt: *Minime æquum est, Decuriones civibus suis frumentum vilius, quam annona exigit, vendere.* In Pandectis Florentinis pro *Imperatores* habetur *Imperatorii;* in aliis vero *Imperatores Severus & Antoninus Augustus.* Sed potius legendum, uti expressum est; add. A. Aug. *de Nom. propr. p.* 280. *in f.* quandoquidem DIVI FRATRES sic fere vocari solent a Papirio Justo, v. *l.* 37. *D. de pact. l.* 14. *D. de S. P. U. l.* 17. *D. de S. P. R. l.* 71. *D. de contr. emt. l.* 13. *D. de decur. l.* 9. *D. de admin. rer. ad civ. pertin. l.* 13. *D. de pollic.* qui sub illis floruit, eorumque Constitutiones collegit, non vero *Severi* & *Antonini* scil. *Caracallæ*, qui pater & filius fuere naturales, longeque post ad imperium provecti sunt. v. supr. Differt. VI. §. I. Diff. III. §. I.

VIII. Rescribunt autem Impp. *Minime æquum esse, Decuriones civibus suis frumentum vilius, quam annona exigit, vendere.* Reip. enim interest, ut annona non nisi justo pretio vendatur, v. *l.* I. §. II. *D. de off. Præf. urb.* II. Feud. *Tit.* XXVII. §. 4. ne commerciorum raritas & indigentia sequatur. Amm. Marcell. *L.* XXII. de Juliano: *Nulla probabili ratione susceptæ popularitatis amore vilitati studebat venalium rerum, quæ nonnunquam secus, quam convenit, ordinata inopiam gignere solet & famem.* add. *l.* 5. *D. de adm. rer. ad civ. pert. l.* 8. *D. ad munic.* Ubi & aliorum Principum Constitutionibus id firmatum docet Marcianus.

IX. *Secundum* hisce verbis exhibet. Item scripserunt: *Jus non esse Ordini cujusque civitatis, pretium grani, quod inve-*

bitur, ſtatuere. Quidam legunt, Item reſcripſerunt: *Ut jus non eſſet Ordini cujusque Civitatis, pretium grani, quod invenitur, ſtatuere.* Sed ratio non eſt, ob quam a lectione Codicis Florentini recedendum ſit. Ut autem ordini, ſcil. Decurionum, *l. 6. l. 14. l. 37. C. Th. de decur. l. 9. C. de Ep. aud.* non liceat pretium grani, quod invehitur, ſtatuere, non ideo ſancitum, quod (licet cæteroquin id veriſſimum ſit, & in pleriſque cauſis procedat) nemo invitus res ſuas, imo ne quidem juſto pretio, vendere cogatur, *l. 9. D. de act. rer. amot. l. 70. D. de R. V. l. 11. C. de contr. emt.* quam quod pretium annonæ per Senatum, aliosve Magiſtratus majores conſtitui ſolitum ſit. Don. *in* Ter. *Phorm. Act. 1. Sc. 11. ỷ. 29.*

—— Sciſti uti foro.

Secundum illos negotiatores, qui ante locum commercii non præſcribunt, quanti vendant, quæ advehunt: ſed ſecundum annonam fori, quam deprehenderint, conſilium divendendis aut non vendendis mercibus ſumeret. Suet. in *Tib. c. 34. Annonam macelli Senatus arbitratu quotannis temperari voluit.* Ulp. in *l. 1. §. 11. D. de off. Præf. urb. Cura carnis omnis, ut juſto pretio præbeatur, ad curam Præfecturæ pertinet.* Quemadmodum & poſtea per Fridericum Imp. conſtitutum: *Ut poſt natalem Sanctæ Mariæ unusquisque Comes ſeptem boni teſtimonii viros ſibi eligat, & de qualibet provincia cum ipſis ſagaciter diſponat, & quanto pretio ſecundum qualitatem temporis ſit annona vendenda utiliter provideat; quicunque vero contra deliberationem ipſius carius vendere præſumſerit, tanquam violator pacis habeatur.* 11. Feud. *Tit.* XXVII. §. 14. Quam poteſtatem pretii annonæ conſtituendi, cum ſibi etiam arrogarent Decuriones Civitatum, Impp. de eo conſulti reſcripſerunt: *Ordini cujusque civitatis pretium grani, quod invehitur, ſtatuere jus non eſſe.* Adeoque hallucinantur, qui Reſcriptum hoc noſtrum ita accipiunt, quaſi nullus Magiſtratus pretii conſtituendi annonæ poteſtatem

tem habeat; cujus contrarium docet Jus Majestatis, utilitas exigit publica, & ex dictis manifestum est: add. *l.* 18. §. 7. *D. de mun. & hon. l.* 1. *C. de Ep. aud l.* 1. *C. de frum. Alexandr.* quive huic Rescripto contrariam putant *l.* 1. §. 11. *D. de off. Praef. urb.* quandoquidem hic non negant DIVI FRATRES, pretium grani constitui posse, sed tantum monent, ejus rei facultatem Decurionibus concessam non esse. add. *d. l.* 1. *C. de frum. Alex.*

X. *Tertio* vero singulare quid constitutum docet idem JCtus, dum subjicit §. 2. ***Etsi non solent hoc genus nunciationis mulieres exercere, tamen, quia demonstraturam te, quae ad utilitatem annonae pertinent, polliceris***, Praefectum Annonae *docere potes.* Non enim permissum est mulieri publico judicio quenquam reum facere; *l.* 1. *l.* 8. *D. de accus.* nisi casibus quibusdam exceptis, v. *l.* 1. *l.* 2. *D. de accus.* quos inter est, si quid ad utilitatem annonae pertinens docere possit. *h. n. l. ult.* §. 2. Idque ob utilitatem publicam admissum esse, monet Marcianus in *l.* 13. *D. de accus.* ubi ejusdem hujus Rescripti mentionem facit; pro *Divus Severus* & *Antoninus* enim ibi legendum *Divus Verus* & *Antoninus*, quemadmodum in quibusdam codicibus habetur, & ex *h. n. l. ult.* §. 2. manifestum est. Ob quam rationem hoc etiam ad famosos, & milites, imo servos, qui ordinario deferre nequeunt, *l.* 8. *l. pen. C. de his qui accus. non poss.* extenditur, similesque, ut, si quid ratione annonae deferant, a *Praefecto Annonae* audiendi sint. *d. l.* 13. *D. de accus.*

XI. Licet enim Magistratus primum non fuerit, *l.* 2. §. 33. *D. de O. J.* scil. ordinarius, nec major; postmodum tamen factus est perpetuus, ac de iis, quae ad Annonam pertinebant, cognoscendi & coercendi jus semper habuit. v. Liv. *L.* IV. *c.* 12. *d. l.* 13. *l.* 1. §. 2. *D. de L. Jul. de ann. l.* 6. *D. de extr. crim.* A. van der Meulen ad *d. l.* 2. §. 33.

DISSERTATIO DECIMA OCTAVA.

Ulpianus *Libro Octavo de Officio Proconsulis.*

SI quis ultro de maleficio fateatur, non semper ei fides habenda est; nonnunquam enim aut metu, aut qua alia de causa, in se confitentur. Et extat *Epistola* DIVORUM FRATRUM ad *Voconium Saxam*, qua continetur, liberandum eum, qui in se fuerat confessus, cujus post damnationem de innocentia constitisset; cujus verba hæc sunt: *Prudenter & egregia ratione humanitatis*, Saxa *Carissime*, Primitivum *servum, qui homicidium in se confingere, metu ad Dominum revertendi, suspectus esset, perseverantem falsa demonstratione damnasti, quæsiturus de consciis, quos æque habere se commentitus fuerat, ut ad certiorem ipsius de se confessionem pervenires. Nec frustra fuit tam prudens consilium tuum, cum in tormentis constiterit, neque illos ei conscios fuisse, & ipsum de se temere commentum. Potes itaque decreti gratiam facere, & eum per officium distrahi jubere, conditione addita, ne unquam in potestatem domini revertatur, quem pretio recepto certum habemus libenter tali servo cariturum.* Hac *Epistola* significatur, quasi servus damnatus, [si] fuisset restitutus, ad eum pertinebit, cujus fuisset, antequam damnetur. Sed Præses Provinciæ eum, quem damnavit, restituere non potest, cum nec pecuniariam sententiam suam revocare possit. Quid igitur? Principi eum scribere oportet, si quando ei, qui nocens videbatur, postea ratio innocentiæ constitit. *l.* 1. *§. ult. D. de quæstion.*

I. *Non omnes confessiones reorum pro exploratis facinoribus habendas esse.* II. *Licet confessus pro judicato habeatur.* III. IV. V. VI. *Quod ut procedat, quænam requirantur?* VII. *Si*

Si nulla alia probatio adsit præter confessionem, in crimen ulterius inquirendum. VIII. *Innocentiam allegantem audiendum esse, eaque probata reum dimittendum; sive ipse eam probaverit, sive alius.* IX. *Idque naturali æquitati conveniens esse, censuisse* Divos Fratres, *hoc nostro* Rescripto. X. *Ad quem Rescriptum hoc datum sit?* XI. *Quis fuerit* Saxa? XII. *Impp. benigne Provinciarum Rectores aliosque compellasse. Qua occasione tentatur emendatio* Coll. LL. Mos. & Rom. *T.* v. §. *ult.* XIII. Primitivi *nomen servorum & liberorum fuisse commune.* XIV. Primitivum *homicidium confinxisse, nulloque accusante confessum esse, & sese ultro detulisse.* XV. *Uti & alios.* XVI. *Insignem multorum Dominorum in servos, apud Romanos, fuisse sævitiam.* XVII. *Non tamen ita homicidium in se confingere potuisse, quin figmenti suspectus esset. Ubi* Accursii *error notatur.* XVIII. Primitivum *condemnatum fuisse.* XIX. *Ad quam pœnam?* XX. *Varias causas esse, ob quas sententia in reum criminis lata non statim executioni mandetur.* XXI. Primitivum *per tormenta in socios interrogatum esse.* XXII. *An Tortura, seu quæstio per tormenta, sit licita?* XXIII. XXIV. *An confessus in socios torqueri possit?* XXV. *Consilium* Voconii Saxæ *quem habuerit effectum?* XXVI. *Innocentem damnatum minime puniendum esse. Nec tamen Magistratum contra sententiam eum restituere posse, sed causam ad Principem referendam.* XXVII. *Dubia removentur.* XXVIII. XXIX. *Quid hoc casu* Divi Fratres *fieri voluerint?* XXX. *An* Primitivus *damnatus manserit in dominio pristini Domini?* XXXI. *Dominum tali servo libenter cariturum esse, & quare?*

I. Non omnes confessiones reorum pro exploratis facinoribus habere oportet, si nulla probatio religionem cognoscentis instruat, uti summa ratione rescripsit D. Severus, auctore Ulpiano, in *l.* 1. §. 17. *D. de quæst.* II.

II. Licet enim Confessus pro judicato habeatur, quippe qui sua quodammodo sententia damnatur, *l.* 1. *l.* 3. *l.* 6. *pr.* §. 2. *D. l. un. C. de confess. l.* 56. *D. de re jud.* cum proprium testimonium contra aliquem sit gravissimum, v. Cic. *pro Quint.* *c.* 24. neque ulla major probatio haberi possit, quam proprii oris confessio; *l.* 25. §. *ult. D. de prob. l.* 5. *C. de transact.* ut Confessio rem videatur facere notoriam: *c. ult. x. de cohab. cler.* idque non tantum locum habeat, cum quis æris confessus est, uti loquitur Gell. *L.* XX. *c.* 1. seu in caussis Civilibus, sed & in Criminalibus & Capitalibus; v. Jos. VII. ℣. 19. *& seqq.* II Sam. I. ℣. 16. Luc. XIX. ℣. 22. Matth. XII. ℣. 27. *l.* 5. *D. de custod. reor. l.* 16. *C. de pœn. l.* 2. *C. quor. appell. non recip. l.* 10. *C. de Episc. & Cler.* ut facinerosi confessi secundum Leges Atheniensium etiam sine judicio puniendi & morte multandi, v. Demosth. *adv. Timocrat. p. m.* 470. Lys. *contr. Andoc.* secundum Leges Romanorum vero per sententiam condemnandi, & supplicium de iis sumendum sit. *d. l.* 16. *C. de pœn.* Tertul. *Apol. c.* 2. & *ad Scap. c.* 4. Quintil. *Decl.* CCCXIV. Calp. Flacc. *Decl* XLI. Quemadmodum contra Lentulum, Cethegum, Gabinium, & Cœparium, apud Saluft. *Catilin. c.* 52. *in f.* sententiam dixit Cato, dum inquit: *Quare ita censeo, cum nefario consilio sceleratorum civium Respublica in maxima pericula venerit, hique indicio* Titi Volturcii & *Legatorum* Allobrogum *convicti, confessique sint, cædem, incendia, aliaque fœda, atque crudelia facinora in cives patriamque paravisse, de confessis sicuti de manifestis rerum capitalium more majorum supplicium sumendum.* Non tamen id de quibuscunque confitentibus, sed de facinerosis tantum ac vere nocentibus, legitimeque confessis, iisque casibus, quibus præter confessionem aliæ probationes concurrunt, accipiendum, tum ex ipsis allegatis locis, tum ex sana ratione manifestum est.

III. Ut enim Confessus pro judicato habeatur, non tantum

tum requiritur, ut confessus major sit annis xxv. *l.6.* §. 5. *D. de confess. l.* 3. *C. de in int. rest. min.* sciens confessus sit, non per errorem, *l.* 2. *D. de confess.* in Jure, *l. un. C. de confess.* i. e. apud Prætorem, *l.* 7. *D. de confess.* vel in judicio, & apud Acta; *l.* 24. *C. de lib. caus.* sed & in causis criminalibus in primis desideratur, ut constet tale crimen, quod quis confessus est, vere & dolo malo commissum esse, seu, uti DD. loqui amant, ut constet de corpore delicti. Deut. xvii. ỳ. 4. *& seqq. l.* 23. §. *ult. l.* 24. *l.* 25. *pr. D. ad L. Aquil. l.* 29. *pr. D. de jur. fisc. l.* 1. §. 24. *l.* 5. §. 2. *D. ad SCt. Silan.* Adeo quidem, ut, licet confessio clara sit, & cathegorica, v. c. si quis se hominem mortuum veneno necasse, extraneum aliquem occidisse, ejusque cadaver in mare se abjecisse, rapinam, furtum, aliudve delictum commisisse, fateatur, id tamen, nisi de veneno, cadavere interemto, rebus ablatis, ipsoque adeo delicto constet, ad condemnandum non sufficiat. v. Farin. *Prax. & Theor. Crim. L.* 1. *T.* 1. *Q.* 11. Carpzov. *Prax. Crim. P.* 1. *Q.* xvi. *n.* 1. *& seqq.* P. II. *Q.* LXXII. *n.* 52. *P.* III. *Q.* CXV. *n.* 31. *Q.* CXXVI. *n.* 2. *& seqq.* A Matth. *de Crimin. ad L.* XLVIII. *T.* XVI. *c.* 1. *n.* 2. *& seqq.* A. Rob. *Rer. jud. L.* 1. *c.* 4. Z. Huber. *Obs. Rer. jud. P.* 1. *Obs. C.*

IV. Unusquisque enim ex suo admisso sorti subjicitur, uti alia occasione iidem DIVI FRATRES rescripserunt, *l.* 26. *D. de pœn.* & ibi pœna esse debet, ubi noxia est, neque ulterius progredi potest, quam reperitur delictum; *l.* 22. *C. eod.* add. supr. Differt. xiv. §. 14. ratio enim Justitiæ non patitur, ut innocens pœna afficiatur: Exod. xxiii. ỳ. 7. Prov. xvii. ỳ. 15. ut ex Rescripto D. Trajani satius sit impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnare. *l.* 5. *pr. D. de pœn.* Nemo autem per confessionem suam delictum facere potest, ubi delictum non est. Tum & nemo dominus est vitæ suæ, vel membrorum suorum, *l.* 13. *pr. D. ad L. Aquil.* ac proinde per confessionem contra veritatem

Aa fa-

factam, neque ratione vitæ, neque ratione membrorum, sibi præjudicium aliquod creare poteſt. v. *l.* 23. §. *ult. l.* 24. *l.* 25. *pr. D. ad L. Aquil.*

V. Sed & debet confeſſio veritati eſſe conſentanea ac probabilis; *l.* 14. §. 1. *D. de interr. in jur. fac.* adeoque neceſſe eſt, ut reus omnes ſimul circumſtantias, occaſionis ſcil. loci, temporis, ſimileſque indicet, & qualitates, ſine quibus facinus non potuiſſet committi, quasve nullus alius niſi criminis reus vel ſocius ſcire poſſet. v. *l.* 1. §. 17. *D. de quæſt.* Carpz. *d. P.* 111. *Q.* CXXVI. *n.* 12. *& ſeqq.* Eleganter Tertull. *Apol. c.* 2. *Si de nocente cognoſcitis, non ſtatim confeſſo eo nomen homicidæ, vel ſacrilegi, vel inceſti, vel publici hoſtis, contenti* eſtis *ad pronunciandum, niſi & conſequentia exigatis, qualitatem facti, numerum, locum, tempus, conſcios, ſocios.* add. *l.* 6. §. 1. *D. de cuſt. reor.*

VI. Neque fidem denique facit ſola Confeſſio prorſus voluntaria, cum quis v. c ſe ipſum defert, quæ ſuſpecta eſt; Calp. Flacc. *Decl.* CXLI. *h. n. l.* 1. §. *ult.* neque ea, quæ per torturam expreſſa eſt. *l.* 1. *pr. D. de quæſt.* *Quæſtio* enim ſeu tortura *res eſt fragilis & periculoſa, & quæ veritatem fallat. Nam plerique patientia ſive duritia tormentorum ita tormenta contemnunt, ut exprimi eis veritas nullo modo poſſit. Alii tanta ſunt impatientia, ut quodvis mentiri, quam pati tormenta velint:* & *ut non tantum ſe, ſed & alios comminentur*, ſeu potius *criminentur*, uti in aliis habetur codicibus; *l.* 1. §. 23. *D. de quæſt.* licet Gloſ. & Cath. ad *d. l.* 1. §. 23. malint *in alios commentiantur.* Quod & monet Cic. *Part. Orat. c.* 14. dum contra Quæſtiones notat: *Quod dolorem fugientes multi in tormentis mentiti ſunt, morique voluerunt falſum fatendo, quam vere inficiando dolere. Multi etiam ſuam vitam neglexerunt, ut eos, qui his cariores, quam ipſi ſibi eſſent, liberarent.* Nec non *pro Syll. c.* 28. dum ait: *Tormenta gubernat dolor, moderatur natura, cujusque tum animi, tum corporis, regit quæ-*

quaesitor, *flectit libido*, *corrumpit spes*, *infirmat metus*, *ut in tot rerum angustiis nihil veritati loci relinquatur*. Add. Id. *ad Herenn. L.* II. *c.* 7. Arist. *L.* I. *Rhethor. c.* 47. Quintil. *Inst. Orat. L.* V. *c.* 4. Plut. *de Garrul.* Val. Max. *L.* III. *c.* 3. *Ext. n.* 2. 3. 4. 5. & *L.* VIII. *c.* 4. *n.* 1. 2. 3. Curt. *L.* VI. *c.* II. Oldekop. *Obs. crim. Append.* Ubi ex historia tum veteri, tum recentiori, plurima exhibet exempla tum eorum, qui, cum criminum vere rei essent, exquisitissima tormenta contemserunt & constanter superarunt, tum eorum, qui injuste torti, dolori cedentes, delicta, quae non patraverant, de se confessi, ultimo supplicio affecti, postea autem innocentes reperti sunt.

VII. Ubi itaque nulla alia probatio, praeter confessionem, religionem Judicis instruit, judicium minime praecipitandum, sed in crimen ulterius inquirendum; nam si usquam, certe in causis capitalibus locum habet, quod dixit Damocritus Aetolorum Praetor apud Liv. *L.* XXXI. *c.* 32. *Rem magni discriminis consiliis nullam esse tam inimicam, quam celeritatem*; *celerem enim poenitentiam*, *sed eandem seram & inutilem sequi*: *cum praecipitata raptim consilia neque revocari*, *neque in integrum restitui possint*. Unde Juv. *Sat.* VI. ỷ. 218.

Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa est.

Nec non Amm. Marcell. *L.* XXIX. *De vita & spiritu hominis*, *qui pars mundi est*, *& animantium numerum complet*, *laturum sententiam diu multumque cunctari oportet*, *nec praecipiti studio*, *ubi irrevocabile factum est*, *agitari*. Si quis enim innocens damnatus sit, (qualia non pauca inveniuntur exempla, v. Virg. Æn. *L.* II. ỷ. 83. *& seqq.* & ibid. Serv. Curt. *L.* VI. *c.* II. Val. Max. *L.* VIII. *c.* 4. A. Robert. *Rer. jud. L.* I. *c.* 4. Oldekop *d. l.*) restitutioni in integrum non est locus, neque peremtus inanibus votis revocari potest. Si vero post-

 mo-

modum nocens reperiatur, vel delinquere pergat, justa deinceps ac merita pœna affici poteſt, ſecundum illud Senec. *de Ira. L. II. c. 23. Poteſt pœna dilata exigi, non poteſt exacta revocari.* add. Diſſert. N. *de Calc. Minerv. p.* 53.

VIII. Quod ſi vero confeſſus innocentem ſe dicat, aliusve innocentiam ejus oſtendere paratus ſit, allegationis innocentiæ ratio habenda eſt. Adeo, ut non tantum ei, qui ad ſupplicium ducitur, provocare permittatur, verum alii quoque nomine ejus, non tantum; ſi ille mandaverit, verum quisquis alius provocare voluerit: etiam ſi ipſe acquieverit ſententiæ, imo ſi reſiſtat, qui damnatus eſt, adverſus provocationem, nec velit admitti ejus appellationem, perire feſtinans; differendumque ſit ſupplicium, & innocentiam probaturus audiendus. *l. 6. D. de appell.* Et ſi quidem de innocentia ejus conſtiterit, veritas magis quam confeſſio attendenda, reusque abſolvendus ac dimittendus eſt; ſive ipſe errorem allegaverit & abſolutionem petierit, ſive eo tacente alius, ſive ante ſententiam innocentia appareat, ſive ea poſt ſententiam & condemnationem probetur. v. *c. 3. x. de purg. vulg.* Hippol. de Marſil. *Pract. crim. §. Secunda. Quæſt. n.* 29. 30. Ægid. Boſſ. *Prax. crim. T. de Confeſſ. n.* 70.

IX. Idque in caſu prorſus notabili naturali æquitati conveniens cenſuere Divi Fratres. Cum enim *Primitivus* aliquis ſervus, metu ad dominum revertendi, de homicidio ultro confeſſus, & in falſa confeſſione perſeverans a Voconio Saxa condemnatus eſſet, deinceps vero habita quæſtione de conſciis, quos æque ſe habere commentus fuerat, conſtitiſſet, neque aliquos ei conſcios fuiſſe, & ipſum de ſe temere commentum, conſulti de eo Impp. decreti gratiam faciendam, ſervumque per Officium diſtrahendum reſcripſerunt. Quod Reſcriptum, cum cedro digniſſimum ſit, dignum quoque merito cenſuit Ulp. (cui uti ſupra vidimus & plura alia Divorum Fratrum Reſcripta debemus, v. *l.* 8. §. 7.

8.

8. *D. mand. l. 1. D. de ventr. insp. l. 3. §. 4. D. si cui plus quam per L. Falc. l. 5. pr. D. de collat. l. 17. D. de jur. patr. l. 27. pr. D. de lib. caus.* Diss. v. x. xii. xiii. xiv. xvi. & infr. docebunt, *l.* 1. §. 3. *l.* 14. §. 1. *D. de appell. l. 1. D. an per al. caus. app. redd. poss. l. 6. pr. de mun. & hon.* Diss. xix. xx. xxi. xxiii.) ut *Lib.* viii. *de offic. Proc.* integrum describeret, & ad posteritatem transmitteret.

X. Ajunt Impp. *Prudenter, & egregia ratione humanitatis*, Saxa *carissime*, Primitivum *servum, qui homicidium in se confingere, metu ad dominum revertendi, suspectus esset, perseverantem falsa demonstratione damnasti, quæsiturus de consciis, quos æque se habere commentitus fuerat, ut ad certiorem ipsius de se confessionem pervenires.* Quibus verbis, præmissa honorifica *Saxæ* compellatione, laudataque ejus prudentia, partem libelli ipsius, qua omnem causam exposuerat (uti fere solebant Impp. v. supr. Differt. ix. §. 4.) repetunt, eaque, quæ a *Saxa* in hac causa acta erant, tanquam æquitati (quo sensu *humanitas* non raro ponitur, v. supr. Differt. iv. §. 3.) & juri consona comprobant.

XI. *Saxam*, ad quem hæc Epistola missa est, plene dictum esse *Voconium Saxam*, adeoque ex eadem gente *Voconia* descendisse, ex qua originem duxit *Q. Voconius Saxa* Tr. Pl. Auctor *Legis Voconiæ de coërcendis fæminarum hereditatibus* (quam luculenta commentatione illustravit Vir Cl. de Historiis Litterisque Humanioribus optime meritus, Jacobus Perizonius) docet Ulp. *h. n. l. 1. §. ult. pr.* Quis tamen proprie fuerit hic *Voconius Saxa*, quove munere functus sit, non satis constat. *Præsidem* Provinciæ eum fuisse non sine ratione conjicit Cl. Schulting. *Differt. sing. ad h. n. l. 1. §. ult.* tum quia nullis in Provincia præter Præsidem competit merum imperium, *l. 3. l. 4. l. 13. pr. D. de off. Præs.* tum quia, occasione hujus Epistolæ, de Præsidibus Provinciarum, eorumque officio, ab Ulp. quædam subjiciuntur. Sed nec im-

probabile eſt, eum *Proconſulem* fuiſſe, idque ſuadere videtur ipſa legis *n.* I. inſcriptio, ex qua apparet, eam ex Ulp. *L.* VIII. *D. de off. Proconſ.* excerptam eſſe. Ulpianum autem *L.* VII. *&* *L.* VIII. *de off. Proc.* inter alia de variis criminibus egiſſe conſtat ex Collat. LL. Moſ. & Rom. *T.* I. §. 2. *l.* 2. *D. de his, qui ſui vel alien. jur. ſunt. l.* 12. *D. de incend. ruin. naufr. l.* 6. *D. de extr. crim. l.* I. *D. de abig.* de quibus *Proconſulem* æque ac *Præſidem* jus dixiſſe certum eſt. v. *l.* 7. §. *ult. l.* 8. *l.* 11. *D. de off. Proconſ.* Neque quicquam vetat Ulp. eadem occaſione quædam de officio *Præſidum* adjeciſſe; maxime, ſi vocabulum *Præſidis* latiori ſenſu, ut omnes Provincias regentes, adeoque & *Proconſules* ſignificet, accipiatur, ſecundum *l.* I. *D. de off. Præſ.* quemadmodum & alibi hoc ſenſu poſitum non raro occurrit. Sic ſane id idem accepit Ulp. in *l.* 3. § 2. *D. de decur.* (quæ ex *Lib.* ejus III. *de off. Proconſ.* ſumta eſt) ubi Lollianum Avitum *Bithyniæ Præſidem* dicit; cum tamen *Bithyniam* Provinciam fuiſſe Senatoriam, in eamque *Proconſules*, non *Præſides* proprie dictos, miſſos fuiſſe, manifeſtum ſit ex Dion. Caſſ. *L.* LIII. *p.* 503. Tacit. *Ann. L.* XVI. *c.* 18. Plin. *Ep. L.* X. *Ep.* 40. 56. 64. 65. 77. Ut & in *l.* 6. §. *ult. D. de pœn.* (quæ deſcripta eſt ex *Lib.* ejus. IX. *de off. Proconſ.*) ubi docet, Præſides irrogare poſſe pœnas, quæ aut vitam adimant, aut ſervitutem injungant, aut civitatem auferant, aut exilium aut coërcitionem corporis contineant; cum tamen jus deportandi in inſulam, niſi Principe probante, Præſidibus Provinciarum non competere, idque nullam dubitationem habere, idem doceat Ulp. in *l.* 2. §. I. *D. de pœn. l.* 6. §. I. *D. de interd. & releg. l.* I. §. 3. *D. de leg.* 3. nec non in *d. l.* 2. *D. de his, qui ſui vel alien. jur.* (quæ ex eod. *Lib.* VIII. *de off. Proconſ.* excerpta eſt) in verbis: *Si dominus in ſervos ſævierit, vel ad impudicitiam turpemque violationem compellat, quæ ſint partes* Præſidis *ex Reſcripto* DIVI PII *ad* Ælium Marcianum Proconſulem Bæticæ *manifeſtatur.* Eodem-

demque sensu Gell. id posuit *L.* XI. *c.* 2. dum *Præsidem Cretæ* dicit, qui proprie *Proconsul* fuit, v. Dion. Cass. *d. L.* LIII. *p.* 503. *l.* 14. *D. ad SCt. Turpill.* nec non *L.* XV. *c.* 14. dum *Præsidem Africæ* vocat, quem ipse paulo ante *Proconsulem* nominaverat. add. Dion. Cass. *d. l.*

XII. *Voconium Saxam* autem DIVI FRATRES non simpliciter compellant, sed *Carissimum* vocant. Benigne enim & amice Impp. Provinciarum Rectores, aliosque, in Epistolis & Rescriptis salutare solebant, ut scil. dicerent *Carissime*, v. *l.* 6. *D. ad L. Jul. de vi publ. l.* 2. *D. ad SCt. Silan. l.* 87. §. 3. *D. de leg.* 2. Plin. *Ep. L.* X. *Ep.* 31. 45. 86. 90. 116. supr. Differt. XIV. §. 10. vel *Carissime nobis.* v. *inscr. l.* 9. *C. de appell. l.* 11. *C. de accus.* Quod non tantum integris verbis, sed sæpe etiam siglis C. vel K. & C. N. vel K. NB. exprimebatur. v. *l.* 3. *l.* 5. *C. Greg. ad L. Corn. de sic.* Collat. LL. Mosaic. & Rom. *T.* 1. §. 18. Cuj. 1. *O.* 15. Ex quibus haud dubie restituendus corruptus plane Coll. LL Mosaic. & Rom. locus *T.* V. §. *ult.* in verbis AGUC NOVIS. Quorum sane verborum sensus nullus est, nisi vel cum Pith. legatur *Orienti Vic. C. Nobis.* i.e. *Orienti Vicarie carissime Nobis;* vel uti in margine editionis Parisiensis haberi monet Cl. Schult. ad *d.* §. *ult. Orienti amantissime atque carissime nobis;* ut forte scriptum sit *Orienti Am. ac C. Nobis.*

XIII. Causa vero, de qua consulti sunt Impp. servum aliquem concernebat nomine *Primitivum.* Hoc enim nomen ipsius fuisse proprium ex ipso hoc loco non difficulter intelligitur; ejusque nominis & plures fuisse alios, non tantum servos, sed & liberos, ex Gruter. *Corp. Inscr. p.* 11. *n.* 8. LXVII. *n.* 3. LXXXV. *n.* 3. 4. XC. *n.* 12. iisque, quæ notata sunt a Mænag. *Amœn. J. C. c.* 31. notum est.

XIV. Quem servum *Primitivum* Impp. *homicidium in se confingere, metu ad dominum revertendi,* dicunt *suspectum fuisse.* Scil. *Primitivus* hic homicidium se commisisse, nullo ac-

accusante ultro, uti docet Ulp. §. *h. n.* 27. *pr.* confessus erat, &, uti probabile est, semet ipsum detulerat. Sed suspectus erat metu ad dominum revertendi id homicidium in se confinxisse. Cui rei haud dubie occasionem dedit homicidium tum temporis ab alio aliquo commissum, uti in casu, quem refert A. Robert. *Rer. jud. L.* 1. *c.* 4. cæteroquin enim, si non constitisset homicidium aliquod commissum fuisse, laudari non potuisset prudentia *Saxæ*, quod ad solam confessionem *Primitivi*, licet vel maxime in eo perseveraret, eum condemnasset, uti recte ad *h. n* §. 27. observat Cl. Schultingius, Collega meus conjunctissimus. v. supr. §. 3.

XV. A natura quidem omni animantium generi tributum, ut se, vitam corpusque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videantur, omniaque, quæ sint ad vivendum necessaria, anquirat & paret; Cic. *de Off. L.* 1. *c.* 4. omnibusque insita sui cura & conservatio, Sen. *Ep.* CXXI. neque quisquam suam ipsius carnem odio habet, uti docet Doctor Gentium Paulus *ad Eph.* v. ỷ. 29. Sed tamen non desunt exempla contraria, tum eorum, qui vel tædio vitæ, *l.* 3. §. 4. *D. de bon. eor. qui ant. sent. l.* 6. §. 7. *D. de injust. rupt.* uti Ajax, v. Soph. *Ajac. Flagellif.* ỷ. 458. *& seqq.* Lucretia, v. Liv. *L.* 1. *c.* 58. Cato Uticensis, v. Plut. *Cat. Min.* Val Max. *L.* III. *c.* 2. *n.* 14. Sen. *Ep. ad Lucil.* XXV. L. Domitius Massiliensis; v. Plin. *L.* VII. *Hist.* 53. vel jactationis gratia, *d. l.* 6. §. 7. *D. de inj. rupt.* uti Empedocles, v. Hor. *de art. Poët.* ỷ. 464. *& seqq.* Proteus seu Peregrinus, v. Gell. *L.* XII. *c.* 6. Cleanthes, Chrysippus, Zeno, aliique; v. Lact. *Inst. L.* III. *c.* 18. vel æris alieni pudore, v. Paul. v. *Sent. T.* XII. §. 1. *l.* 45. §. 2. *D. de jur. fisc.* aliamve ob causam, sibi vim intulerunt: v. *d. l.* 3. *pr. D. de bon. eor. qui ant. sent.* tum eorum, qui, cum sibi ipsi manus inferre non sustinerent, vel cum vere nocentes essent, ut scil meritam subirent pœnam, v. A. Hub. *Præl. ad t. D. de jud. n.* 57. Bodin. *Dæmonol. L.* IV. *c.* 3. vel etiam

cum

cum plane innocentes essent scelerisque puri, maleficia in se confinxerunt, & semet ipsos ultro detulerunt. v. Sen. *L.* VII. *Contr.* I. Calp. Flacc. *Decl.* XLI. Lucian. *Toxarid.* Heliodor. Æthiop. *L.* VIII. *in f.* & *L.* IX. *pr.* Achill. Tat. *L.* VII. *p.* 429.

XVI. Quos inter *Primitivus* hic noster servus fuit, qui metu ad dominum revertendi homicidium in se confinxit, quod tamen ipse neutiquam patraverat. Insignis sane multorum Dominorum apud Romanos in servos erat sævitia, ut eos sæpe non tantum supra modum castigarent, sed & fame premerent, imo ad obscœnitatem, & infamem ac intolerabilem injuriam compellerent. *l.* 2. *D.* §. 2. *I. de his qui sui vel alien. jur. sunt. l.* 1. §. 8. *D. d. off. Præf. urb. l.* 2. *D. de SCt. Silan.* Ut servi ad desperationem redacti modo insidias struerent vitæ dominorum, & in proverbium abiret, tot hostes esse quot servos; v. Sen. *Ep.* XLVII. modo ad Ecclesias & statuas Principum confugerent; *d. l.* 2. *d.* §. 2. *d. l.* 1. §. 8. *t. C. de his qui ad Eccles. t. C. de his qui ad stat. Princ.* modo laqueum torquerent, sese præcipitarent, vel in Tiberim conjicerent; *l.* 17. §. 4. 6. *l.* 23. §. 3. *D. de Æd. ed.* vel etiam, uti hic noster *Primitivus*, crimina in se confingerent & confiterentur, ut pœnam subeuntes vel sic finem miseriarum consequerentur.

XVII. Non tamen homicidium ita in se confingere potuit, quin figmenti nomine *suspectus esset*, i. e. quin suspicionem aliquam præberet, seu in suspicionem adduceretur conficti homicidii. Vehementer enim hic hallucinatus est Accursius, qui fingit *Primitivum* servum jussum occidere aliquem, dein domino renunciasse id a se effectum esse, ne scil. dominus in eum sæviret; vocemque *suspectus* ita accipit, ut idem significet quod *confessus*. Longe enim aliam facti speciem esse, ex dictis manifestum est: neque enim *Primitivus* fatebatur, se homicidium fingere, ne ad dominum rediret,

ret, sed id ipsum, quantum potuit, dissimulavit; neque ratio vocis *suspecti* eam expositionem admittit.

XVIII. Cum itaque suspicio illa confícti homicidii injecta esset *Saxæ*, non statim ad solam confessionem *Primitivi* sententiam pronunciavit, sed rationi ac Juri convenienter, v. supr. §. 5. in circumstantias facinoris inquisivit, eumque in primis de consciis, quos similiter se habere commentus est, interrogavit. Cumque & eos interfuisse diceret, & in confessione perseveraret, ne contra notissimas Juris regulas *de Confessis* committere videretur, *Primitivum* tanquam homicidam condemnavit.

XIX. Ad quam pœnam *Primitivus* condemnatus sit, hic non exprimitur; sed pœnam *Legis Corneliæ de sicariis* decretam esse, ultro intelligitur, & quidem haud dubie capitalem. Licet enim *Legis Corneliæ de sicariis* ordinario pœna deportatio esset, *l.* 3. §. 5. *D. ad L. Corn. de sic.* Paul. *Sent. L.* v. *T.* XXIII. §. 1. quibusdam tamen casibus capitalis fuit, posteaque receptum, ut altiore loco positi deportentur in insulam, qui secundo gradu positi sunt, capite puniantur, humiliores vero (quibus & servi annumerandi, *l.* 10. *pr. D. de pœn.*) ipsis quandoque bestiis subjiciantur. Paul. *d. l. d. l.* 3. §. 5. *l. pen. D. ad L. Corn. de Sic.* ubi, ut cum *d. l.* 3. §. 5. conveniat, pro *aliquo*, acute *alto* restituit Cl. Noodt *L.* 1. *Obs. c.* 1.

XX. Non tamen Voconius Saxa *Primitivum* eo animo condemnavit, ut sententiam statim executioni mandaret, sed, cum animo ejus adhuc hæreret, neque plane exemtus esset scrupulus confícti homicidii, eo consilio, ut ulterius ex eo *quæreret de consciis, ut ad certiorem ipsius de se confessionem perveniret.* Licet enim, ubi sententia pronunciata est, ea quam primum, maxime in gravioribus causis, executioni mandanda sit, *l.* 5. *C. de custod. reor. l.* 18. *C. de pœn.* ne facultas supplicandi, vel quibusdam malignis artibus, tam Præsidum, quam Officialium, pœnas evitandi pateat; *d. l.* 18. non tamen

men hoc ita accipiendum, quasi longa mora existimanda sit ea, quæ reo aut ad defensionem innocentiæ, aut ad pœnitentiam agendam, & placandum precibus Deum, conceditur, omnesque causæ, etiam justæ, quæ dilationem suadere possint, in totum excludantur. Non unus enim casus est, quo dilationem aliquam concedi rationis est. Veluti I. Si mulier damnata sit gravida; cujus pœna differtur, quoad pariat. *l.3. D. de pœn.* II. Si damnatus res alienas administraverit, & necdum rationes reddiderit. arg. *l.5. C. de bon. proscr.* III. Si Princeps pœna graviori, quam consueta, reum affici jusserit: quo casu ex Constitutione Grat. Val. & Theodosii pœna per 30 dies differenda est. *l.20. C. de pœn. l.13. C. Theod. eod.* v. Cassiod. *Hist. Tripart. L.* IX. *c.* 30. Nec non IV. Si justa subsit suspicio, damnatum sceleris socios habuisse: quo casu ad aliquod tempus servatur, ut ex eo in socios quæstio habeatur. *l.29. D. de pœn. l.17. D. de SCt. Silan. l. ult. D. ad exhib. l. ult. C. de malef. & mathem. l.1. C. de fals. mon.*

XXI. *Quæstionem* non qualemcunque a *Saxa* institutam, sed eam, quæ per tormenta & corporis dolorem fiebat, adhibitam fuisse, tum ex sequentibus in eodem *h.n* §.27. tum ex *l.h.n.* 1. §.1. *& seqq. l* 17. *C. de quæst. l.* 15. §. 41. *D. de injur.* non difficulter intelligitur. Sed an Quæstio per tormenta hoc casu in confessum licite sit adhibita, difficultate non caret. Neque enim putandum eos, qui a *Primitivo* quasi conscii nominati sunt, a *Saxa* torturæ subjectos fuisse. Nam dicitur Saxa *quæsiturus de consciis*, non vero *ex consciis*; uti dicendum fuisset, si Saxa falso nominatos conscios de hac causa porro per tormenta interrogasset. Unius etiam, maxime rei, testimonium, contra alium, ad torturam minime sufficit. *l.20. D. de quæst. l.9. §.1. C. de testib.* Quin & ex ipsis reis quæstionem in alios habitam constat ex *d. l.29. D. de pœn. d. l.17. D. de SCt. Silanian. d. l.1. C. de fals. monet.* neque aliter hic factum fuisse aperte docent sequentia, quæ per tormen-

ta deprehensa subjiciuntur; quandoquidem ex aliis tanquam conſciis falſo nominatis, *Primitivum* temere de ſe commentum fuiſſe, certo conſtare non potuiſſet.

XXII. Et quidem quantum ad ipſam *Quæſtionem per tormenta* ſeu torturam attinet, res equidem fragilis eſt & *periculoſa*, *l.* 1. §. 23. *D. de quæſt.* & proinde non facile adhibenda. *l.* 1. *pr. D. de quæſt.* v. ſupr. §. 6. Intereſt tamen Reip. ne deliƈta maneant impunita, *l.* 51. §. 2. *D. ad L. Aquil.* quæ ſine tortura ſæpe explorari & inveſtigari nequeunt, ut ad requirendam veritatem quandoque ſola ſufficiat. *l.* 8 *pr. D. de quæſt.* Neque Jure Divino improbatur, v. Matth. XVIII. ỳ. 14. Aƈt. Apoſt. XXII. ỳ. 24 25. ſed imo extraordinarius probandi modus eo quibusdam caſibus admittitur. v. Num. v. ỳ. 13. *& ſeqq.* Joſ. VII. ỳ. 14. *& ſeqq.* Adeoque in atrocioribus, ſi graviſſima adſint indicia, non in totum videtur damnanda, neque ſine ratione apud Athenienſes, Rhodics, Romanos, aliosque, recepta. v. Ariſt. *L.* 1. *Rhetor. c.* 47. Cic. *Part. Orat. c.* 34. *Top. c.* 20. pro *Cluent. c.* 65. Paul. *L.* v. *Sent. T.* XIV. XVI. *l.* 1. *pr.* §. 1. 19. *l.* 8. *D. de quæſt.* Weſenb. ad *t. D. de quæſt. n.* 2. & ibid. Hahn. Voet. *ad d. t. n.* 1. Hub. *ad d. t. n.* 1. Quemadmodum & ipſi Diſſ. A. Matth. *de Crim. ad d. t. c.* 5. Wiſſenb. *ad d. t. th.* 14. torturam duobus caſibus licitam eſſe concedunt: in crimine ſcil. læſæ Majeſtatis, & cum reus conviƈtus in conſcios torquetur, ſi crimen admiſſum atrox ſit, & ejusmodi, ut absque aliorum ope admitti non potuerit.

XXIII. Quantum vero ad *Confeſſum*, Jus ita traditum eſt, ut vix ſibi conſtare videatur. *Confeſſos* enim in ſocios etiam per tormenta interrogatos eſſe, non tantum ex hac *n. l.* 1. §. 27. apparet, ſed docet etiam Modeſtinus in *l.* 17. *D. de SCt. Silan.* dum ait: *Prius de ſe familia torquenda eſt; &, ſi confiteatur, tunc interrogetur, quo mandante flagitium admiſſum ſit.* Nec non Tertull. dum *Apol. c.* 2. (jam ſupra quoque

que §. 5. allegato) inquit: *Si de nocente cognoscitis non statim confesso eo nomen homicidæ, vel sacrilegi, vel incesti, vel publici hostis, contenti estis ad pronunciandum, nisi & consequentia exigatis, qualitatem facti, numerum, locum, tempus, conscios, socios.* Et porro subjicit: *Latronibus vestigandis per universas provincias militaris statio sortitur. In reos Majestatis & publicos hostes omnis homo miles est: ad socios, ad conscios inquisitio usque extenditur.* Et paulo post: *Neque ideo non putaretis requirenda quæstionibus scelera, quia certi essetis admitti ea ex nominis confessione, qui hodie de confesso homicida, scientes homicidium quid sit, nihilominus ordinem extorquetis admissi.* add. Apul. *Metam. L.* III. *p.* 132. Ach. Tat. *L.* VII *p.* 447. Et tamen longe aliud tradere videtur Paulus JC. qui *Lib.* I. *Sent. T.* XII. §. *ult.* de hac causa ita loquitur: *Is, qui de se confessus est, in alium torqueri non potest, ne alienam salutem in dubium deducat, qui de sua desperavit.* Quin & *eum, qui de se confessus est, in caput aliorum non torquendum esse*, Divum Pium rescripsisse, laudatus restatur Modestinus in *l.* 16. §. I. *D. de quæst.* Idemque volunt Honor. & Theod. Impp. in *l. ult. C. de accus.* in hæc verba rescribentes: *Nemo tamen sibi blandiatur objectu cujuslibet criminis, de se in quæstione confessus, veniam sperans propter flagitia adjuncti, vel* [*pro*] *communione criminis consortium superioris personæ optans, aut inimici supplicio in ipsa supremorum suorum sorte satiandus, aut eripi se posse confidens, aut studio, aut privilegio nominati: cum veteris Juris auctoritas de se confessos ne interrogari quidem de aliorum conscientia sinat. Nemo igitur de proprio crimine confitentem super conscientia scrutetur aliena.* add. *c.* I. *x. de confess.* Ut secundum hæc neutiquam laudanda fuerit prudentia *Saxæ*, sed potius contra Juris auctoritatem commisisse dicendus sit, dum *Primitivum* jam confessum, ut ulterius ex eo in conscios quæreret, torturæ subjecit.

XXIV. Plerique distinguunt inter Regulam & Exceptiones;

nes; ut confessus in alios ordinario non sit torquendus, sed excipiantur crimina atrociora, veluti Majestatis, Sacrilegii, Assassinii, Latrocinii, & similia. Idque significare censent Gajum in *l.* 29. *D. de pœn.* dum ait: *Sæpe etiam ideo servari solent post damnationem, ut ex his in alios quæstio habeatur*, eo quod dictio *sæpe* casus denotat speciales contrarios. v. *l.* 53. *D. de V. S. &c.* I. *x. de confess.* Farin. *Prax. & Theor. crim. Q.* XLIII. *n.* 56. *& seqq.* Menoch. *Arb. Jud. Quæst. Cent.* v. *Cas.* CCCCLXXII. *n.* 27. *& seqq.* Zanger. *de Quæst. c.* 11. *n.* 73. *& seqq.* Quidam distinguendum censent, an reus servus sit? an homo liber? Si servus, eum de socio, vel mandante interrogandum esse, *l. ult. D. ad exhib.* quia non solent servi sine mandato grande aliquod moliri. Sin vero homo liber, subdistinguendum statuunt I. inter dictam regulam & exceptiones: & II. utrum delictum sine sociis committi potuerit? quo casu Quæstionem improbant, excepto veneficio; v. *l. ult. C. ad L. Corn. de sic.* utrum non potuerit? quo casu torturæ locum faciunt. v. *l.* 10. *C. de fer. l.* 6. §. 1. *D. de custod. reor.* Salicet. *ad l. ult. C. de accus.* Brunnem. *ad d. l. n.* 5. 6. Non pauci differentiam statuunt inter *confessum*, cui de socio fatenti non facile credendum, cum tam temere de aliis, quam de se, confessus præsumatur; & inter *convictum*, qui in conscios interrogari potest, quia credimus non facile innocentes oneraturum, qui ne nocens quidem confiteri voluit. v. Cuj. *ad d. l. ult. C. de accus.* Hotm. ad *l.* 11. *C. de testib.* A. Matth. *de Crim. ad L.* XLVIII. *D. T.* XIII. *c.* 3. *n.* 15. Nonnulli interesse volunt inter *confessum in tortura*, eumque, qui *sine tortura ultro confitetur*; ut *tortus* in socios iterum torqueri nequeat, *sine tortura confessus* possit. v. J. Gothofr. ad *d. l. ult. C. de accus.* Cl. Schulting. *ad h. n. l.* 1. §. 27. *th.* 15. Verum enim vero, uti hæ Consultissimorum Virorum distinctiones ratione non destituuntur, sic tamen, si cum allegatis utrinque locis accuratius paulo conferantur, non deerit, quod in singulis desideretur.

retur. Non improbabile videtur, *servos* in hac causa separandos esse ab hominibus *liberis*: *servos*, quippe qui & in causa testimonii, aliaque Civili seu pecuniaria, torturæ subjici possunt, *l.* 1. §. 1. 19. *D. de quæst. l.* 15. *C. eod.* in socios indistincte torqueri posse. v. *h. n. l.* 1. §. 27. *l.* 17. *D. ad SCt. Silan. l. ult. D. ad exhib.* In *liberis* vero distinguendum esse, *utrum* quis *confessus* sit, *l.* 16. §. 1. *D. de quæst. l. ult. C. de accus.* an *convictus?* v. *l.* 29. *D. de pœn. l.* 10. *C. de ser. l. ult. C. de malef. l.* 1. *C. de fals. mon.* Ita tamen, ut arbitrium jus dicentis non excludatur; v. Tertull. *Apol. c.* 1. 2. cui multum in hac causa relinquendum esse res ipsa loquitur. v. *d. l.* 1. §. 1. *l.* 8. *pr. D. de quæst.* Carpz. *Prax. crim. P.* III. *Q.* CXXI. *n.* 27. Ut adeo mirum videri non debeat, *Saxam* hoc casu, quo *Primitivus servus* homicidium non tantum a se commissum, sed & socios sceleris sese habere confessus erat, de consciis ex eo, licet confesso, quærendum censuisse.

XXV. Consilium sane hoc *Voconii Saxæ* non caruit effectu, sed habita quæstione apparuit, *Primitivum* prorsus innocentem fuisse, eumque, ex solo metu ad dominum revertendi & desperatione, homicidium a se patratum, sociosque confinxisse; uti Impp. subjiciunt, dum pergunt: *Nec frustra fuit tam prudens consilium tuum, cum in tormentis constiterit, neque illos ei conscios fuisse, & ipsum de se temere commentum*, seu *commentitum*, uti dixerunt supra. v. Apul. *Metam. L.* VII. *pr.*

XXVI. Cum itaque *Primitivus* innocens, quantumvis condemnatus, neque statuta pœna affici, neque tamen per *Saxam* absolvi posset, summa ratione *Voconius Saxa* IMPERATORES FRATRES de eo consuluit. Ratio enim Justitiæ non patitur, ut innocens, sive ante, sive post sententiam de innocentia constet, puniatur. v. supr. §. 4. 8. Damnandumque proinde factum Cn. Pisonis, qui militem, ob id, quod ex commeatu sine commilitone redierat, quasi eum interfecisset, non

non tantum damnavit, sed cum commilito apparuisset, nihilominus eum, ut & alterum, qui condemnatum non occiderat, imo & ipsum Centurionem, qui damnatum reduxerat, ultimo supplicio affici jussit; quo nihil indignius merito exclamat Sen. *de Ira. L. 1. c.* 16. Ratio autem contra utilitatis publicæ exigit, ut inconcussa & illibata sit rerum judicatarum auctoritas, v. Cicer. *pro Sull. c.* 22. in Verr. v. *c.* 6. licet per errorem vel ambitionem judicatum sit. *l.* 65. §. 2. *D. ad SCt. Trebellian.* Ut non tantum Judex Pedaneus, qui ad certam causam datus est, postquam semel pronunciavit, sive bene, sive male officio suo functus, sententiam suam revocare nequeat; *l.* 55. *l.* 62. *D. de re jud.* sed nec Magistratus possit, sive causa Civilis sit, sive Criminalis. v. *l.* 14. *l.* 42. *D. de re jud. l.* 2. *C. de sent. ex peric. recit. t. t. C. sent. resc. non poss. l* 15. *C. de pœn.* Uti ad hoc nostrum Rescriptum DIVORUM FRATRUM recte notavit Ulp *h. n. l* 1. §. 27. *in f. Sed Præses Provinciæ*, ait, *quem damnavit restituere non potest, cum nec pecuniariam sententiam suam revocare possit*. Eleganter Sen. *Contr ov.* XXIII. *Judex quam semel tulit de reo tabellam revocare non potest, Quæsitor non mutabit pronunciationem suam.* Id enim non Præsidis alteriusve Magistratus est, sed Principis, ejusve, qui summam in Rep habet potestatem. Adeoque *Principi scribere oportet, si quando ei, qui nocens videbatur, postea ratio innocentiæ constitit.* Uti idem monet Ulp. *h. n. l.* 1. §. *ult in f. l.* 1. §. 10. *D. de postul.* aperte Paulus in *l.* 45. §. 1. *D. de re jud. De amplianda, i. e.* augenda, (ut contra P Fab. 1. *Sem c.* 4. recte statuit laudatus Cl. Schult. ad *h n. l.* 1. §. 27. *th.* 22.) *vel minuenda pœna damnatorum post sententiam dictam sine Principali auctoritate nihil est statuendum* Nec non Callistr. ipsorum etiam DIVORUM FRATRUM Rescriptum in eam rem allegans, & ad hoc nostrum Rescriptum quoque respiciens, in *l.* 27. *pr. D. de pœn.* DIVI FRATRES *Haruntio Siloni* rescripserunt: *Non solere Præsides Provinciarum ea, quæ pronunciaverunt, ipsos rescindere*

dere. Vetinæ quoque *Italicensi* rescripserunt: *Suam mutare sententiam neminem posse, idque insolitum esse fieri. Si tamen de se quis mentitus fuerit, vel, cum non haberet probationum instrumenta, quæ postea repererit, pœna affectus sit, nonnulla extant Principalia Rescripta, quibus vel pœna eorum minuta est, vel in integrum restitutio concessa: sed id duntaxat a Principe fieri potest.* v. P. Fabr. *Sem. d. L.* 1. *c.* 4. Carpz. *Prax. crim. Q.* LXI. *n.* 66. *& seqq.*

XXVII. Neque aliud inferri potest ex *l.* 16. §. *ult. D. de min.* & *l. ult.* §. *ult. C. de mod. mulct.* In *d. l.* 16. §. *ult. de min.* enim nihil aliud habetur, quam Præfectum Urbi, aliosque Magistratus ex justa causa contra sententiam suam restituere posse. Longe aliud autem est, ex causa justitiæ contra sententiam suam in integrum restituere, aliud, sententiam pronunciatam mutare & revocare. v. *l.* 1. §. 10. *D. de postul.* In *d. l. ult.* §. *ult. C. de mod. mulct.* vero potestas tantum datur Moderatoribus Provinciarum *mulctam* ob paupertatem remittendi; inter quam & *pœnam* multum interest. *l.* 131. §. 1. *l.* 244. *D. de V. S.*

XXVIII. Quid igitur hoc casu fieri velint, ad petitionem *Saxæ* his verbis rescribunt Impp. *Potes itaque Decreti gratiam facere, & eum per Officium distrahi jubere, conditione addita, ne unquam in potestatem domini revertatur.* Quibus duo sanciunt Impp. I. *Decreti* seu *sententiæ*, uti dicitur, v. *l.* 4. *C. de sent. pass. & rest.* sua auctoritate gratiam faciendam, i. e. *decretum* seu sententiam, pœnamque decreto statutam, remittendam esse. II. Servum *Primitivum*, per *Officium*, i. e. *Officiales*, & apparitores *Voconii Saxæ*, vendendum esse: quemadmodum & *per Officium pignora venundari* dicuntur, *l.* 2. *C. si in caus. jud. pign. capt. sit. l.* 74. §. 1. *D. de evict.* & *ministeria* alibi pro *ministris*, v. *l.* 6. §. 3. *D. de off. Præf. l.* 7. §. 1. *D. de off. Proc. l.* 27. §. 9. *D. ad L. Aquil.* ut & *servitia* pro *servis* accipiuntur. v. Cic. *pro Flacc. c.* 38. *de Leg. L.* III. *c.* II.

XXIX. Et quidem ea Lege venditionem fieri volunt, *ne Primitivus unquam in potestatem Domini revertatur.* Prout & jam ante Antoninus Pius constituerat, ut, si Dominus in servos supra modum sæviret, cogeretur eos bonis conditionibus vendere, & ita, ut in potestatem domini non reverterentur. *l.* 2. *D.* § 2. *l. de his qui sui vel al. jur. sunt.*

XXX. Ex quo Ulp. *h. n. l.* 1. §. *ult.* infert, *Primitivum* damnatum mansisse in dominio Domini sui. *Hac Epistola significatur*, ait, *quasi servus damnatus, si fuisset restitutus, ad eum pertinebit, cujus fuisset, antequam damnetur.* Tò *quasi* enim posuit pro *quod*, uti & in *l.* 5. §. 3. *D. de lib. leg.* add. *l.* 10. *pr. l.* 28. §. 4. *l.* 34. *pr. D. l.* 13. *C. de pæn.* Cui e diametro obstare videntur *l.* 24. §. 5. *D. de fideic. lib. l.* 8. §. 12. *D. de pæn. l.* 8. *C. de sent. pass.* ubi traditur, servum ad metallum vel pœnam capitis damnatum, per Principem restitutum, in dominium prioris domini non restitui, sed Fisci factum esse. Sed *dd. ll.* loquuntur de casu, quo servus, qui delicti vere reus & nocens est, damnatus, & postea per Principem ex mera gratia restitutus est: cum hic agatur de innocente damnato, uti ex dictis manifestum est.

XXXI. Addunt denique Impp. *Quem pretio recepto certum habemus libenter tali servo cariturum.* Quo enim animo talis servus, per sævitiam domini ad tantam desperationem redactus, erga dominum futurus sit, & quam securitatem dominus ab eo expectare, vel sibi promittere possit, nemo non intelligit. v. supr. §. 16. Ut non tantum non habeat dominus, quod queratur, sese tali servo cariturum, sed imo, quod gratias agat, quod servi, cujus dominium stricto jure per damnationem jam amiserat, pretium consequatur, & a desperato, quo nihil periculosius est, v. Liv. *L.* x. *c.* 32. supr. *d.* §. 16. hoc pacto liberetur.

DIS-

DISSERTATIO DECIMA NONA.

Ulpianus *Libro primo de Appellationibus.*

SI quis in appellatione erraverit, ut puta, cum alium appellare deberet, alium appellaverit, videndum, an error ei nihil officit. Et si quidem, cum majorem Judicem appellare deberet, ita erravit, ut minorem appellet, error ei nocebit: si vero majorem Judicem provocavit, error ei nihil oberit; & ita multis constitutionibus continetur. Denique, cum quidam Judicem ex Rescripto Principis a Consulibus accepisset, & Præfectum Urbi appellasset, errori ejus subventum est *Rescripto* DIVORUM FRATRUM, cujus verba hæc sunt: *Cum per errorem factum dicis, uti a Judice, quem ex Rescripto nostro ab Amplissimis Consulibus acceperas, ad* Junium Rusticum [*amicum*] *nostrum* Præfectum Urbi *provocares, Consules Amplissimi perinde cognoscant, atque si ad ipsos facta esset provocatio.* Si quis ergo vel parem, vel majorem Judicem appellaverit, alium tamen pro alio, in ea causa est, ut error ei non noceat, sed si minorem, nocebit. *l.* 1. §. 3. *D. de appell.*

I. *Appellationis usum frequentem esse & necessarium.* II. *An a Regibus ad Populum provocare licuerit?* III. *Sub libera Rep. provocationem ad populum fuisse, paucis exceptis casibus.* IV. *Nonnunquam tamen etiam provocatum ad Tribunos Plebis, & a Prætore ad Collegas.* V. *Sub Impp. quomodo appellatum sit?* VI. *Quibus, & a quibus appellare liceat?* VII. VIII. *Quis ordo servandus?* IX. X. XI. *Si in ordine servando erratum sit, eum, ad quem appellandum fuisset, perinde cognoscere, ac si ad eum provocatio facta esset.* XII. *Scrupulus removetur.* XIII. *Idemque obtinere,*

nere, si quis statim ad Principem appellaverit: ut & moribus.

I. Appellandi usus, quam sit frequens, quamque necessarius, nemo est, qui nesciat, quippe cum iniquitatem judicantium, vel imperitiam, [re] corrigat, ait idem Ulp. *d. l.* 1. *pr. D. de appell.* Cum enim non raro contingat, ut Judices pravis affectibus abrepti, vel sordibus corrupti, per malitiam, vel juris imperiti, factive circumstantias non satis perpendentes, per imprudentiam, contra quem pronuncient, v. *l.* 15. §. 1. *D. de jud. t. t. C. de pœn. jud. qui mal. jud. l. pen. D. de J. & J. pr. I. de injur. pr. I. de obl. quæ quas. ex del. nasc.* remedio Appellationis ad Superiores læsis subveniri, naturali æquitati conveniens est, eaque ratione id speciem defensionis, præsidiumque innocentiæ continere, non male dicitur. *c.* 61. §. *Porro. x. de appell.* Unde & Jure Divino non tantum non est prohibita, sed & vestigia ejus in eo occurrunt, v. Exod. XVIII. ℣. 26. junct. Num. XI. ℣. 14. *& seqq.* Deut. I. ℣. 12. *& seqq.* XVII. ℣. 8. *& seqq.* & apud plerasque gentes moratiores usu recepta ac probata est. v. Herod. *L.* I. Arist. *Polit. L.* II. *c.* 6. Cic. *Tusc. Quæst. L.* IV. *c.* 1. Joseph. *Ant. L.* XIII. *c.* 6.

II. Et quidem quantum ad Romanos attinet, usus provocandi ad Populum, maxime in criminalibus, apud eos antiquissimus fuit, & sub ipsis adeo Regibus non incognitus. An vero a Regibus ad populum provocare licuerit? inter ipsos antiquos non convenit, v. Senec. *Ep.* CVIII. ac proinde quæstio anceps est. Sed licuisse verius videtur. Apud Populum enim, etiam sub Regibus summa erat potestas, Magistratuum scil. creatio, inferendi belli deponendique arbitrium, & Legum condendarum potestas. v. Dion. Hal. *L.* VI. *c.* 58. *L.* II. *c.* 14. *L.* VII. *c.* 52. *L.* IX. *c.* 54. Liv. *L.* I. *c.* 59. 11. Id docet exemplum Horatii, qui Curiatiis devictis, occisa-

cisaque mœsta ob necem Sponsi sorore, *a Tullo Rege damnatus, ad populum provocato judicio, absolutus est*, uti ait Val. Max. *L.* VIII. *c.* I. *n.* I. v. Liv. *L.* I. *c.* 26. Quod III. confirmat Liv. *L.* VIII. *c.* 33. ubi M. Fabius a Papirio Dictatore provocans ad Populum: *Videro*, inquit, *cessurusne provocationi sis, cui Rex Romanorum Tullus Hostilius cessit*. Quin & IV. ita tradidit Cic. *Libris de Rep.* (quos fata nostris subtraxere temporibus) Librisque Pontificalibus idem notatum fuisse observavit Fenestella. Senec. *d.* *Ep.* CVIII. *Cum ad eandem lectionem* (*Librorum* scil. Cic. *de Rep.*) *Philologus accessit* &c. *notat, Romulum perisse solis defectione: provocationem ad populum etiam a Regibus fuisse. Id esse in Pontificalibus libris putat & Fenestella.* Neque aliud probatur ex Flor. *L.* I. *c.* 9. dum de Valerio Poplicola agens inquit: *Nam & fasces ei pro concione submisit, & jus provocationis adversus ipsos dedit.* Non enim ait Flor. Valerium Poplicolam jus provocandi ad populum primum dedisse, sed eum jus provocationis ad populum, quod post Tullum Hostilium, vel usum non habuerat, vel a sequentibus Regibus, maxime Tarquinio Superbo, qui ad jus regni nihil quicquam præter vim habebat, Liv. *L.* I. *c.* 49. oppressum fuerat, etiam contra fasces dedisse, i. e. restituisse, & nominatim contra Consules etiam sancivisse. Eodemque sensu accipiendum illud Pomponii JC. in *l.* 2. §. 16. *D. de O. J.* *Qui tamen ne per omnia Regiam potestatem* (*usurpatam* scil.) *vindicarent, Lege lata factum est, ut ab eis provocatio esset.* Nisi forte (quod magis placet) Pomponius cum aliis quibusdam in alia fuerit sententia, quemadmodum de eo apud ipsos antiquos dubitatum fuisse jam monitum est.

III. Sub Libera sane Rep. jus provocationis ad Populum fuisse certum est. Quod in principio Reip. primo statim a Regibus exactis anno, restituit ac confirmavit P. Valerius Poplicola, qui *ante omnia Legem tulit de provocatione adversus Ma-*

Magistratus ad Populum, sacrandoque cum bonis capite ejus, qui regni occupandi consilia iniisset; uti ait Liv. *L.* II. *c.* 8. vel uti Val. Max. *L.* IV. *c.* I. loquitur: *Ne quis Magistratus civem Romanum adversus provocationem verberare aut necare vellet.* Plenius Dion. Halic. *L.* v. *c.* 19. *Leges quoque humanissimas tulit ad tutandam plebem: Unam in qua diserte cavit*, ne quis Romæ Magistratus gereret injussu populi; mortis pæna proposita, si quis contra faceret, & impunitate concessa, si quis talem occideret: *Alteram*, in *qua statutum est*, si quis Magistratus unum aliquem civem capite plectere, aut flagris cædere, aut pecuniis mulctare velit; licere privato provocare ad populi judicium; nec interim magistratui licere in eum animadvertere, donec populus suffragiis suis de eo statuerit. Cumque hoc jus deinceps sublatum esset per Decemviros, qui sine provocatione creati erant, Liv. *L.* III. *c.* 33. iterum cum Collega restituit L. Valerius Consul, A. U. C. 304. Liv. *L.* III. *c.* 55. *Aliam deinde Consularem Legem de provocatione, unicum præsidium Libertatis, Decemvirali potestate eversam, non restituunt modo, sed etiam in posterum muniunt, sanciendo novam Legem, ne quis ullum Magistratum sine provocatione crearet, qui creasset, eum jus fasque esset occidi, neve ea cædes capitalis noxæ haberetur.* Quo tempore etiam simile Plebiscitum, M. Duellio Trib. Plebis rogante, conditum est, ut scil. *qui plebem sine Tribunis reliquisset, quique Magistratum sine Provocatione creasset, tergo ac capite puniretur.* teste Liv. *d. l.* Quin & cum ne sic quidem Populo adhuc satis cautum videretur, M. Valerius Consul A. U. C. 450. eam Legem tertio sanciendam censuit. Liv. *L.* x. *c.* 9. *Eodem anno M. Valerius Cos. de Provocatione Legem tulit diligentius sanctam; tertio ea tum post Reges exactos lata est, semper a familia eadem. Causam renovandæ sæpius haud aliam fuisse reor, quam quod plus paucorum opes, quam libertas plebis poterant.* Porcia *tamen Lex sola pro tergo civium lata videtur,*

tur, quod gravi pœna, si quis verberasset, necassetve civem Romanum, sanxit. Valeria Lex, *cum eum, qui provocasset, virgis cædi, securique necari vetuisset, si quis adversus ea fecisset, nihil ultra quam improbe factum adjecit. Id (qui tum pudor hominum erat) visum credo vinculum satis validum Legis. Nunc vix servo ita minetur quisquam.* Mansitque Jus illud provocandi ad Populum, quamdiu libera fuit Resp. v. Suet. *in Cæs. c.* 12. Excepto tamen Dictatore, a quo provocatio non erat; v. Liv. *L.* II. *c.* 18. *L.* VIII. *c.* 34. Dion. Hal. *L.* V. *c.* 79. *& seqq.* (quanquam & illud postmodum mutatum, v. Fest. in voc. *Optima Lex.*) casuque summæ necessitatis, cum SCtum fieret, *viderent Coss. ne quid Resp. detrimenti caperet.* Sallust. *Catilin. c.* 29. *Itaque quod plerumque in atroci negotio solet, Senatus decrevit,* darent operam Consules, ne quid Resp. detrimenti caperet. *Ea potestas per Senatum, more Romano, Magistratui maxuma permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coërcere omnibus modis socios, atque cives: domi militiæque imperium, atque judicium summum habere.* add. Cic. *Or.* I. *in Catil. c.* 2. *pro Milon. c.* 26.

IV. Non tamen semper provocationes ad Populum factæ sunt, sed & quandoque ad Tribunos Plebis, ut intercederent, ne dies aut Actio diceretur, atque auxilio essent oppressis, tum in Urbe, v. Liv. *L.* III. *c.* 56. Cic. *pro Quint. c.* 7. 26. Val. Max. *L.* VI. *c.* 5. Gell. *L.* IV. *c.* 14. Tacit. *Ann. L.* XIV. *c.* 48. tum ex Provinciis; v. Plutarch. *in Cæs.* quandoque a Prætore ad Collegas. Cic. I. *in Verr. c.* 46. Ascon. Ped. *ad d. l. p. m.* 101. *Intercedere ut vides etiam Prætor Prætori solet, ut Piso Verri appellatione causæ ad collegam facta.* v. Pollet. *Hist. For. Rom. L.* V. *c.* 16. Lipf. *ad Tac. Ann. L.* XIV. *c.* 28. *Excurs. lit. C.*

V. Postquam autem Senatus Populusque Romanus Lege Regia omne imperium suum in Principem transtulit, v. *l.* I. *pr. D. de const. Princ.* §. 6. *I. de J. N. G. & C.* supr. Differt. II. *c.* I. §. 3.

§. 3. *& seqq.* Jus appellandi ad Populum, quod ante obtinebat, etiam transiit in Principes; qui varie de eo constituerunt. Augustus Appellationes *quotannis Urbanorum quidem litigatorum Prætori delegabat Urbano: at Provincialium Consularibus viris, quos singulos cujusque Provinciæ negotiis præposuisset;* Suet. *in Aug. c.* 33. ita tamen, ut graviorum rerum appellationes sibi reservaret. v. Dion. Cass. *L.* LII. Quemadmodum ad Tiberium appellatum esse manifestum est ex Act. XXV. ỳ. 11. 12. Tacit. *L.* VI. *c.* 5. Caligula *Magistratibus liberam jurisdictionem, & sine sui appellatione concessit.* Suet. *in Cal c.* 16. Sed nec illud fuit diuturnum, uti constat ex Dion. Cass. *L.* LIX. Sub Nerone vero cautum, *ut omnes appellationes a Judicibus ad Senatum fierent.* Suet. *in Ner. c.* 19. Tacit. *Ann. L.* XIV. *c.* 28. Usque dum successu temporis certum jus de appellationibus constitutum est.

VI. Secundum quod appellare possunt omnes damnati & gravati, *l.* 1. *pr. D. l.* 30. *C. de appell.* omnesque, quorum interest; *l.* 4. §. 2. *& seqq. l.* 5. *pr.* §. 1. *D. de appell.* a sententia Definitiva, *l.* 21. *C. de appell.* ut & Interlocutoria, quæ vim habet definitivæ, vel damnum infert irreparabile; *l.* 36. *C. de appell. l.* 2. *D. de appell. recip.* in omnibus causis, sive minoribus, sive majoribus, *l.* 20. *C. de appell.* sive Civilibus, sive Criminalibus; *l.* 6. *D. l.* 14 *l.* 29. *l.* 30. *C. de appell. l.* 6. *C. de Episc. aud.* & ab omnibus Judicibus: Excepto I. Principe. *l.* 1. §. 1. *D. a quib. app. non lic.* II Senatu, a quo ne quidem ad Principem appellare licet, ex constitutione Hadriani; *l.* 1. §. 2. *D. eod.* cum olim secus esset. v. Tacit. *Ann. L.* VI. *c.* 3. III. Proceribus sacri Palatii. *l.* 34. *l.* 37. *C. de appell.* IV. Præfecto Prætorio; *l. un.* §. 1. *D. de off. Præf. Præt. l.* 17. *D. de min. l. un C. de sent. Præf. Præt. N.* 119. *c.* 5. contra cujus sententiam tantum Supplicatio concessa est, ipsi Præfecto Prætorio intra decendium, vel Imp. intra biennium offerenda. *d. l. un. C. de sent. Præf. Præt. l.* 5. *& Auth. seq. C. de prec. Imp. off. N.* 119. *c.* 5.

c. 5. Nec non v. Judice dato a Principe, cum clausula, *ne ab eo appellare liceat. l.* 1. §. 4. *D. a quib. appell. non lic.*

VII. Dummodo servetur ordo necessarius: Ut scil. Appellatio fiat a Judice inferiore ad superiorem, gradatim, non per saltum, relicto Judice intermedio. *l.* 1. §. 3. *l.* 21. *pr.* §. 1. *D. de appell. l.* 4. *C. de jurisd. N.* 17. *c.* 3. *in f.* Superioris enim est corrigere errorem inferioris, non etiam paris vel minoris; *c.* 16. *x. de maj. & obed.* quia par in parem, (& multo minus inferior in superiorem,) non habet imperium. *l.* 4. *D: de rec. l* 13. §. 4. *D. ad SCt. Treb.* Ut appellatio ad minorem vel parem facta nulla sit. *h. n. l.* 1. §. 3. *N.* 23. *c.* 4. Quod si vero per saltum fieri possent appellationes, relicto Judice intermedio, Jurisdictiones confunderentur. *l.* 4. *C. de jurisd. N.* 17. *c.* 3. *in f.*

VIII. Et quidem in *Urbe* a Judice dato appellatur ad Prætorem, eumve, qui dedit; *l.* 1. *pr. l.* 3. *D. quis a quo appell.* a Mandatario ad eum, ad quem a mandante provocandum esset; *l.* 1. §. 1. *D. eod.* a Prætore ad Consules; v. Valer. Maxim. *L.* VII. *c.* 7. a Consulibus ad Senatum, Capit. *in Marc. c.* 10. v. supr. Diss. 1. §. 30. vel Præfectum Urbi; v. Vopisc *in Flor. c.* 5. *l.* 17. *C de appell. l.* 38. *pr. D. de min.* a Coss. vero vel Præfecto Urbi ad Principem. *l.* 19. *C de appell. d. l.* 38. In *Provinciis* autem a Duumviris vel Legato ad Proconsulem, *l.* 2. *D. quis a quo. l.* 28. *C. de app.* vel Præsidem; *l.* 7. *C. eod.* a Proconsule vero vel Præside ad Imp. *l.* 19. *C. eod.* v. Act. 25. ℣. 11.

IX. Cum autem in ordine hoc appellandi error committi possit, quæsitum, quid juris sit, si in eo erratum sit, neque ad eum appellatum, ad quem appellari debuerat? v. c. si quis a Coss. ex Rescripto Principis Judicem acceperit, & a Judice illo per errorem non ad Consules, ad quos appellandum erat, sed ad Præfectum Urbi appellaverit? de quo Consulti Divi Fratres (auctore iterum Ulp.) in *h. n. l.* 1.

Dd §. 3.

§. 3. *D de appell.* rescripserunt, errorem hunc non nocere, Consulesque perinde cognoscere debere, ac si ad ipsos statim ab initio appellatum fuisset.

X. Præmittunt Impp. (quod solenne ipsis fuisse jam supra notatum Dissertat ix. §. 4. Diss. xviii. §. 10.) facti speciem Libello sibi propositam, dum ajunt: *Cum per errorem factum dicas, ut a judice, quem ex Rescripto nostro ab Amplissimis Consulibus acceperas, ad* Junium Rusticum [*amicum*] *nostrum Præfectum Urbi provocares.* Non rarum enim erat, ut litigantes Judices a Magistratibus ordinariis ex Principis Rescripto acciperent: qui vel ita dabantur, ut ab iis appellari posset, vel etiam quandoque cum clausula de non appellando. *l.* 1. §. 4. *D. a quib. appell. non lic.* Ubi vero ab iis, uti ordinario, appellari poterat, appellandum erat ad eum, qui dederat, & proinde hoc casu ad Consules: *l. ult. D. quis a quo app.* Quos honorabili titulo *Amplissimos* pro humanitate sua vocant Divi Fratres, quo Consules ornari solebant, v. *l.* 50. *D. de cond. & dem.* Amm. Marcell. *L.* xxvi. quemadmodum & Junium Rusticum Urbi Præfectum *Amicum*, more similiter tum temporis recepto. v. supra Dissert. xiv. §. 10. 15. Dissert. xviii. §. 12.

XI. Quid vero hoc casu servandum sit, hisce verbis subjiciunt: *Consules Amplissimi perinde cognoscant, atque si ad ipsos facta fuisset Provocatio.* Licet enim ad Præfectum Urbi, ac proinde male, appellatum sit, *l.* 3. *D. quis a quo appell.* non tamen id ipsum nocet, quia per errorem hoc factum, cui, uti sæpe alibi, sic & hic ignoscitur; & ita quidem, ut Consules perinde cognoscere debeant, ac si ab initio ad ipsos facta fuisset Provocatio, adeoque nova appellatione opus non sit. Licet, si ab initio per errorem alius pro alio Prætor aditus fuerit, nihil valeat, quod actum sit. *l.* 15. *D. de jurisd.*

XII. Sed scrupulum movet, quod *Præfectus Urbi Consu-*

sulibus minor sit, quippe qui tantum *Illustris* est, cum *Consules* sint *Superillustres*, v. supr. Differt. VIII. §. 11. ubi vero ad minorem provocatur, appellatio nulla sit. *h. n. l.* 1. §. 3. *Nov.* 23. *c.* 4. Verum enim vero, cum dicitur ad Majorem appellandum, non Minorem, *Majorem* & *Minorem* oportet eum accipere, qui major vel minor est respectu ejus Judicis, a quo appellatum est. An Superiores, ad quos appellatur, eodem gradu sint, an vero alter altero major sit, non attenditur. Adeoque licet *Præfectus Urbi Consule* minor sit, major tamen est eo, qui ex Rescripto Principis a Consulibus Judex datus est, quod sufficit.

XIII. Neque tantum hoc procedit, si ad Præfectum Urbi, similemve per errorem appellatum sit, sed & si quis statim ad ipsum Principem provocaverit, uti iidem DIVI FRATRES rescripserunt, teste Papirio Justo in *l.* 21. *pr.* §. 1. *D. de appell.* Imperatores (ait) ANTONINUS & VERUS rescripserunt: *Appellationes, quæ recto ad Principem factæ sunt, omissis his, ad quos debuerunt fieri, ex imo ordine ad Præsides remitti.* Iidem rescripserunt: *Ab Judice, quem a Præside Provinciæ quis acceperat, non recte Imperatorem appellatum esse; ideoque reverti eum ad Præsidem debere.* Idque moribus quoque servari, ut scil. si appellatio ad Superiores male per errorem, vel per saltum, factæ sint, causa ad Judicem appellationis competentem remittatur, docent A. Hub. ad *T. D. Quis a quo appell. n.* 2. Cl. Voet. *ad T. D. de appell. n.* 1.



DISSERTATIO VIGESIMA.

Ulpianus *Libro Decimo quarto ad Edictum.*

QUotiens, herede non respondente, secundum adversarium sententia datur, rescriptum est, nihil nocere neque legatis, neque libertatibus. Et hoc DIVORUM FRATRUM *Epistola* continetur ad *Domitium*, in hæc verba: *Quod absente possessore, nec quoquam nomine ejus respondente, pronunciatum est, non habet rei judicatæ auctoritatem, nisi adversus eum solum, qui adesse neglexerit. Quare his, qui testamento libertates, vel legata, vel fideicommissa acceperunt, salvæ sunt actiones, si quas habuerunt, perinde ac si nihil esset judicatum. Et ideo adversus eum, qui vicit, permittimus eis agere. l.* 14. §. 1. *D. de appell.*

I. *Lege XII. Tabb. Testatori latissimam datam esse* legandi *seu disponendi potestatem.* II. *Sed postmodum eam varias ob causas restrictam esse, tum per Leges; tum per interpretationem JCtorum; tum per mores seu consuetudinem, dum inductum est, ut, si pater liberos suos sine causa exheredaret, liberi de inofficioso testamento agere possent.* III. *Eo colore, quasi testator non sanæ mentis fuisset, cum testamentum conderet.* IV. Querelam inofficiosi testamenti *neque* Lege Glicia, *neque* Falcidia, *neque* ulla alia *introductam esse.* V. *Testamento per Querelam rescisso olim ex eo nihil valuisse.* VI. *Ut tamen limitationi locus fuerit.* VII. *Rem judicatam ordinario pro veritate haberi, & inter alios acta & judicata aliis neque prodesse, neque nocere. Exceptis quibusdam casibus. In specie, si testamentum tanquam inofficiosum rescissum sit.* VIII. *Dummodo sententia pronunciata sit legitime & servato judiciorum ordine, partibus præsentibus, vel per* con-

contumaciam absentibus. IX. *An reus in contumaciam semper condemnandus sit? Ubi exponitur* l. 53. D. de re jud. X. *Quid requiratur, ut* contumax *quis dici possit?* XI. *An reus condemnari possit, antequam lis contestata sit?* XII. *Sententiam in contumaciam latam, non indistincte vim rei judicatæ obtinere. Neque legatarius & fideicommissariis nocere.* XIII. *Neque contrariari* Ulp. *in* l. 8. §. 16. D. de inoff. test. XIV. *Quænam datæ distinctionis sit ratio?* XV. *Ac proinde libertates, legata & fideicommissa in casu* d. l. 14. § 1. *salva manere.* XVI. *Sed jus* d. l. 28. D. de inoff. test. *postea per N.* 115. c. 3. §. ult. c. 4. §. ult. *mutatum esse, & casum* d. l. 14. §. 1. *jure novo nullam amplius difficultatem habere.*

I. Verbis quidem Legis XII. Tabularum, *Paterfamilias uti legassit super pecuniæ tutelæve suæ rei, ita jus esto*, latissima dabatur Testatori *legandi* seu disponendi potestas, *l.* 120. *D. de V. S. pr. I. de L. Falcid.* v. supr. Differt. XII. §. 1. *& seqq.* ut heredes non tantum instituere, legata & libertates dare, & tutelas constituere, *d. l.* 120. *D. de V. S.* sed & totum patrimonium legatis erogare, *d. pr. I. de L. Falcid.* ipsosque liberos, quos in potestate habebat, exheredare posset. *l.* 11. *D. de lib. & post.*

II. Sed cum libera illa legandi potestas non pauca contineret incommoda, successu temporis coangustata ac coarctata est, vel interpretatione Legum, vel auctoritate jura constituentium. *d. l.* 120. *D. de V. S.* Et quidem, quantum ad *Leges* attinet, restricta est per Legem *Juliam* & *Papiam*, ut quibusdam personis, quæ incapaces censentur, vel nihil, vel non ultra certum modum relinqui posset; v. J. Gothofr. *L. Jul. & Pap. c.* 4. 13. 14. 23. Cl. Hein. ad *L. Jul.* & *Pap. L.* II. *c.* 6. 15. *& seqq. c* 21. *Furiam*, ut singulis legatariis ultra mille asses legare non liceret; Ulp. *T* 1. §. 2. *Voconiam*, ut ultra C. Sestertia fœminæ ex aliorum testamentis capere non possent, neve quis plus cuiquam legaret, quam ad heredem heredesve

perveniret; v. Cic. I. *in Verr. de Præt. Urb. c.* 42. 43. Dion. Caff. *L.* LVI. *p.* 578. Theoph. *ad pr. I. de L. Falc.* Cl. Periz. *Differt. de Leg. Vocon. p.* 139 *& feqq. Falcidiam*, ne quis plus legare poffet, quam dodrantem totorum bonorum, ut, five unus heres inftitutus fit, five plures, apud eum eosve pars quarta remaneat; Dion. Caff. *L.* XLVIII. *p.* 377. *l.* I. *pr. D. pr. I. de L. Falcid. Æliam Sentiam*, quæ inter alia libertatem manumittendi in teftamento coarctavit; v. *pr.* §. 4. §. 7. *I. qui & ex quib. cauf. Fufiam Caniniam*, quæ numerum fervorum in teftamento manumittendorum præfcripfit; §. *un. I. de L. Fuf. Can. toll.* Suet. *in Aug. c.* 40. Ulp. *T.* I. §. 24. Paul. *Sent. L.* IV. *T.* XIV. §. 4. fimilesque. Quantum vero ad *interpretationem Prudentum*, non male eo referri videtur, quod ante heredis inftitutionem inutiliter legaretur, fcilicet, quia teftamenta vim ex inftitutione heredis accipiunt, & ob id veluti caput atque fundamentum intelligitur totius teftamenti heredis inftitutio; Paul. *Sent. L.* III. *T.* VI. §. 5. Ulp. *T.* XXIV. §. 15. §. 34. *I. de legat.* quod legata poft mortem heredis aut legatarii fimili modo inutiliter relinquerentur; Ulp. *d. T.* XXIV. §. 16. Paul. *d. l.* §. 5. §. 35. *I. de legat.* v. Cuj. *ad d. l.* 120. nec non quod, qui filium in poteftate habet, curare debeat, ut eum vel heredem inftituat, vel exheredem nominatim faciat, *pr. I. de exher. lib.* eo quod liberi, vivo etiam patre, rerum paternarum quodammodo domini exiftimantur, *l.* 11. *D. de lib. & poft.* §. 4. *I. de her. qual. & diff.* ut, fi filentio filium præterierit, teftamentum nullum fit, filia vero præterita jus accrefcendi habeat. *l.* 7. *l.* 30. *D. de lib. & poft. pr. I. de exher. lib.* J. a Coft. *ad d. pr.* Quin & *moribus* latiffima illa teftandi licentia coarctata eft, dum inductum eft, ut, fi pater liberos fine caufa exheredaret, liberi de inofficiofo teftamento agere poffent, querentes inique fefe exheredatos effe. *pr. I. de inoff. teftam.*

III. Cum enim fecundum L. XII. Tabb. ratio non effet Teftamentum quantumvis inofficiofum impugnandi, cœperunt liberi

liberi apud Centumviros, apud quos de hisce similibusque causis agi solebat, v. Cic. *de Orat. L.* I. *c.* 38. Val. Max. *L.* VII. *c.* 7. *n.* I. 2. *c.* 8. *n.* I. Plin. *L.* VI. *Ep.* 33. junct. *L.* IV. *Ep.* 24. Quint. *Inst. L* V. *c.* 2. Phædr. *L.* III *Fab.* 10. *l.* 13. *l.* 17. *pr. D. de inoff. test. l. ult. pr. C. de pet. her.* eo colore de inofficioso testamento queri, quasi non sanæ mentis fuisset testator, cum testamentum conderet; *l.* 2. *l.* 5. §. I. *l.* 13. *l.* 19. *D. pr. I. de inoff. testam. l.* 36. *D. de leg.* 3. nemo enim sanus liberos, quos ratio naturalis & commune parentum votum ad successionem vocat, v. *l.* 15. *pr. D. de inoff. test. l.* 7. §. I. *D. si tab. testam. null. extab. l.* 7. *pr. D. de bon. damn. l. un.* §. 5. *C. de rei ux. act. Nov.* 94. *c.* I. ob nullam vel levem offensam exheredat: v. Sen *de Clem. L.* I. *c.* 14. Querelaque hac ratione admissa, testamenta eorum, qui liberos sine causa ab hereditate excluserant, utut summo jure subsisterent, tanquam improba, inofficiosa, inhumana, & furoris plena, v. Cic. I. *in Verr. c.* 42. Val. Maxim. *L.* VII. *c.* 8. *n* 2. Quint. *Inst. L.* IX. *c.* 2. antiquissimis jam temporibus rescissa sunt. v. Val. Max. *L.* VII. *c.* 7.

IV. Atque ita non Lege aliqua, *Glicia* scil. vel *Falcidia*, aliave, constitutum, sed *inductum*, *pr. I. de inoff. test.* seu, uti alibi plenius dicitur, *moribus inductum*, v. *l.* 32. *pr. D. de LL* seu *moribus introductum* est, v. *l.* I. *D. de cur. fur. l.* 2. *D. de vulg. & pup. subst.* ut de inofficioso agere liceret. *pr.* §. I. *I. de inoffic. testam.* Querelaque moribus recepta, postmodum Legibus & Constitutionibus confirmata, extensa, & plenissime definita est, uti ostendimus. Differt. *N.* I. *de Port. Legit. c.* 2. 3. 4. §. 3. *& seqq.* add. V. A. Bynckersh. *L.* II. *Obs. c.* 12.

V. Cum vero testamentum hoc colore accusaretur & rescinderetur, simul ex eo sequebatur, ut nihil ex tali testamento valeret, *l.* 28. *D. de inoff testam.* & non tantum heredis institutio non subsisteret, sed neque legata vel fideicommissa, neque libertates deberentur, *l.* 8. §. *pen. D. de inoff. testam.*

ſtam. quia Teſtator teſtamenti factionem habuiſſe non credebatur. *l.* 17. §. 1. *D. eod.*

VI. Ita tamen, ut & hic limitationi locus ſit: 1. Si *perluſorio judicio*, uti rara locutione ait Ulp. in *h. n. l.* 14. *pr. D. de appell.* i. e. *luſorie*, vel *colluſorie*, uti idem loquitur Ulpianus in *l.* 50. §. 1. 2. *D. de leg.* 1. ſeu *per colluſionem* in necem legatariorum & libertatium, uti *d. l.* 14. *pr.* ſubjicit, adverſus teſtamentum actum ſit; add. Cl. Duker. *de Latin. JCtor. Vet. p.* 408. *in not. n.* 31. ut neceſſe non ſit pro *perluſorio*, cum Alciat. *L.* VIII. *Parerg. c* 24. reſtituere *proluſorio*. Quo caſu legatariis & fideicommiſſariis nullum præjudicium generatur: *d. l.* 50. §. 1. 2. *D. de leg.* 1. ut & ſtatim, ſi velint, in judicio adeſſe, & voluntatem defuncti tueri poſſint, &, ſi contra teſtamentum pronuncietur, etiam appellare illis per D. Pium permiſſum ſit. *l.* 29. *pr. D. de inoffic. teſtam. d. l.* 14. *pr. D. de appell.* II. Si, cum Querela inofficioſi agitur, herede ſcripto non reſpondente, in contumaciam, ſecundum præſentem ſententia data ſit. *d. l.* 14. §. 1. De quo caſu, cum conſulti eſſent DIVI FRATRES, *Epiſtola*, i. e. Reſcripto, v. §. 6. *I. de J. N. G. & C.* §. 4. *I. de fidej.* Diſſert. II. *c.* 2. §. 3. *& ſeqq.* ad *Domitium* miſſa, reſponderunt, ſententiam illam non nocere, neque legatis, neque libertatibus, neque vim rei judicatæ, niſi adverſus ſolum contumacem, obtinere. *d. l.* 14. §. 1. Quod Reſcriptum ſimiliter debemus Ulpiano, qui *Libr.* XIV. *ad Edictum* id exhibuit.

VII. Ajunt Impp. *Quod abſente poſſeſſore, nec quoquam nomine ejus reſpondente, pronunciatum eſt, non habet rei judicatæ auctoritatem, niſi adverſus eum ſolum, qui adeſſe neglexerit.* Eſt ſane magna rei judicatæ auctoritas, v. Cic. *pro Sull. c.* 22. *in Verr. L.* V. *c.* 6. ut, ſi intra decendium a ſententia non ſit appellatum, v. *Nov.* 23. *c.* 1. res judicata pro veritate habeatur, *l.* 25. *D. de ſtat. hom. l.* 207. *D. de R. J.* eique ſtandum ac parendum ſit, *l.* 1. *C. de re jud.* licet per errorem

vel

vel ambitionem male judicatum sit. *l.* 65. §. 2. *D. ad SCt. Treb.* v. supr. Differt. XVIII. § 26. Ut &, quamvis ordinario inter alios acta & judicata aliis neque prosint neque noceant, *l.* 2. *C. quib. res jud. non noc. t. t. C. int. al. act. vel jud. al. non noc.* quandoque tamen res judicata non inter litigantes tantum, sed & alios, v. *l.* 63. *D. de re jud.* imo omnes jus faciat: veluti, si quis filius, *l.* 1. §. *ult. l.* 2. *D. de agn. & al. lib.* vel ingenuus pronunciatus sit, *l.* 25. *D. de stat. hom.* quibus casibus alius agere nequit de accessionibus & consequentiis rei prius inter alios judicatæ; si popularis actio, *l.* 3. §. 13. *D. de hom. lib. exhib.* vel accusatio instituta sit, *l.* 7. §. 2. *D. de accus.* nam Popularis Actio, ut & Accusatio, non datur singulis, sed cuivis, uni tamen soli ex populo; *dd. ll.* nec non si Testamentum per sententiam tanquam inofficiosum rescissum sit. *l.* 8. §. *pen. D. de inoff. testam.* v. Don. *Comm. L.* XXVII. *c.* 1. Brunnem. ad *d. l.* 25. *D. de stat. hom.*

VIII. Sed id ita demum procedit, si sententia sit pronunciata legitime & servato judiciorum ordine, *l.* 4. *C. de sent. & interloc.* ac proinde citatis etiam partibus, quæ litem contestatæ sunt; arg. *d. l.* 4. *C de sent. & int.* quibus absentibus judicari nequit, &, si quid judicatum sit, vim rei judicatæ non obtinet: *l.* 47. *pr. D. de re jud. l.* 7. *C. quom. & quand. jud. sent. prof. deb.* nisi quis per contumaciam præsentiam sui facere neglexerit, quo casu causa agi ac pronunciari potest. *l.* 73. *pr. D. de jud. l.* 7. *l.* 8. *C. quom. & quand. jud. sent. prof. deb.*

IX. Quod tamen non ita intelligendum, quasi Reus contumax semper condemnandus sit, sed quod, uti dictum, damnari possit. *l.* 1. *C. quom. & quand.* Non enim semper secundum præsentem pronunciatur, sed interdum & absens, si bonam causam habeat, vincit; *l.* 73. *pr. D. de jud. l.* 13. §. 2. *C. eod.* cum non aliud, quam juris ratio exigit, judicandum sit. *d. l.* 8. *in f. C. quom. & quand.* Neque aliud docet Hermogenianus in *l.* 53 *pr. D. de re jud.* dum ait: *Contumacia eorum,*

qui jus dicenti non obtemperant, *litis damno coërcetur*. Quod vel ita accipiendum, ut non ipso jure damno litis coërceatur, sed sine ulteriore defensione damnari possit, si injustam caussam habere videatur: *d. l.* 1. *C. quom. & quand.* vel ita, ut condemnatus subjiciatur rei judicatæ, *l.* 47. §. 1. *D. de re jud.* eique sine alio remedio parere cogatur, ut ne quidem appellare possit, uti monet Ulp. in *l* 73. §. *ult. D. de jud.* & semper in expensas, condemnetur. *l.* 13. §. 2. 6. *C. de jud.* v. Don. *Comm. L.* XXVII. *c.* 6.

X. Ut autem *contumax* quis dicatur, requiritur, ut quis post litem contestatam, tribus Edictis propositis, vel uno pro tribus, quod vulgo peremtorium appellatur, vel literis (v Cuj. *Obs. L.* XVIII. 30.) evocatus præsentiam sui sine justa causa facere contemnat. *l.* 53. §. 1. 3. *D. de re jud. l.* 68. *& seqq. l.* 73. *pr. D. de jud. d. l.* 8. *C. quom. & quand.* Si quis enim adversa valetudine seu morbo sontico, v. *l.* 60. *D. de re jud.* vel majoris causæ occupatione, v. c. absentia Reip. causa, *l.* 53. §. 2. *l.* 54. *pr. D. de re jud.* vel vi majore, impediatur, vel ad jurisdictionem ejus, qui vocat, non pertineat, *d. l.* 53. §. 3. vel ad majus auditorium vocatus sit, contumax non videtur, neque pœnam contumaciæ patitur. *d. l.* 53. §. 2. 3. *l.* 54 *pr.* §. 1. *D. de re jud.*

XI. Quæ proinde & hic intercessisse præsupponendum est. Licet enim in genere *absente possessore*, i. e. herede scripto hereditatem jam possidente, *nec quoquam nomine ejus respondente pronunciatum* dicatur, non tamen id, nisi de casu, quo lis contestata, & eremodicium contractum est, intelligi potest. *l.* 13. §. 2. 3. 4. *C. de jud. l.* 7. *l.* 8. *C. quom & quand.* Ratio enim juris non patitur, ut quis inauditus condemnetur, & pronunciari possit in causa, quam nulla præcessit Litis contestatio; *d. l.* 13. §. 2. 3. *C. de jud.* v. *l.* 2. *in f. C. ubi in rem act. N.* 53. *c.* 4. *pr.* neque usquam id (nisi postea per Leonem N. 108.) constitutum reperitur. Si quis enim in jus vocatus non ierit, ne-

neque satis vel cautum dederit, mulcta coërcetur; *l. 2. pr. §. 1. D. si quis in jus voc. non ier.* si vero caverit judicio sisti, neque cautionibus judicio sistendi causa factis obtemperaverit, atque ita *vadimonium deserat,* (quod cum *eremodicio contracto* male confundit Haloander, ad *N.* 96.) v. Cic. II. *in Catil. c.* 3. Sen. *de Benef. L.* IV. *c.* 29 tum contra reum, tum contra fidejussores, *l. ult. D. si quis in jus voc. non ier. l.* 2. *§ ult. D. qui satisd. cog.* vel ad quantitatem promissam, *d. l.* 2. *§. ult. l. ult. D. de praet. stip.* vel ad id quod interest agi, *d. l.* 2. *§. ult.* eumque in finem missio in possessionem bonorum impetrari potest. v. Cic. *pro Quint. c.* 19. *l.* 2. *pr. D. quib. ex caus. in poss. eatur.*

XII. Plane non habet talis sententia in contumaciam lata indistincte vim & auctoritatem rei judicatae, sed tantum contra contumacem, qui adesse, judicio scil. v. *l.* 8. *C. de evict ion. l.* 2. *C. quom. & quand.* vel auditorio, v. *l.* 1. *D. an per al. caus. app.* seu causae agendae, v. *l.* 1. *C. de peric. & comm. rei vend. l. ult. D. de appell.* vel ad causam defendendam, v. *l.* 47. *§.* 1. *D. de re jud.* neglexerit. Legatariis ac fideicommissariis, iisque, quibus libertates datae sunt, minime nocet. *h. n. l.* 14. *§.* 1. v. Brunnem. ad *d. §.* 1.

XIII. Neque contrariatur Ulpianus in *l.* 8. *§.* 16. *D. de inoff. testam.* dum inquit: *Si ex causa de inofficiosi cognoverit judex, & pronunciaverit contra testamentum, nec fuerit provocatum: ipso jure rescissum est, & suus heres erit, secundum quem judicatum est, & bonorum possessor, si hoc contendit;* & libertates ipso jure non valent, nec legata debentur, *sed soluta repetuntur, aut ab eo, qui solvit, aut ab eo, qui obtinuit.* Distinguendum enim, an contra testamentum judicatum sit, postquam scriptus heres causam testamenti legitime defendit, an vero eo absente in contumaciam pronunciatum sit? uti docet Paulus, in *l.* 17. *§.* 1. *D. de inoff. test.* dum ait: *Cum contra testamentum, ut inofficiosum, judicatur, testamenti factio-*

 nem

nem habuisse defunctus non creditur. Non idem probandum est, si, herede non respondente, secundum præsentem judicatum sit; hoc enim casu non creditur jus ex sententia judicis fieri: & ideo libertates competunt, & legata petuntur. Laudata simul in hanc rem *constitutione*, seu hoc nostro *Rescripto*, Divorum Fratrum, seq. *l.* 18. *D eod.*

XIV. Cujus distinctionis ratio in eo posita est, quod, ubi causa testamenti per heredem scriptum acta ac defensa est, de jure testamenti cognosci possit: ubi vero heres per contumaciam abest, nec quicquam ad defensionem causæ respondet, plene de eo cognosci nequeat; ac proinde, si in contumaciam absentis heredis scripti contra testamentum judicatum sit, non tam de jure testamenti, quam contumacia heredis coërcenda, pronunciatum censeatur; v. Cuj. ad *l.* 17. §. 1. adeoque heres scriptus magis ob absentiam, quam quod malam causam habuit, victus videatur, uti Ulp. ait in *l.* 55. *pr. D. de evict.*

XV. Cum itaque sententia in contumaciam pronunciata non nisi adversus contumacem auctoritatem rei judicatæ habeat, recte subjiciunt Impp. *Quare his, qui testamento libertates, vel legata, vel fideicommissa acceperunt, salvæ sunt actiones, si quas habuerunt, perinde ac si nihil esset judicatum. Et ideo adversus eum, qui vicit, permittimus eis agere.* Ut scil. victor libertates præstet servis, Legata vero & fideicommissa reliquis Legatariis ac Fideicommissariis, perinde ac si testamentum subsisteret, neque rescissum esset. *d. l.* 17. §. 1. *D. de inoff. testam.* Quia, quod vicit, non tam ex jure suo, quam ex contumacia heredis scripti, consecutus est. Cuj. *d. l.*

XVI. Sed jus illud antiquum, quo rescisso per Querelam inofficiosi testamento nihil ex eo valebat, *l.* 28. *D. de inoff. testam.* per *Nov.* 115. *c.* 3. §. *ult.* & *c.* 4. §. *ult.* mutatum est; ubi constitutum, ut testamentum inofficiosum per Querelam tantum rescindatur, quantum ad heredis institutionem atti-

attinet, legata autem, fideicommiſſa, libertates, tutorum dationes, aliaque ſimilia capita ſalva maneant. Ut jure novo hæc res nullam prorſus difficultatem habeat, & libertates, aliaque legata & fideicommiſſa, ſi contra teſtamentum ex cauſa inofficioſi judicatum ſit, ſemper & indiſtinĉte debeantur; ſive, prævia plena defenſione heredis ſcripti, ſive, eo abſente in contumaciam, pronunciatum ſit.



DISSERTATIO VIGESIMA PRIMA.

Ulpianus *Libro Quarto Appellationum.*

QUæri solet, an per alium causæ appellationis reddi possunt. Quæ res in rebus pecuniariis, & in criminibus agitari consuevit? Et in rebus Pecuniariis sunt Rescripta, posse agi. Verba *Rescripti* ita se habent: DIVI FRATRES Longino, *Si tibi, qui appellavit, mandavit, ut eum de appellatione, quam* Pollia *ad eum fecit, defenderes, & res pecuniaria est: nihil prohibet, nomine ejus te respondere. Sin autem non sit pecuniaria causa, sed capitalis: per procuratorem agi non licet. Sed & si ea causa sit, ex qua sequi solet pœna usque ad relegationem, non oportet per alium causas agi: sed ipsum adesse auditorio debere sciendum est.* Plane si pecuniaria causa est, ex qua ignominia sequitur: potest & per procuratorem hoc agi. Idque erit probandum & in ipso accusatore, si appellaverit, vel si adversus eum sit appellatum. Et generaliter, quæ causa per alium agi non potest, ejus nec appellationem per alium agi oportet. *l.* 1. *D. an per al. caus. appell. red. poss.*

I. *An per alium causæ appellationum reddi possint?* II. *An* l. 1. D. an per al. caus. appell. redd. poss. *recte adscribatur* Paulo JCto? III. *In causis* Pecuniariis *&* Criminalibus, non Capitalibus *causam appellationis per Procuratorem agi posse.* IV. *Quænam sint* res pecuniariæ? V. *Confertur* l. 2. C. de proc. *ut &* l. 3 C. quor. appell. non recip. VI. Ad *hic poni pro* adversus *vel* contra. VII. *Quænam sint* causæ capitales? VIII. *In causis Capitalibus per procuratorem agi non licere.* IX. X. XI. XII. XIII. *Ad difficultates respondetur.* XIV. *Verba* usque ad relegationem, *hic*

hic excludendi vim habere. XV. *Neque obstare* l. pen. §. 1. D. de publ. jud. XVI. *Quid juris sit, si ex causa pecuniaria sequatur infamia?* XVII. *Generalis conclusio subjicitur.*

I. Cum usus Appellationum, tum frequens, tum necessarius sit, *l.* 1. *pr. D. de appell.* v supr. Diss. XIX. §. 1. saepe quaesitum, & in causis, tum pecuniariis, tum criminalibus, agitatum, an per alium causae appellationum reddi, seu, an per alium causae appellationum agi possint? De quo cum consulti essent DIVI FRATRES a Longino, rem omnem elegantissimo Rescripto, quod *Libr.* IV. *Appellat.* memoriae prodidit Ulpianus, terminarunt.

II. Adscribitur quidem a quibusdam haec nostra *l.* 1. Paulo, sed a Codice Florentino minime recedendum; Paulus enim JCtus *de Appellationibus Librum* tantum scripsit *unum*, Ulpianus vero *Libros quatuor*, uti constat ex indice Pandectis Florentinis praemisso, ex quorum *Libr.* IV. haec nostra lex sumta est.

III. Ajunt Impp. *Si tibi, qui appellavit, mandavit, ut eum de appellatione, quam* Pollia *ad eum fecit, defenderes, & res pecuniaria est, nihil prohibet nomine ejus te respondere.* Scil. respondent FRATRES Impp. ad quaestionem propositam distinguendo: an causa, de qua agebatur, *Pecuniaria* esset seu *Civilis*, an vero *Criminalis?* Et si *Criminalis*, an *Capitalis* esset, an *Non Capitalis?* Ut si *Pecuniaria* esset, per Longinum mandatarium seu procuratorem agi posset, si vero *Criminalis Capitalis* non item.

IV. Quemadmodum *Res* & *Pecunia* variae sunt significationis, v. *l.* 1. *in f. D. de reb cred. l.* 5. *pr. D. de V.S.* Auson. *Monosyll. l.* 7. §. 3. *D. ad SCt. Maced. l* 30. *pr. D. de leg.* 1. *l.* 2. §. 3. *D. de reb. cred. l.* 178. *pr. l.* 222. *D. de V. S. l.* 2. *pr. in f.* & §. 1. *C. de pec. const.* sic & *Res Pecuniaria* vel latius, vel strictius ac-

accipitur. Et quidem, si strictius accipiatur, ipsam pecuniam seu nummos, vel id, quod in pecunia consistit, significat: quo sensu *inopiam rei pecuniariæ* dicit Cic. *ad Brut. Ep.* 18. *dotem pecuniariam*, & *nomen pecuniarium* Paulus, *l.* 56. *§. ult. D. de jur. dot. l.* 18. *pr. D. de pign. act.* *pœnam pecuniariam* Callistratus, *l.* 3. *pr. D. de term. mot.* nec non *fideicommissum pecuniarium* idem noster Ulpianus. *l.* 24. *§.* 20. *D. de fidec. lib.* Si vero latius, idem denotat quod *Causa*, v. Cic. *pro Quint. c.* 9. *l.* 9. *§.* 4. *D. ad L. Corn. de fals.* seu *Lis pecuniaria*, v. Quint. *L.* VI. *c.* 1. *Decl.* CCCLXXXIII. *l.* 1. *§.* 1. *D. de testib. l.* 11. *C. ad L. Corn. de fals.* vel *Civilis*; *l.* 5. *§.* 1. *C. de jurisd.* quando scil. pecuniarie seu ad pecuniariam persecutionem, vel civiliter agitur: v. *l. ult. D. de furt. §.* 10. *I. de injur.* eoque sensu *Rei* seu *Causæ Capitali*, ac *Criminali*, cum criminaliter agitur, uti in hac ipsa nostra lege 1. opponitur. v. Quintil. *d. Declamat.* CCCLXXXIII. Paul. *Sent. L.* V. *T.* XVI. *§.* 5. *l. ult. D. de fer. l.* 6. *D. de publ. jud. l.* 5. *§.* 1. *C. de jurisd.*

V. Quod si itaque *Res* seu *Causa* vel *Lis Pecuniaria* est, rescribunt Impp. nihil prohibere, quominus Longinus nomine mandantis respondeat, & causa appellationis per Procuratorem agi possit. Idemque rescripserunt Sextiliæ in *l.* 2. *C. de proc.* cujus verba hæc sunt: *Cum rem pecuniariam esse dicas, potes per maritum tuum, solennibus impletis, appellationi adversariæ tuæ respondere: cum appellationes pecuniariæ etiam per Procuratores exerceri ab utraque parte litigantium possint.* Ut & Valentinian. & Valens, in *l.* 3. *C. quor. appell. non recip.* dum inquiunt: *Nulli Officialium a sententia proprii Judicis provocatio tribuatur: nisi in eo tantum negotio, quod ratione civili super patrimonio forte apud proprium Judicem inchoaverit: scilicet ut in eo tantum negotio a sententia ejus, cui paret, judicis, quisquis velit Officialis appellet: quod per procuratorem etiam persequi jure tribuitur.*

VI. Notabilis autem locutio est, dum dicitur, eum, qui ap-

appellavit, mandasse Longino, *ut eum de appellatione, quam* Pollia *ad eum fecerat, defenderet*; quorum verborum commodus non est sensus, nisi τὸ *ad* accipiatur pro *adversus* vel *contra*, idemque significet, ac si scriptum esset, *quam* Pollia *adversus* seu *contra eum fecit*. Per *appellationem* enim hic *provocationem* intelligendam, tum ex inscriptione tituli, tum ex toto contextu manifestum est. Utut autem rarior hæc sit phrasis, auctoritate tamen non destituitur. Sic enim in eundem sensum Cic. *de Div. c.* 7. *Mirari licet, quæ sint animadversa a Medicis herbarum genera, quæ radicum, ad morsus bestiarum, ad oculorum morbos, ad vulnera;* nec non *pro Rosc. Am. c.* 40. *Tecti esse ad alienos possumus, intimi multa apertiora videant necesse est:* & aperte Virgil. *L.* 11. *Æn.* ℣. 343. 344.

Clypeosque ad tela sinistris
Projecti objiciunt.

Ubi Serv. *Ad tela*, contra tela, & hoc verum est; nam si *ac tela*, sinistris manibus simul tenent *tela* & scutum, cum se tegunt.

VII. *Sin autem non sit pecuniaria causa, sed capitalis, per procuratorem agi non licet. Capital*, uti ait Festus, *facinus est, quod capitis pœna luitur;* add. Plaut. *Menæchm. Act.* 1. *Sc.* 1. ℣. 16. *l.* 3. §. 1. *D. de term. mot. l.* 6. §. 6. *D. de re mil.* ac proinde *Res* seu *Causa Capitalis* proprie est, cum de delicto seu crimine agitur, ob quod pœna capitis, seu ultimum supplicium irrogari possit. v. *l.* 1. *D. de bon. eor. qui ante sent. l.* 18. *C. de transact. l.* 4. *l.* 21. *D. de pœn.* Quod alibi nomine *capitalis fraudis* venire solet, cum scil. quis tale quid delinquit, ob quod capite puniendus sit. *l.* 1. §. 1. *l.* 23. §. 2. *D. de Æd. ed.* Sed sæpe etiam latiori sensu accipitur: & quidem aliquando latissime, ut omnem causam existimationis complectatur;

l. 103. *D. de V. S.* Cic. *pro Quint. c.* 9. sed plerumque latius, ut causa mortis vel amissionis Civitatis intelligatur: *d. l.* 103. quo sensu idem Ulp. noster docet, *Rei Capitalis condemnatum* accipiendum, *qui morte, exiliove coërcitus est; l.* 4. *pr. D. si quis caut. in jud. sist. caus. fact. non obtemp.* nec nón Paulus *Judicia Capitalia* exponit, *ex quibus pœna mors aut exilium est, hoc est aquæ & ignis interdictio*, quia *per has pœnas eximitur caput de Civitate. Non Capitalia* vero, *ex quibus pecuniaria, aut in corpus aliqua coërcitio, pœna est. l.* 2. *D. de publ. jud.* add. §. 2. *I. eod. l.* 28. *pr.* §. 1. *D. de pœn.* Quæ significatio hujus loci est.

VIII. Quod si itaque *Causa Capitalis* sit, per procuratorem agi non potest; *h. n. l.* 1. ut procurator neque ad persequendum, neque ad defendendum intervenire queat. *l. pen.* §. 1. *D. de publ. jud.* Paul. *L.* v. *Sent. T.* xvi. §. 11. Non ad persequendum, seu pro accusatore, quia accusator subscribere debet in crimen, &, si calumniatus sit, ad pœnam obstringitur talionis. *l. ult. C. de accus. l. ult. C. de calumn.* Neque ad defendendum, seu pro reo, quia ibi pœna esse debet, ubi noxia est, & pœna suos tenet auctores, ac proinde alius pro alio puniri nequit. *l.* 22. *C. de pœn. l.* 26. *D. eod.*

IX. Sed contrarius hic Divis Fratribus, imo sibi ipsi videtur Ulpianus, in *l.* 33. §. 2. *D. de proc.* dum ait: *Publice utile est, absentes a quibuscunque defendi; nam & in Capitalibus judiciis defensio datur. Ubicunque itaque absens quis damnari potest, ibi quemvis verba pro eo facientem, & innocentiam excusantem, audiri æquum est, & ordinarium admittere; quod ex* Rescripto Imperatoris nostri *apparet.* Per quod vel Rescriptum Antonini Caracallæ, quod jam non extat, vel Alexandri Imp. (sub quo in primis floruit etiam Ulpianus, v. Lamprid *in Alexandr. c.* 26.) intelligit, quod superest in *l.* 3. *C. de accus.* & ita conceptum est: *Reos capitalium criminum absentes etiam per Procuratorem defendi, Leges Publicorum Judi-*

diciorum permittunt. Quas Leges tantam difficultatem continere quidam statuunt, ut hanc Antinomiam unam ex nobilissimis ac difficillimis totius Juris esse censeant.

X. Verum enim vero, quemadmodum vix fieri potest, ut quis in quæstione non ita perplexa sui ipsius sit oblitus, sibique ipsi contrarius, sic difficultas hic commode tolli ac removeri posse videtur, si lex *n.* 1. accipiatur de regula, *d. l.* 33. §. 2. autem & *d. l.* 3. de casibus exceptis. Licet enim ordinario Causa Capitalis per procuratorem agi nequeat, non desunt tamen Exceptiones: Quarum 1. est, Si Viri Illustres & Superillustres injuriarum agant, vel conveniantur. *l. ult. C. de injur.* §. 10. *I. eod. l.* 25. *C. de proc.* II. Si agatur de absentia rei excusanda, *l. pen.* §. 1. *D. de publ. jud.* cujus causæ per procuratorem reddi possunt. *l.* 71. *D. de proc.* Nec non III. Si reus absens condemnari possit. *d. l.* 33. §. 2. *D. de proc.*

XI. Ut enim in *d. l.* 33. §. 2. pro *innocentiam* restituatur *absentiam*, uti visum est Cuj. *ad Paul. Sent. L.* v. *T.* xvi. §. 11. aliisque, nulla exigit necessitas, uti idem agnoscit Cuj. *Obs. L.* xx. *c.* 20. Est enim hæc constans omnium Codicum lectio, & ita etiam exhibetur in Basilicis *L.* viii. *T.* 11. *l.* 33. §. 2. verbum etiam *defensionis*, & sequentia *ubicunque quis damnari potest*, mutationem illam non admittunt, quippe quæ ad excusandam absentiam commode restringi nequeunt. Et sunt utique complures casus, quibus reus absens condemnari potest. Veluti I. Si cum præsente reo lis contestata sit. *l.* 10. *D. de publ. jud. l.* 13. *l.* 15. *C. ad L. Jul. de adult.* II. Si quis Lege Cornelia accusatur, quod spadonem fecerit. *l.* 4. §. *ult. D. ad L. Corn. de sic.* III. Si apparitor corruptus accusetur perfidiæ. *l.* 21. *C. de pœn.* Et denique IV. Si pœna sit *Non Capitalis*, relegatio sc. vel relegatione minor; *l.* 5. *pr. D. de pœn.* uti statim plenius patebit. add. Cl. Voet *ad t. D. de proc. n* 14.

XII. Neque turbant *l.* 6. *D. de appell. l.* 29. *C. eod.* ubi, dum con-

conceditur cuicunque volenti, etiamsi mandatum non habeat, vel reus sententiæ acquiescat perire festinans, pro reo, qui ad supplicium ducitur, appellare, ejusque innocentiam probare, id singulari humanitatis ratione receptum esse, ex ipsis illis LL. manifestum est.

XIII. Sed nec aliud vult Modestinus in *l.* 18. *D. de appell.* dum docet, *Lucium Titium* pro servo suo, qui ad bestias datus est, appellationem interposuisse, ejusque appellationis causas per procuratorem reddere posse. Domini enim pecuniariter interest, ne servo careat; uti recte monuit ad illum locum Accursius, ac proinde summa ratione concessum Domino, ut appellationem interponere, eamque vel ipse vel per procuratorem agere possit. *l.* 11. *D. de publ. jud. l.* 19. *D. de pœn. l.* 2. *C. de accus.*

XIV. Sequitur itaque in ipso *Rescripto: Sed & si ea causa sit, ex qua sequi solet pœna* usque ad relegationem, *non oportet per alium causas agi, sed ipsum adesse debere auditorio* (seu loco ubi causæ aguntur, v. *l.* 1. §. *ult. D. ne de stat. def. l.* 4. *C. de lib. caus. l.* 7. *C. de postul.* Act. XXV. ℣. 23. *l.* 18. §. 1. *D. de min. l.* 40. *D. de R. C. l. peu. D. de off. Ass. l.* 78. §. *pen. D. de jur. dot.*) *sciendum est.* Ut scil. apertius constet, quænam hoc loco *Capitalis causa* intelligenda sit, Impp. addunt, *Causam Capitalem* hic censeri, ex qua pœnæ solent sequi *usque ad Relegationem*, pœnæ scil. *mortis* vel *Naturalis*, vel *Civilis. l.* 2. *D. de publ. jud.* v. supr. §. 7. Sunt sane verba *usque ad* dubiæ significationis, & sæpe ita ponuntur, ut vim includendi habeant; v. *l.* 9. *D. de extraord. crim. l.* 3. §. 7. *D. de sep. viol. l.* 5. *pr. D. de pœn.* sed non raro etiam excludendi vim habent, v. Ter. *Andr. Act.* 1. *Sc.* 11. ℣. 28. *l.* 3. *pr.* §. 1. *D. de usur.* & ita hic accipienda esse manifestum est ex *l.* 5. *D. de pœn.* ubi idem Ulp. qui auctor est *h. n. l.* 1. docet: *In absentes pecuniarias quidem pœnas, vel eas, quæ existimationem contingunt, si sæpius admoniti per contumaciam desint, statui posse, & usque*

que ad Relegationem procedi. Verum si quid gravius irrogandum fuisset, puta in Metallo, vel capitis pœnam non esse absentibus irrogandam. Ex quibus utique liquido constat Ulpiani hanc esse sententiam, *Relegationem* etiam contra absentes decerni posse, non vero pœnam mortis vel civilis, vel naturalis. Neque ratio Justitiæ, quantum ad pœnam *relegationis* attinet, (in *deportatis* enim secus est) rei requirit præsentiam; multum enim inter *Deportatos* & *Relegatos* interest. Qui enim deportantur, ut vis verbi declarat, perpetuo exilio multati, amissaque civitate Romana, ac bonis, *l. 2. D. de publ. jud. l. 1 pr. D. de bon. damn. l. 2. C. eod.* servis publicis traduntur vincti, ut eos in navem impositos in *solas terras* transferant, uti loquitur Terent. *in Phorm. Act.* v. *Sc.* VII. ỳ. 86. *Relegati* vero plerumque tantum ad tempus, salvaque Civitate, ac bonis, jubebantur patriæ fines excedere. *l. 4. l. 7. §. 3. l. 18. D. de interd. & releg. d. l. 2. D. de publ. jud.* v. Ovid. *Trist. Lib.* v. *Eleg.* XI. ỳ. 15. 18. 21. Quale Decretum etiam contra absentes interponi posse nihil impedit. Add. Menoch. I. *Arb. Jud. Q. L.* I. *Q.* 80. *n.* 123. *& seqq.*

XV. Neque hisce iterum contrariatur Papinianus in *l. pen. §. 1. D. de publ. jud.* dum indistincte docet, in publicis judiciis procuratorem, neque pro accusatore, neque pro reo intervenire posse. Leges enim cum legibus conjungendæ ac conferendæ sunt. *l. 26. l. 27. l. 28. D. de LL.* Jam vero ex lege hac nostra I. id tantum de causis capitalibus, non etiam de non capitalibus, in quibus pœna relegationis vel relegatione minor est, accipiendum esse, manifestum est.

XVI. Sed quid dicendum, si causa sit pecuniaria quidem, sed ex qua sequitur infamia. De quo, cum in ipso Rescripto nominatim nihil habeatur, Ulp. etiam monendum censuit, dum ait: *Plane si pecuniaria causa est, ex qua ignominia sequitur; potest & per procuratorem hoc agi. Idque erit probandum & in ipso accusatore, si appellaverit, vel si adversus eum*

 sit

ſit appellatum. Quod & aperte conſtat tum ex dictis, tum ex *l.* 6. §. 2. *D. de his qui not. infam. l.* 42. §. 1. *D. de proc.* Neque obſtat *l.* 39. §. *ult. D. de proc.* ubi idem Ulp. *Item ait, ſi ſuſpectus tutor poſtuletur, defenſorem ejus oportere etiam de rato cavere; ne reverſus ille velit retractare, quod actum eſt. Sed non facile per procuratorem quis ſuſpectus accuſabitur;* (rectius forte *excuſabitur*) *quoniam famæ cauſa eſt.* Non enim rationes, quæ redduntur, ſemper adæquatæ ſunt; neque ſimpliciter dicitur Tutorem per Procuratorem non eſſe excuſandum, ſed *non facile* per procuratorem excuſandum, quod ſane procuratorem non in totum excludit. v. *l.* 3. §. 1. *D. de min. l.* 18. §. 2. *D. de quæſt. l.* 7. §. 3. *D. de accuſat.* Quemadmodum & in cauſis pecuniariis, non famoſis, Prætor ex juſta cauſa ipſos dominos in judicio adeſſe jubere poteſt. *l.* 26. *C. de proc.*

XVII. Quibus omnibus rite examinatis, generalem concluſionem ſubjicit Ulp. *Et generaliter*, inquit, *quæ cauſa per alium agi non poteſt*, in prima ſcil. inſtantia, *ejus nec appellationem per alium agi oportet. h. n. l.* 1. *in f.*



DIS-

DISSERTATIO VIGESIMA SECUNDA.

Scævola *Libro Secundo Digestorum.*

CONstitutionibus Principum continetur, ut pecuniæ, quæ ex detrimento solvitur, usuræ non præstentur; & ita Imperatores ANTONINUS & VERUS AUGUSTI rescripserunt his verbis: *Humanum est, reliquorum usuras neque ab ipso, qui ex administratione honoris reliquatus est, neque a fidejussore ejus, & multo minus a Magistratibus, qui cautionem acceperint, exigi. Cui consequens est, ut ne in futurum a forma observata discedatur. l.* 24. *D. ad municip.*

I. *Res ad Civitates pertinentes fideliter administrandas esse.* II. *Quinam res Civitatum administrarint?* III. IV. Curatores Reip. generales *fuisse, vel* speciales. V. *Quodnam eorum fuerit officium?* VI. *An, qui ex administratione muneris reliquatus est, non tantum reliqua, sed & reliquorum usuras præstare teneatur?* VII. *Recte dici* reliquatus *est. Et quid sit* reliquari, *& qui* reliquatores? VIII. *Quid veniat nomine* Honoris? IX. *Reliquatores tales non præstare usuras.* X. *Neque contrarium docere* Paulum *in* l. 17. §. 7. D. de usur. *licet casus dentur excepti.* XI. *Idemque in fidejussore, & Magistratibus, qui cautionem acceperunt, locum habere.* XII. *Hoc* Rescriptum, *tanquam Legem & Constitutionem, in posterum observandum esse.*

I. Quemadmodum vix ullum est Municipium vel Civitas, quæ non habeat Patrimonium aliquod, agros scil. prædia, ædificia, pecuniam, vectigalia & reditus publicos, sine quibus nulla Civitas subsistere potest, arg. *l.* 1. §. 20. *D. de quæst.* add. supr. Diss. XVII. §. 3. *& seqq.* ac proinde arcam quoque

&

& ærarium commune, v. *l.* 1. §. 1. *D. quod cujusque univ. nom.* sic res ad Civitates pertinentes, fideliter, & in utilitatem Reipublicæ administrari, publice interest.

II. Administrabantur autem Res ad Civitates pertinentes vel per *Duumviros*, seu *Magistratus Municipales;* v. *l.* 35. §. 1. *D. de O. & A. l. ult. C. de jud.* qui, licet jurisdictioni maxime præessent, *l. un. pr. D. si quis jus dic. non obtemp. l.* 26. *pr.* §. 1. *l.* 28. *l.* 29. *D. ad municipal. l.* 29. §. *pen. D. ad L. Aq. l.* 4. §. 2. 3. *D. de damn. inf.* nomine tamen Civitatis etiam contrahebant, *l.* 35. §. 1. *D. de O. & A.* legata ac fideicommissa Civitati relicta exigebant, &, si in iis exigendis similibusque negligentes essent, tum ipsi, tum heredes eorum, nec non fidejussores, conveniri poterant. *l. ult.* §. 2. *D. ad munic. l. ult. C. ut in poss. legat. l.* 6. *l.* 7. *D. de admin. rer. ad civ. pertin.* Vel per *Decuriones*, seu *Municipiorum Senatores;* v. *l.* 239. §. 5. *D. de V. S.* junct. *l.* 33. *C. de decur.* qui, inter alia, prædia Reip. locabant, *l.* 2. §. 1. *D. de admin. rer. ad civ pertin.* eorumque reditus percipiebant, quorum tertiam partem in mœnia urbis, & balnea instauranda, impendebant, *l.* 11. *C. de oper. publ.* reliquos vero in alendos Professores, aliosque usus publicos erogabant, v. *l.* 2. *l.* 7. *C. de Prof. & Med l.* 1. *l.* 4. §. *ult. D. de decret. ab ord. fac.* tributa ac vectigalia exigebant, *l.* 17. §. 7. *D. ad munic. l.* 3. §. 10. 11. *l. ult.* §. 26. *D. de mun. & hon.* annonam curabant, *l.* 5. *pr. D. de adm. rer. ad civ. pert. l.* 1. *C. de Mag. mun.* pecuniamque Civitati ad usus opusve publicum relictam administrabant. v. *l.* 1. *l.* 4. *l.* 5. *pr.* §. 1. *D. de admin. rer. ad civ. pert.* Vel denique per *Curatores Civitatum;* qui vel generales erant, vel speciales.

III. *Curatores Reip.* v. *l.* 2. §. 4. 6. *l.* 3. §. 1. *D. de adm. rer. ad civ. pertin.* vel *Civitatis*, v. *l. ult.* §. 2. *D. eod.* (qui Græco vocabulo *Logistæ* dicebantur, *l.* 3. *C. de mod. mult.* vel quia rerum Civitatis arbitri erant & æstimatores, seu censores, v. Suid. in *voc.* λογιστὴς; vel potius, quia, cum res Civitatis

tatis administrarent, supputandi rationem tenere debebant, v. Suid. in voc. λογισταὶ) generales erant, qui reditus publicos colligebant, *l. ult.* §. 9. *D. de mun. & hon.* prædia Civitatis locabant, *l.* 3. §. 1. *D. de adm. rer. ad civ. pert.* agros Reip. a privatis occupatos retrahebant, *l ult.* §. 2. *D. eod.* ædes publicas & balnea, quæ restauratione indigebant, sarcienda locabant, *d. l. ult. pr.* §. 1. 3. aut ipsi refici jubebant, *l. ult.* §. 10. *D. de mun. & hon.* rem frumentariam curabant, *l.* 2. §. 4. *D. de adm. rer. ad civ. pert.* Reip. creditoribus debitum solvebant, *d. l.* 2. §. 6. similiaque administrabant.

IV. Speciales autem erant I. *Curatores Annonæ*, v. *l.* 21. §. 2. *D. de appell.* seu *frumenti & olei emendi*, quos Σιτώνας, id est, *frumentarios*, & Ἐλαιώνας, id est *Olearios*, *l. ult.* §. 5. *D. de mun. & hon. l. ult.* §. 6. *D. de adm. rer. ad civ. pert.* indeque munera eorum Σιτωνίας ϗ Ἐλαιωνίας appellabant; *l.* 6. §. 8. *D. de excus. l.* 2. *pr. D. de vac. & excus. mun. t. C. ut nem. lic. in emt. spec. se exc. & de mun. sitocom.* seu potius *Siton.* v. Cuj. *ad d. t.* qui annonæ sollicitudinem habebant, pecuniam publicam ad hunc usum emendumque frumentum reponebant, idque æquo pretio inter egentes dividebant. *l. ult.* § 5. *D. de adm. rer. ad civ. pert. d. l. ult.* §. 5. 7. *D. de mun. & hon.* II. *Curatores Calendarii*, seu *Quæstores Civitatis*; *l. ult.* §. 7. *D. de adm. rer. ad civ. pert. l. ult.* §. 2. *D. de mun. & hon.* qui pecuniæ publicæ præerant, eamque vel in usus publicos erogabant, vel fœnori locabant. Est enim *Calendarium* Liber rationum, quo continentur nomina debitorum, qui pecunias in singulas calendas fœnera bantur; *l.* 41. *pr. D. de R. C. l.* 39. §. 14. *D. de adm. tut. l.* 41. §. 6. *D. de leg.* 3. *l.* 3. *C. de compens.* sic dictum, quia Romani non in singulos annos, sed singulos menses usuras stipulari solebant. *l.* 41. §. 2. *D. de usur. l.* 26. §. 1. *D. depos.* III. *Curatores operum publicorum*; *l.* 1. *l.* 2. *pr.* §. 1. *D. de op publ. l.* 4. *pr. l. ult.* §. 10. *D. de mun. & hon. l.* 17. §. 7. *D. de usur. l.* 7. §. 1. *D. de off. Proconf.* quibus cura operum publicorum mandata erat. *dd.*

ll. Aliique extra ordinem, prout usus exigebat, constituti. v. *l.* 4. §. 1. *D. de tutel. l. ult.* §. 6. 9. 12. *D. de mun. & hon.* G. Pancirol. *de Mag. Municip. c.* 4. *& seqq.*

V. Qui omnes tenebantur res ad Civitates pertinentes fideliter administrare, pecunias in usum debitum erogare, neque in alium, nisi ex justissima causa, vertere, *l.* 1. *l.* 2. §. 2. *l.* 4. *l.* 5. §. 1. *D. de adm. rer. ad civ. pert.* operum exactionem sine cautione non committere, *l. ult.* §. 3. *D. eod.* rationes administrationis secundum fidem acceptorum & datorum reddere, v. *l.* 2. § 2. *D. eod.* damnumque dolo vel levi culpa datum resarcire. *l.* 6. *D. eod.* Adeo ut, si dolo eorum damnum datum sit, præstandum sit duplum; *l. ult.* §. 4. *D. eod.* & si plures sint, singuli teneantur in solidum, *l.* 3. *pr. l. ult.* §. 8. *D. eod.* ita tamen, ut exemplo tutorum prior conveniatur, qui administravit. *d. l.* 3. *pr. l.* 2. *C. quo quisque ord.*

VI. Sed de eo dubitatum, an si quis ex administratione muneris publici reliquatus sit, non tantum reliqua, sed & reliquorum usuras præstare teneatur? De quo consulti DIVI FRATRES hoc nostro Rescripto respondent: *Humanum non esse reliquorum usuras ab eo exigi.* Quod, ut integra ejus verba exhiberet, dignum visum JCtorum Coryphæo, Q. Cerbidio Scævolæ, v. *l.* 13. §. 2. *D. de excus.* qui FRATRIBUS IMPERATORIBUS, solique MARCO, a consiliis fuit, v. Capit. *in Marc. c.* 11. *l.* 21. *pr. D. ad SCt. Trebell.* & a studio æquitatis in primis laudatus. v. supr. Dissert. III. *c.* 2. §. 8. & Dissert. VII. §. 15.

VII. Rescribunt Impp. *Humanum est, reliquorum usuras, neque ab ipso, qui ex administratione honoris reliquatus est, neque a fidejussore ejus, & multo minus a Magistratibus, qui cautionem acceperint, exigi.* Scil. fundamentum hujus decisionis ponunt in æquitate naturali, quam semper ante oculos habebant, *l.* 31. *D. ad L. Corn. de fals.* & *humanitatis* nomine exprimunt, eodem prorsus modo, quo in *l.* 36. *pr. D. de jud.* *Hu-*

Humanum dicunt *propter fortuitos casus dilationem accipi.* v. supr. Differt. IV. §. 3.

VIII. *Humanum* autem censent, seu naturaliter æquum, *usuras reliquorum ab eo, qui in administratione honoris reliquatus est, non exigi.* In vulgata editione pro *reliquatus est*, habetur *relinquitur;* in aliis *relictus est;* Budæus vero legit *reliquatur*, rectius sane: sed nulla ratio est, ob quam a lectione Codicis Florentini recedendum sit. *Reliqua* enim latine dicuntur, quæ, rationibus subductis, computatisque acceptis & expensis, debita remanent, & solvenda supersunt. v. Terent. *Phorm. Act.* 1. *Sc.* 1. ỷ. 3. Cic. *ad Att. L.* XVI. *Ep.* 3. *l* 81. *l.* 82. *D. de C. & D. l.* 6. §. 7. *l.* 40. §. 7. 8. *D. de stat. lib.* Unde *reliquari* & *reliquare* dicitur, qui reliquorum debitor, seu reliquis obnoxius est, *l.* 6 §. 1. *D. de mun. & hon. l.* 20. §. 6. *D. fam. ercisc. l.* 40. *pr. D. de stat. lib. l.* 46. *pr. D. de admin. tut. l.* 23. *pr. D. de pec. leg. l.* 9. *D. de lib. leg.* & *reliquatores*, qui reliqua debent & trahunt. *l.* 102. §. 2. *D. de sol. l.* 9. §. 2. *D. de publican.* Eoque sensu eandem vocem posuit Tertull. *de anim. c.* 35. dum ait: *Animam, quotiens minus quid intulerit, reliquatricem esse delictorum, donec exsolvat novissimum quadrantem.* Ut & *c.* 56. dum inquit: *Ajunt & immatura morte præventas* (scil. animas) *eousque vagari istinc, donec* reliquatio *compleatur ætatis, quacum pervenissent, si non intempestive obiissent.*

IX. Loquuntur autem de eo, *qui ex administratione Honoris reliquatus est. Honoris* varias significationes esse vulgo notum est, inter quas notabilis est illa, qua pro *Honore Magistratus* seu ipso *Magistratu* accipitur; sive Magistratus *Urbanus* sit, v. Suet. *in Claud. c.* 1. *in Tit. c.* 4. sive *Municipalis.* v. *l.* 11. *pr. l.* 13. *pr. D. ad municip.* Quo sensu *Honorem Municipalem* describit Callistratus, quod sit *Administratio Reip. cum dignitatis gradu, sive cum sumtu, sive sine erogatione contingens. l.* 14. *pr. D. de mun. & hon.* Qualis est *Duumviratus, l.* 7. §. 2. *D. de decur. l.* 12. *D. de mun. & hon. l.* 1. §. 9. *D. de mag. conv.* & *Decurionatus;*

tus; l. 2. §. ult. l. 6. §. 3. l. 7. §. 2. l. 12. D. de Decur. l. 3. C. eod. l. 5. D. de vac. mun. ad quos maxime respexisse Impp. ANTONINUM & VERUM, arguit titulus, sub quo hoc Rescriptum positum est: licet ratio ejus, ac proinde & jus eo constitutum, ad omnes munera publica administrantes pertineat. arg. *l. 12. D. de LL. l. 32. pr. D. ad L. Aquil.*

X. Iniquum vero censent *ab eo, qui ex administratione Honoris reliquatus est, reliquorum usuras exigi.* Quemadmodum & iidem Impp. rescripserunt: *Ejus pecuniæ, quæ a redemtoribus operum exigi non potest, sortis duntaxat periculum ad Curatores* operum *pertinere; l. ult. pr. D. de admin. rer. ad civ. pert.* nec non solus MARCUS: *Fœnoris Reip. quod non culpa* ejus *perditum esse apparuerit,* sufficere *sortis damnum, non etiam usurarum ejus sustinere; l. un. C. de his qui ex off. quod admin. conven.* & secundum ea respondit Paulus JCt. *Eos, qui pro aliis, non ex contractu, sed ex officio, quod administraverint, conveniuntur, in damnum sortis substitui solere, non etiam in usuras. l. 21. §. 1. D. ad municip.* Neque sine ratione; in sorte enim consideratur damnum, in usuris vero lucrum, & ideo Reip. magis subvenire oportet circa damnum, quam circa lucrum, quod facere potuisset. arg. *l. un. C. de pœn. fisc.* v. Perez. *ad t. C. de his qui ex off. quod adm. conv n. 1. 3.* Brunnem. *ad d. l. un. n. 2. 4.*

XI. Neque aliud, dictisque contrarium, docet idem Paulus, dum in *l. 17. §. 7. D. de usur.* ait: *Eos, qui ex administratione rerum Civitatium conveniuntur, usuris obnoxios esse satis notum est. Idem observatur in operum Curatoribus, si pecunia apud eos remansit. Sed in ea, quam redemtoribus commiserunt, etiamsi negligenter dederint, usura eis remittitur. Hæc autem ita sunt, si nulla fraus arguitur, alioquin etiam usuræ applicabuntur.* Ut dicendum videatur, administratores Civitatum regulariter etiam teneri de usuris, sed exceptionem esse, si usuræ ipsis remissæ sint. *d. l. 17. §. 7.* Non enim

nim hoc nostrum Rescriptum sic accipiendum, quasi administratores Civitatum nunquam teneantur de usuris; sed illud volunt Impp. administratorem Civitatis, qui ex administratione reliquatus est, ut nullum ex ea re lucrum vel commodum percipiat, verum *ex detrimento pecuniam solvat*, uti hoc exponit æquitatis studiosissimus Scævola *h. n. l. 24. pr.* usuras non præstare. Cæteroquin enim non desunt casus, quibus tales administratores non tantum ad damnum sortis, sed & usurarum resarciendum obstricti sunt. Et quidem in genere, qui ex contractu cum Rep. inito, non ex administratione muneris debitores sunt, non tantum ratione sortis, sed & usurarum conveniri possunt. *d. l. 21. §. 1. D. ad municip.* Qui vero ex officio, quod administrarunt, conveniuntur, ad usuras etiam obligati sunt, si pecunia Reip. apud eos remansit, eamque in usus suos convertunt; *d. l. 17. §. 7. D. de usur. l. ult. pr. §. ult. D. de adm. rer. ad civ. pertin.* nec non, si fraus vel lata culpa arguitur. *d. l. 17. §. 7. D. de usur.* Ut adeo, dum *d l. 17. §. 7.* Paulus inquit: *Eos, qui ex administratione rerum Civitatium conveniuntur, usuris obnoxios esse, satis notum esse*, id accipiendum sit de casu, quo administrator rerum Civitatis non ex detrimento convenitur, sed pecuniam in commodum suum retinuit, uti ex exemplo subjecto de Curatore operum, *si pecunia apud eum remansit*, manifestum est.

XII. Cum itaque usuræ ab ipso reliquatore peti nequeant, recte simul monent Impp. eas etiam *non a fidejussore ejus, & multo minus Magistratibus, qui cautionem acceperint, exigi posse. Fidejussor* enim non plus debet, quam Reus principalis, quia obligatio ejus accessio est principalis obligationis; in accessione autem plus esse nequit, quam in re principali; *§. 5. I. de fidej.* adeo ut obligatio fidejussoris, ne quidem ob moram rei principalis, augeatur, nisi & ipse in mora fuerit. *l. 8. D. de eo quod cert. loc. l. 173. §. 2. D. de R. J.* Idemque, uti jam vidimus, docet Paulus, dum ait: *Eos, qui pro aliis, non*


 ex

ex contractu, sed ex officio, quod administraverint, conveniuntur, in damnum sortis substitui solere, non etiam in usuras. l. 21. §. 1. *D. ad municipal.* Quantum autem ad Magistratus attinet, qui cautionem acceperunt, nihil est, quod ipsis imputari possit, neque rationis est, ut in plus, quam ipse Reus, ejusque Fidejussor, obligati sint.

XIII. Quibus præmissis subjicitur: *Cui consequens est, ut ne in futurum a forma observata discedatur.* Qua clausula nihil aliud significari videtur, quam hoc Rescriptum tanquam Legem & Constitutionem in posterum observandum esse. Quemadmodum Theod. & Valent. quantum ad Legum effectum attinet, rescripserunt: *Leges & constitutiones futuris dare formam negotiis. l.* 7. *C. de LL. Forma* enim, licet varie accipiatur, non raro tamen ita ponitur, ut tum ipsam Legem seu constitutionem, quo jus introducitur, tum ipsum jus constitutum significet. Priori sensu *formas* dixit Capitolin. *in vit. Antonin. Pii, c.* 6. dum refert: Eum *ex amicorum sententiis* formas *composuisse*, quas Principum Constitutiones esse ibidem monet Casaubonus. Sic etiam rescribunt Severus & Antoninus: *Forma, qua singuli tutores, prout quisque gessit tutelam, nonnunquam in solidum tenentur, duntaxat intra pubertatis tempora locum habet; non etiam, si post pubertatem administraverint. l.* 31. *D. de adm. tut.* Eodemque sensu θεῖον τύπον dicit Justinianus, in *l.* 20. *C. de SS. Eccles.* quam ita reddidit Cont. *Neque per sacras formas, neque per jussionem Magistratuum, licet transferre militares annonas ad pias domos, aut clericos.* Similique ratione *formalem Epistolam* vocat Suet. *in Domit. c.* 13. dum inquit: *Pari arrogantia cum procuratorum suorum nomine* Formalem *dictaret* Epistolam, *sic cœpit, Dominus & Deus noster sic fieri jubet;* ad differentiam scil. Epistolarum familiarium, eo quod tales Epistolæ, in vim formæ ac Legis transituræ, majori cura & fere de consilii sententia conciperentur. add. Torr. ad Suet. *in Domit. c.* 20.

Poste-

Posteriori vero sensu *forma* accipitur, cum dicitur *Forma Edicti*, *l.* 8. *D. de calumn. l.* 14. *D. qui satisd. cog. l. ult. D. de ventr. insp. Senatus Consulti*, *l.* 1. *C. de usufruct.* & *Juris*; v. *l.* 22. *D. de min. l.* 1. *pr. C. de R. V. l.* 1. *C. si cert. pet. l.* 15. *C. de usur. l.* 12. *C. de legat. l.* 27. *C. de evict.* nec non *forma SCto data*, *l.* 20. §. 6. *D. de pet. her.* ab Hadriano, *l.* 14. §. 1. *D. de alim. leg.* Divo Marco *data*, *l.* 10. *pr. D. de pact.* & similia.



DIS-

DISSERTATIO VIGESIMA TERTIA.

Ulpianus *Libro Quarto de Officio Proconsulis.*

RESCRIPTO DIVORUM FRATRUM ad *Rutilium Luppum* ita declaratur: *Constitutio, qua cautum est*, prout quisque Decurio creatus est, ut ita & Magistratum apiscatur, *totiens servari debet, quotiens idoneos & sufficientes omnes contingit. Cæterum, si ita quidem tenues & exhausti sint, ut non modo publicis honoribus pares non sint, sed & vix de suo victum sustinere possint, & minus utile, & nequaquam honestum est, talibus mandari Magistratum: præsertim cum sint, qui convenienter ei, & suæ fortunæ, & splendori publico, possint creari. Sciant igitur locupletiores, non debere se hoc prætextu Legis uti: & de tempore, quo quisque in curiam allectus sit, inter eos demum esse quærendum, qui pro substantia sua capiant honoris dignitatem. l. 6. pr. D. de mun. & hon.*

I. *Sine Magistratu nullam civitatem esse posse; ac proinde, ad eum suscipiendum, ut & alia munera publica, cives, nisi justam sese excusandi causam habeant, etiam invitos, teneri.* II. III *Qualis causa est, si quis non servato ordine & tempore Duumvir constituatur, & si quis pauper sit, ita quidem, ut si duo pluresve sese excusent, causa paupertatis præferenda sit.* IV. Rutilios Lupos *celebres esse in historia.* V. *Quænam sit* constitutio *de* servando ordine? VI. *Quis sit ille* ordo? VII. *Recte legi* apiscatur. VIII. *Dictam constitutionem non indistincte locum habere.* IX. *An pauperes possint esse Magistratus?* X. XI. *Pauperes excusari, si honoribus non sint pares, præsertim si adsint locupletiores, licet post pauperes in curiam allecti sint.*

I. Quem-

I. Quemadmodum res Civitatum bene administrari publice interest, uti vidimus supr. Diss. xxii. §. 1. *& seqq.* sic & sine Magistratu nulla Civitas esse potest. v. Aristot. *L.* iv. *Pol. c.* 4. *L.* vi. *c.* 8. Cic. *de Leg. L.* iii. *c.* 1. Ut merito placuerit cives, etiam invitos, ad suscipiendum Magistratum, aliaque munera publica, teneri. v. *l.* 214. *D. de V. S.* Aperte Ulpianus in *l.* 9. *D. de mun. & hon. Si quis Magistratus in municipio creatus, munere injuncto fungi detrectet: per Præsides munus agnoscere cogendus est, remediis, quibus tutores quoque solent cogi ad munus, quod injunctum est, agnoscendum.* Mulctæ scil. dictione, pignorum capione, similibusque, quibus contumaces in ordinem rediguntur. v. §. 3. *I. de satisd. tut. l.* 1. §. 3. *D. de insp. ventr. l.* 3. §. 4. *D. de tab. exhib. l. un. pr. D. si quis jus dic. non obtemp.* supr. Differt. viii. §. 13. Nisi quis justam sese excusandi causam habeat: quas inter etiam est, si quis non servato ordine & tempore, prout scil. quis Decurio creatus est, Duumvir constituatur; *h. n. l.* 6. nec non paupertas, si quis se muneri injuncto non sufficere probaverit. *l.* 4. §. 1. *l.* 14. §. 3. *D. de mun. & hon.* Ita quidem, ut, si duo sese excusent, & alter alleget paupertatem, alter rationem temporis, ex Constitutione Divorum Fratrum excusatio ob causam paupertatis admittenda & præferenda sit. *h. n. l.* 6.

II. Cum enim Divorum Fratrum temporibus contigisset, ut ex Decurionibus *Titius* v. c. Duumvir crearetur, qui post *Sempronium*, tenuioris fortunæ hominem, in Curiam allectus erat, isque se excusaret eo, quod eo ordine, quo quis Decurio factus est, & Magistratum adipisceretur, consulti Fratres Impp. a *Rutilio Luppo* (auctore Ulpiano *L.* iv. *de Off. Proc.*) rescripserunt, locupletiores non debere hoc legis prætextu uti, & de tempore, quo quis in ordinem allectus est, inter eos demum esse quærendum, qui pro substantia sua capiant honoris dignitatem. *h. n. l.* 6.

III. Datum eſt hoc Reſcriptum ad *Rutilium Luppum*, ſeu *Lupum*, uti in *Ed. Vulg.* (in qua & pro *Rutilius* legitur *Rutillus*) & alibi exprimitur; non enim incognitum & incelebre hoc nomen eſt in Hiſtoria. *P.* ſane *Rutilium Lupum* Prætorem Terraciniæ fuiſſe refert Cæſar de *Bell. Civ. L.* 1. *c.* 24. Conſulem etiam fuiſſe *P. Rutilium Lupum* cum *Cn. Manlio* A. U. C. 664. docent Faſti Conſulares. *P.* quoque *Rutilii Lupi* mentio fit apud Gruter. *Corp. Inſcr. p.* 993. *n.* 11. Quin & *Rutilium Lupum* Rhetorem memorat Quintil. *Inſt. L.* IX. *c.* 2. Ut *Luppus* geminato p. dicatur pro *Lupus*, quemadmodum & multa alia in Codice Florentino. v. Briſſ. *Parerg. Lib. ſing.*

IV. Præmittunt Impp. *Conſtitutionem* de ſervando ordine in creandis Magiſtratibus Municipalibus promulgatam; quæ tamen a quo, & quo tempore ſancita, & an forte eadem ſit cum Lege Municipali, qua cautum refert Modeſtinus in *l.* 11. §. 1. *D. de mun. & hon.* ut *præferrentur certæ conditionis homines*, cujusque mentionem facit Calliſtratus in *l.* 14. §. 3. *D. de mun. & hon.* non liquet.

V. Dicunt autem, illa *conſtitutione* cautum, *ut, prout quisque decurio creatus eſt, ita & Magiſtratum apiſcatur.* Per *Magiſtratum* hic *Magiſtratum* intelligi *Municipalem*, uti ſæpe alibi, v. *l.* 11. *pr.* §. 1. *l.* 13. *l. ult.* §. 2. 4. 6. *D. ad municip. l.* 11. §. 2. *D. de mun. & hon. l.* 1. *pr.* §. 2. *& ſeqq. D. de mag. conv.* nemo non videt. Add A. Aug. *ad Modeſtin. ſeu de Excuſ. Theſ. Jur. T.* IV. *p.* 1581. Qui vel unus, vel duo, vel quatuor, vel quinque erant, ſed ut plurimum duo ſeu *Duumviri.* v. *l.* 1. *D. de alb. ſcrib. l.* 35. §. 1. *D. de O. & A. l. ult. C. de jud. l. un. pr. D. ſi quis jus dic. non obt.* G. Pancirol. *de Mag. Mun. c.* 8. ſupr. Diſſert. XXII. §. 2. Qui ex ſolis eligebantur *Decurionibus; l.* 7. §. 2. *D. de decur. l.* 1. *pr. D. de alb. ſcrib. l.* 3. §. *ult. D. de pecul. l.* 1. §. *ult. D. de mag. conv.* neque promiſcue, ſed certo ſervato ordine, *l.* 14. §. 5. *D. de mun. & hon.* ut ſcil. gradatim honores deferantur, & a minoribus ad majores pervenia-

niatur, *d. l.* 14. §. 5. *l.* 11. *pr.* §. 1. *D. eod.* & ratio habeatur, tum natalium, tum facultatum, tum temporis, quo quisque Decurio factus est, ut sc. & ita Magistratum *apiscatur. d. l.* 14. §. 3. *h. n. l.* 6. *D. de mun. & hon.*

VI. Pro *apiscatur* in aliis Codicibus & Editionibus habetur *adipiscatur.* Sed necesse non est a lectione Codicis Florentini recedere. *Apisci* enim vetus verbum est, & non tantum Sisennæ apud Non. *c.* 11. §. 2. Plauto, *Rud. prol.* ỷ. 17. *Epid. Act.* v. *Sc.* 11. ỷ. 3. Lucretio, *L.* 1. ỷ. 448. sed & Catullo, *de nupt. Pelei & Thet.* ỷ. 145. Tacito, *Ann. L.* iv. *c.* 1. imo ipsi Ciceroni & Servio usitatum. Sic enim Cic. *ad Att. L.* viii. *Ep.* 14. *Ait Lepidus, Domitium nescio quo penetrasse itineribus: occultandi sui causa*, an maris apiscendi causa, *ne id quidem scit.* Servius vero Ciceroni scribens *L.* iv. *Ep. ad fam. Ep.* 5. *Vidimus magnam ex ea re te laudem apisci.* Quos JCti passim secuti sunt. v. *l.* 41. *D. de usuc. l.* 37. *D. de pign. act. l.* 51. *D. de acq. poss. l.* 7. §. 18. *D. de pact. l.* 40. *D. de don. int. vir. & ux. l.* 3. §. 4. *D. ad L. Corn. de sic.*

VII. Sed dictam Constitutionem non indistincte locum habere, verum totiens servandam monent, *quotiens idoneos & sufficientes omnes (esse) contingit. Cæterum, si ita quidam tenues & exhausti sunt, ut non modo publicis honoribus pares non sint, sed & vix de suo victum sustinere possint, & minus utile & nequaquam honestum esse, talibus mandari Magistratum, præsertim cum sint, qui convenienter ei, & suæ fortunæ, & splendori publico, possint creari.* Non tantum enim temporis, quo quisque Curiæ adscriptus est, sed & natalium, & facultatum, an scil. sufficere injuncto *Honori* seu muneri possit, & idoneus sit, rationem habendam esse, docet Callistratus in *l.* 14. §. 3. *D. de mun. & hon.* nec non Modestinus in *l.* 11. §. 1. *D. eod.* qui simul notat id ipsum quoque rescripto D. Marci contineri, quo haud dubie D. Marcus, cum solus præesset imperio, hoc jus repetiit.

VIII. Non quidem pauperes, quique tenues & exhausti sunt, indistincte & in totum excludendi sunt a Magistratu & Honoribus; neque exempla desunt virorum clarissimorum, veluti Epaminondæ, v. C. Nep. *in Epaminond. c.* 2. 5. Aristidis, v. Plut. *in Aristid.* Lamachi, v. Plut. *in Nic.* Curii, Fabricii, v. Val. Max. *L.* IV. *c.* 2. C. Scipionis, v. Frontin. *L.* IV. *L.* Æmilii Pauli, v. S. A. Vict. *de Vir. Ill. c.* 56. Val. Max. *d. L.* IV. *c.* 3. aliorumque, qui Reip. & Exercitibus summa cum laude & gloria præfuerunt, & de Rep. optime meriti sunt. Secundum illud Claudiani *de* IV. *Conf. Honor.* ỳ. 413. *& seqq.*

Pauper erat Curius, cum Reges vinceret armis.
Pauper Fabricius, Pyrrhi cum sperneret aurum.
Sordida Serranus flexit Dictator Aratra.
Lustratæ Lictore casæ, fascesque salignis
Postibus affixi.

Sed satius tamen est Magistratum, aliaque munera publica, divitibus potius & opibus pollentibus committi, quam pauperibus. v. Aristot. *L* IV. *Pol. c.* 25. *L.* III. *c.* 8. *Res* enim *pecuniaque familiaris obsidis vice pignorique est apud Remp. amorisque in patriam fides quædam in ea ac firmamentum*, uti eleganter ait Gell. *L.* XVI. *c.* 10. Divites enim de conservanda patria magis sunt solliciti, cum patriæ interitu illorum bona simul pereant; & ne bona amittant, ad scelera timidiores accedunt. Divites experientia rerum magis instructi sunt quam pauperes; quia non domi, uti pauperes, delitescunt, sed in luce vivunt, Arist. *Pol. L.* II. *c.* 7. & domesticis negotiis minus ac pauperes impediti diligentiam majorem in rebus publicis administrandis adhibent. Isocr. *in Nicocl.* Divites minus circumaguntur pretiis & affectibus; Liv. *L.* I. Arist. *d. L.* II. *c.* 7. pauperes ad accipienda munera, quæ exce-

cœcant oculos ſapientum, & pervertunt verba juſtorum, Deut. XVI. ℣. 19. aliaque facinora facilius moventur. add. Prov. XX. ℣. 6. XXX. ℣. 9. Divites cum magnificentia & ſplendore munere funguntur; pauperes iis impares, & fere contemtui ſunt, quo dignitas & auctoritas Magiſtratus hebeſcit ac vileſcit: ut ſubditi tales vix audiant iisque pareant. v. Eccleſiaſt. IX. ℣. 17. 18. Nam dicta inopum, veluti inſipientium hominum vulgo contemnunt, uti jam dudum docuit Eurip. *Hecub.* ℣. 293. *& ſeqq.* quos non incommode æmulatus eſt Ennius. v. Gell. *L.* XI. *c.* 4. Unde Horat. *Carm. L.* III. *Od.* XXIV. ℣. 42. *& ſeqq.*

Magnum pauperies opprobrium jubet
Quidvis & facere, & pati,
Virtutisque viam deſerit arduæ.

Quod probe perſpectum habuit Phormio Athenienſis, vir quidem bene moratus, ſed male nummatus, qui, cum claſſi eſſet præfectus, imperium recuſavit, quod diceret pauperem ſe & obæratum, nec auctoritatis ſatis apud milites, nec mentis ad cogitandum habiturum, uti refert Pauſan. *in Attic.* Unde & apud pleraſque gentes ditiſſimi ac digniſſimi Reipublicæ ſunt præfecti. Sic ſane Moſes elegit viros ſtrenuos, primores tribuum, prudentes, & cognitos, eosque præfecit populo Iſraëlitico. v. Exod. XVIII. ℣. 13. *& ſeqq.* Deut. I. ℣. 12. *& ſeqq.* Sic Solon apnd Athenienſes ex cenſu Magiſtratus quingentorum modiorum & jugerum conſtituit. Plutarch. *in Ariſtid. ac Solon.* Quorum Remp. floruiſſe, cum patricios appellarent ex illuſtribus familiis, & pollentes opibus, & penes eos eſſet regimen, notat Dionyſ. Halicarn. *L.* II. *c.* II. Sic & apud Thebanos Lex fuit, ut mercenarii annos X. a foro abſtinerent, ſuisque acquiſitis bonis honeſte viverent, antequam ad Magiſtratum admitterentur. Ariſt. *Pol. L.* III. *c.* 3.

c. 3. *L.* VI. *c.* 7. Idemque obtinuit apud Carthaginenses, qui optimos non solum sed & ditissimos censuerunt Magistratui adhibendos, quod arbitrarentur fieri non posse, eum, qui egestate premeretur, recte sincereque Magistratum gerere, aut quietem optare. v. Arist. *L.* II. *c.* 9. Neque aliter visum Romanis, qui eos maxime ad magistratum admiserunt, qui censum haberent legitimum, qui in Senatoribus erat octingentorum millium sestertium, Suet. in *Aug. c.* 41. sed ab Augusto ampliatus est, primo ad decies sestertium, Dio Cass. *L.* XLIV. *p.* 532. & deinde ad duodecies; Suet. *d.l.* Dio Cass. *L.* LV. *p.* 556. vid. Suet. *in Aug. c.* 41. *in Vesp. c.* 17. ne scil splendor Ordinis amplissimi rei familiaris angustiis obscuraretur. Ut, si quis, postquam lectus erat Senator vel Magistratus, censum labefactasset, ordinem amitteret. Cic. *L.* XIII. *Ep. ad fam. Ep.* 5. Tac. *Ann. L.* 11. *c.* 48. v. Sigon. *de J. Civ. R. L.* 11. *c.* 2.

IX. Ut merito censeant DIVI FRATRES, si ita quidam tenues & exhausti sint, ut publicis honoribus pares non sint, & minus utile, & nequaquam honestum esse, talibus mandari Magistratum: *Præsertim si sint, qui convenienter ei, & suæ fortunæ, & splendori publico, possint creari.* Haloander pro *ei*, exhibet *rei*. Sed quominus τὸ *ei*, ad Magistratum referatur, nihil obstat. Cujus non tantum in Urbe, sed & in Municipiis insignis erat dignitas & amplitudo, non sine splendore publico. Qui, circa quæ maxime versatus sit, facile percipietur, si quis Duumvirorum consideret tum creationem, tum muneris ipsius administrationem. Ubi enim creati erant Duumviri, Magistratumque inibant, munus olim populo edebant gladiatorium, Decurionibusque, ut & sæpe aliis, singulos vel binos denarios elargiebantur. v. Apul. *Metam. L.* X. Plin. *ad Traj. Epist.* 82. In ipsa autem functione, uti Consules Romæ lictores cum fascibus, sic Duumviros similiter lictores primum cum virgis seu bacillis, v. Cic. *in Rull. Act.* XVI. ℣. 22. postea vero etiam cum fascibus præibant;

l. 53.

l. 53. *C. de decurion.* Toga utebantur prætexta, i. e. limbo purpureo circumdata; v. Liv. *L.* XXXIV. *c.* 7. Tunicam gestabant albam; v. Juv. *Sat.* III. ỳ. 178. 179. aliaque erant ad splendorem publicum spectantia, quæ sine opibus magnisque sumtibus sustineri non poterant. v. G. Panciról. *de Mag. Mun. c.* 8. *l.* 8. *D. de decur.*

X. Adeoque summa ratione subjicitur: *Sciant igitur locupletiores, se non debere hoc pretextu Legis uti, & de tempore, quo quis in curiam allectus sit, inter eos demum esse quærendum, qui pro substantia sua capiant honoris dignitatem.* Pro *allectus* in Ed. Vulg. habetur *alligatus*, male, sensuque nullo. Recte dicitur *in curiam allectus*, qui in numerum Decurionum cooptatus est. Sic enim in locum principis Druidum, suffragio Druidum alium *adlegi*, tradit J. Cæs. *de Bell. Gall. L.* VI. *c.* 13. Sic J. Cæsarem *Senatum supplevisse, patricios allegisse*, refert Sueton. *in Cæs. c.* 41. ut & Tiberium, *instanti matri sæpius, ut civitate donatum in decurias allegeret, negasse alia conditione se allecturum, quam si pateretur adscribi albo, extortum id sibi a matre.* Sic denique *peregrinos in senatum allectos* idem ait Suet. in *J. Cæs. c.* 80. ut & *Gentem Octaviam, a Tarquinio Prisco, Rege inter gentes Romanas allectam*, in Aug. *c.* 2. *in corporibus allectos* Callistratus in *l.* 5. §. *ult. D. de jur. immun.* nec non *allectos* & *susceptores* quosdam esse Impp. in *l.* 7. *C. Th. de quæst.* Ut lectio illa minime sollicitanda sit.



DIS-

DISSERTATIO VIGESIMA QUARTA.

Calliſtratus *Libro Primo de Cognitionibus.*

LIcet in corpore Naviculariorum quis ſit, navem tamen vel naves non habeat, nec omnia ei congruant, quæ Principalibus Conſtitutionibus cauta ſint, non poterit privilegio Naviculariis indulto uti. Idque,& DIVI FRATRES reſcripſerunt in hæc verba; Ἦσαν καὶ ἄλλοι τινὲς ἐπὶ προφάσει τῶν Ναυκλήρων καὶ τὸν σιτὸν καὶ ἔλαιον ἐμπορευομένων εἰς τὴν ἀγορὰν τοῦ δήμου [τοῦ] Ῥωμαϊκοῦ ὄντων ἀτελῶν, ἀξιοῦντες τὰς λειτουργίας διαδιδράσκειν, μήτε ἐπιπλέοντες, μήτε τὸ πλέον μέρος τῆς οὐσίας ἐν ταῖς Ναυκληρείαις καὶ ταῖς ἐμπορείαις ἔχοντες· ἀφαιρεθήτω τῶν τοιούτων ἡ ἀτέλεια. i.e. *Erant & alii quidam, qui ſub occaſione Naviculariorum frumentum, & oleum inferentium in Romani populi forum, & ideo immunium, poſtulabant ſe ſubtrahere: qui neque navigabant, neque maximam patrimonii partem in re nautica & mercibus habebant: auferatur hujuſmodi hominum immunitas. l.* 5. §. 6. *D. de jur. immun.*

I. *Inter corpora & Collegia licita fuiſſe etiam* Corpus Naviculariorum. II. *Quinam fuerint* Navicularii? III. *Quibus rebus inſervierint?* IV. *Quænam* Naviculariis *conceſſa ſint privilegia? & ad quæ requiſita?* V. *Qua occaſione* DIVI FRATRES *hoc Reſcriptum dederint?* VI. *Et quare Græce?* VII. *Quis fuerit vetus interpres, qui loca Græca, quæ in Pand. Flor. habentur, in Latinum vertit ſermonem? & an verſio exhibita bene ſeſe habeat?* VIII. *Navicularios fuiſſe* ἀτελεῖς, *i.e. immunes ab oneribus, non tantum perſonalibus, ſed & realibus.* IX. *Non paucos inventos eſſe, qui ſub prætextu* Naviculariorum, *muneribus publicis ſe ſubducere*

cere conati sunt. X. *Quid sit* λειτȣργία? *& quid* διαδιδράσκειν? XI. *Cessante caussa cessare privilegium.*

I. Inter Corpora & Collegia licita, quæ tum Romæ, tum alibi fuere varia, v. *l.* 2. §. 6. *D. de O. J. l.* 1. *pr. D. quod cujuscunq univ. nom. t. C. de hered. decur. t. C. de metallar. t. C. de murileg. t. C. de fabricens.* Corpus etiam fuisse *Naviculariorum*, vulgo notum est. v *d. l.* 1. *pr. D. quod cujuscunq. univ. nom. d. l.* 1. *C. de hered. decur. l.* 6. *l.* 11. *l.* 14. *l.* 20. *C. Th. de navicul. T. C. J. de navic.*

II. Sunt autem *Navicularii*, qui Græcis Ναύκληροι, & inde Latinis quoque *Nauclerii* dicuntur, v. Plaut. *Mil glor. Act.* IV. *Sc.* III. ℣. 16. 17. *l.* 3. *l.* 4. *l.* 5. *C. de navicular. seu naucler.* Vel I. In genere iidem, qui exercitores, *l.* 1. §. 3. *D. naut. caut. stab.* ad quos obventiones & reditus navium perveniunt, sive domini sint navium, sive eos a dominis per aversionem conduxerint, vel ad tempus, vel in perpetuum. *l.* 1. §. 15. *D. de exercit. act.* Vel II. In specie *Navarchi* (licet & hi cum *Naucleris* quandoque confundantur, v. *l.* 6. *C. de navicular.*) qui in classe singulis Liburnis seu navibus bellicis præsunt, qui, exceptis cæteris nautarum officiis, gubernatoribus atque remigibus & militibus exercendis quotidianam curam & jugem exhibebant industriam. Veget. *de re mil. L.* V. *c.* 2. Vel III. Qui in corpus Naviculariorum, vel in Urbe, vel in provinciis, allecti sunt. *d. l.* 1 *pr. D. quod cujusc. univ. nom. l.* 6. *C. de navic. l.* 8. *l* 10. *C. Th. eod.*

III. Quorum alii annonæ Urbis, speciebusque annonariis, frumento scil. vino, oleo, similibusque, v. *l.* 1. §. 2. *l.* 18. §. 5. *D. de mun. & hon.* Veget *de re mil. L.* III. *c.* 3. in urbem deportandis, *l.* 5. §. 3. 6. *D. de jur. imm. l.* 6. *C. de navicul.* Vet. Glossar in voc. *Navicularii*, alii lignis publicis dispositionibus idoneis convectandis, *l.* 10. *C. Th. de navicul.* alii aliis necessitatibus, puta annonæ in exercitum transferendæ, vel

armis, vel militibus, vel ipsi Principi, vel Legatis ad principem missis, transvehendis, inserviebant. v. *l.* 9. §. 7. *D. de publican. l.* 3. *l.* 8. *C. de vectig.*

IV. Unde & varia iis concessa sunt privilegia, v. *l.* 10. *l.* 16. *C. Th. de navic.* interque ea dignitas ordinis Equestris, *d. l.* 16. ut & immunitas ab omnibus muneribus publicis, sive ea personalia sint, sive realia seu patrimonialia: *h. n. l.* 5. §. 3. *l.* 5. *l.* 8. *l.* 17. *C. Theod. de navic.* dummodo navem marinam habeant non minorem quinquaginta millium modiorum, aut plures, singulas non minores decem millium modiorum, qui excusantur, quamdiu naves navigant; *l.* 3. *D. de vac. mun. h. n. l.* 5. §. 3. vel majorem substantiæ vel bonorum partem in negotiatione, *d. l.* 3. *d. l.* 5. §. 3. *l.* 5. *D. de mun. & hon.* qui excusantur ad quinquennium: *d. l.* 3. *d. l.* 5. §. 3. *d. l* 5. neque effugiendorum munerum causa imaginem Navicularii induant. *d. l.* 5. §. 9. *D. de jur. immun.*

V. Cum itaque non pauci, sub prætextu Naviculariorum, muneribus publicis sese conarentur subtrahere, cum tamen neque navem, neque majorem bonorum partem in negotiatione haberent, DIVI FRATRES ea de re consulti, talibus immunitatem auferendam esse, auctore Callistrato (cui & alia eorum Rescripta debemus, v. *l.* 36. *pr. D. de jud. l.* 3. §. 6. *D. de testib.* supr. Dissert. IV. & VIII) rescripserunt. *h. n. l.* 5. §. 6.

VI. Et quidem Græce non Latine: ideo haud dubie, quod libellus supplex Impp. oblatus Græce conceptus esset, quo casu Impp. Græce rescribere solebant; uti tum ex nostro, tum ex aliis, quæ in jure nostro occurrunt, Rescriptis Græcis, manifestum est. v. *l.* 9. *D. ad L. Rhod. de jact. l.* 16. *D. de S. P. R l.* 48. *D. de jud.* junct *l.* 5. §. 1. *D. ad L Jul. de vi publ. l.* 37. *D. de jud. l.* 3. *D. de cust. reor. h. n. l.* 5. §. 3. supr. Dissert. II. *c.* II. §. 10.

VII. Verba autem hujus Rescripti priora, quæ supersunt, ita se habent: Ἦσαν καὶ ἄλλοί τινες ἐπὶ προφάσει τῶν Ναυκλήρων

καὶ

ϗ τὸν σῖτον ϗ ἔλαιον ἐμπορευομένων εἰς τὴν ἀγορὰν τȣ̃ δήμȣ [τȣ̃] Ρ'ωμαϊκȣ̃ ὄντων ἀτελῶν, ἀξιȣ̃ντες τὰς λειτȣργίας διαδιδράσκειν, μήτε ἐπιπλέοντες, μήτε τὸ πλέον μέρος τῆς ȣ̉σίας ἐν ταῖς ναυκληρείαις ϗ ταῖς ἐμπορείαις ἔχοντες. i. e. Ut vetus reddidit interpres: (quem quidam cum Pac. *ad h. n. l.* Bulgarum, ſed alii, & probabilius cum Pancirol. *de clar. Leg. Interp. L.* II. *c.* 15. Berguntionem fuiſſe cenſent) *Erant & alii quidam, qui, ſub occaſione Naviculariorum, frumentum & oleum inferentium in Romani populi forum, & ideo immunium, poſtulabant ſe ſubtrahere: qui neque navigabant, neque maximam patrimonii partem in re nautica & mercibus habebant.* Quæ verſio, uti in omnibus editionibus non habetur, ſic diſplicet Alciat. *Diſpunct. L.* III. *c.* 19. qui ſenſum ita exhibet: *Fuere & quidem alii ſub Naviculariorum prætextu, frumentum & oleum mercantium in foro Populi Romani, qui immunitate fruebantur, æquum ducentes publicas functiones ſubterfugere, cum neque navigent, neque plurimam ſubſtantiæ partem in navicularia & mercatura habeant;* exiſtimans, *forum populi Romani* in hoc Reſcripto non accipiendum *forum*, quod Romæ erat, *rerum* ſcil. *venalium*, de quo v. Varr. *de L. L. Lib.* IV. Liv. *L.* XXI. *c.* 62. *L.* XXIX. *c.* 37. Lipſ. *de Magn. Rom. L.* III. *c.* 7. ſed ἀγορὰς, i. e. *conciliabula conventusve*, in quibus annona venalis eſſet, quæ deinde Romam portabatur, ut ea ratione dictum ſit ἀγορὰν τȣ̃ δήμȣ τȣ̃ Ρ'ωμαϊκȣ̃, qua *horreum populi Romani Siciliam, Ægyptum, Libyam*, Ariſtides appellat in oratione εἰς τὴν Ρ'ώμην. Sed cauſa non eſt, ob quam prior verſio improbanda ſit. Non enim dicunt Divi Fratres ἐμπορευομένων ἐν τῇ ἀγορᾷ τȣ̃ δήμȣ Ρ'ωμαϊκȣ̃, ſed εἰς τὴν ἀγορὰν τȣ̃ δήμȣ Ρ'ωμαϊκȣ̃: quæ verba utique non ſignificant *mercantium in foro populi Romani*, ſed *inferentium in forum populi Romani.* Neque enim τὸ ἐμπορεύεσθαι tantum *mercari* & *negotiari* denotat, ſed & *merces*, & quidem *navibus, importare;* uti apud Lucian. *Epiſt. ad Nigrin.* dum ait: Ε'γὼ δὲ εἰ μὲν δύναμιν λόγων ἐπιδείξασθαι βȣλό-

λόμενος ἔπειτα Νιγρίνῳ γράψας βιβλίον ἔπεμπον, ἐνόχμην ἂν τῷ γελοίῳ γλαῦκας ὡς ἀληθῶς ἐμπορευόμενος, i. e. *Ego vero, siquidem potestatem ac vim verborum exhibere velim, atque ita scribens Nigrino librum mitterem, obnoxius equidem huic ridiculo forem, noctuas revera importans;* alludens ad vulgare proverbium *Noctuas Athenas*, cujus paulo ante mentionem fecerat. Nec non Dion. Halicarn. *L.* VI. *c.* 77. ubi inter alia Menenius: Οἱ μὲν γὰρ τοὺς ἀγροὺς γεωργοῦσιν, οἱ δὲ μάχονται περὶ αὐτῶν πρὸς τοὺς πολεμίους, οἱ δὲ ἐμπορευόμενοι πολλὰς διὰ θαλάσσης ὠφελείας, οἱ δὲ τὰς ἀναγκαίας ἐργάζονται τέχνας, i. e. *Alii enim agros colunt, alii pro ipsis pugnant cum hostibus, alii mercaturam exercentes per mare important multa commoda, alii necessarias artes exercent.* Quin & res ipsa prorsus convenit; cum enim Navicularii in primis annonæ Urbis servirent, *h. n. l.* 5. §. 3. 5. eos frumentum, & oleum, similesque species, in Urbem, forumque populi Romani, importasse, res ipsa loquitur. *d. l.* 5. §. 3. 5. *D. de jur. imm. l.* 6. *C de navic.*

VIII. Dicunt autem Divi Fratres, Navicularios fuisse ἀτελεῖς, i. e. *immunes.* Inter privilegia enim ipsis concessa, uti jam monitum §. 5. etiam hoc erat, ut immunes essent ab omnibus oneribus, non tantum personalibus, sed & realibus: & quidem summa ratione. Eleganter idem noster Callistratus *h. n. l.* 5. §. 3. *Negotiatores, qui annonam Urbis adjuvant, item Navicularii, qui annonæ Urbis serviunt, immunitatem a muneribus publicis consequuntur, quamdiu in ejusmodi actu sunt. Nam remuneranda pericula eorum, quin etiam & hortanda præmiis, merito placuit, ut, qui peregre muneribus, & quidem publicis, cum periculo & labore funguntur, a domesticis vexationibus & sumtibus liberentur. Cum non sit alienum dicere, etiam hos Reip. causa, dum annonæ Urbis serviunt, abesse.* Annonæ enim copia naviumque exercitio ad summam pertinet Reip. *l.* 1. §. 20. *D. de exercit. act.* supr. Dissert. XVII. §. 3. *& seqq.* ut homines ad subeunda Naviculariorum munera ac peri-

ri-

ricula, adhortatione præmiorum invitandi essent. v. *l.* 1. §. 1. *D. de J. & J.* Cic. *de Natur. Deor. L.* III. *c.* 35.

IX. Nemini itaque mirum videbitur, non paucos inventos fuisse, qui sub prætextu Naviculariorum, cum tamen neque navem, neque majorum bonorum suorum partem in negotiatione haberent, muneribus publicis sese subducere conati sunt, ἀξιοῦντες (uti DIVI FRATRES ajunt) τὰς λειτουργίας διαδιδράσκειν, i. e. *postulantes se subtrahere*, seu uti plenius ea reddit Alciat. *d. L.* III. *Dispunct. c.* 19. *æquum ducentes publicas functiones subterfugere.*

X. Λειτουργία enim, quod ex λειτὸς, i. e. *publicus* & ἔργον, i. e. *opus* compositum est, *munus* significat seu *ministerium publicum*, sive illud sacrum sit, sive profanum. Et quidem pro ministerio publico profano non semel ponitur apud Demosth. *Orat. adversus Leptinem*, ut & Aristot. *Rhetor. ad Alexandr. c.* 3. & Callistr. *h. n. l.* 5. §. 2. eoque sensu & ipsi Magistratus λειτουργοὶ Θεοῦ dicuntur Paulo *Ep. ad Rom.* XIII. ℣. 6. pro sacro vero accipitur apud Aristot. *Polit. Lib.* VIII. *c.* 10. ubi τὰς περὶ τοὺς θεοὺς λειτουργίας sumtus vocat, qui sacrificiis rebusque sacris impenduntur, nec non Lucam *Evang.* I. ℣. 23. dum de Zacharia ait: καὶ ἐγένετο ὡς ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τῆς λειτουργίας αὐτοῦ &c. i. e. *& factum est, ut impleti sunt dies ministerii ejus.* &c. Quæ plene ἱερὰ λειτουργία, i. e. *sacrum ministerium* dicitur Justiniano, *Nov.* 7. *c.* 11. ubi vid. Cuj. Διαδιδράσκειν autem, quod Hesychius & Suidas exponunt διαφεύγειν, *fuga evadere*, eoque sensu de militibus pugnam deserentibus, & mancipiis fugientibus sæpe dicitur, in specie etiam quandoque sic ponitur, ut & *subterfugere* seu *sese subtrahere* significet, uti hic. Quo sensu διαδιδράσκοντες τὸ αἰσχρὸν τοῦ λόγου, i. e. *turpitudinem sermonis tegere cupientes*, dixit Nazianzen. *Or.* ut & διαδρασιπολίτας Aristoph. *in Ran.* ℣. 1046. qui, ut ibidem ad hanc rem apposite Scholiastes exponit, sunt δειλοὶ, ἀποδιδράσκοντες τὴν πολιτείαν, i. e. *ti-*

midi, quique ad Remp. gerendam accedere non audent.

XI. Ne igitur similia in posterum contingerent, Impp. immunitatem talibus auferendam esse statuunt: ἀφαιρεθήτω (inquiunt) ἡ τοιούτων ἡ ἀτέλεια. i. e. *auferatur hujusmodi hominum immunitas.* Immunitati enim, quæ Naviculariis præstatur, certa forma data est, *h. n. l. 5. §. 4. D. de jur. immun.* neque ea omnibus, qui in corpore sunt Naviculariorum, sed iis demum, qui munus eorum implent, competit. *h. n l. 5. §. 6 l. 1. pr. D. eod.* Nam cessante causa & qualitate rei vel personæ, ob quam privilegium concessum, cessat privilegium. v. *l. 6. § 14. l. 8. §. 1. l. 12. pr. l. 22. §. 1. D. de excus. l 1. l. ult. C. si tut. vel cur. fals alleg. excus. l. 4. §. 1. D. de mun. & hon.* Quin & iniquum & Reip. perniciosum esset, si quis se muneribus publicis, sub prætextu alterius muneris, quod non exercet, subtrahere posset. Interest enim Reip. ut multi sint, qui munera subeant publica, maxime realia, in quibus nervi sunt Reip. *l. 1. §. 20. D. de quæst. N. 149. c. 2. N. 161. c. 2.* Tac. *Ann. L.* XIII. *c.* 50. Hist. *L.* IV. *c.* 74. & paucis concedatur immunitas, ne reliqui nimium onerentur. *l. 12. C. de ann & trib. l. 4. C. de exact. trib.* Egregie Impp. Theod. & Valent. in *l. 9. C. de SS. Eccles.* & *l. un. C. de collegiat. Qui [sub] prætextu Decanorum seu Collegiatorum, cum id munus non impleant, aliis muneribus se conantur subtrahere, eorum fraudibus credimus esse obviandum: ne quis sub specie muneris, quod minus exsequitur, alterius muneris oneribus relevetur: ne argentariorum vel nummulariorum munera declinentur ab his, qui dici tantummodo collegiati vel decani festinant. Ideoque, si quis eorum sub nudæ appellationis velamine colligatum se vel decanum appellat: sciat pro se alium subrogandum, qui prædicto muneri sufficiens approbetur: subrogatione videlicet memoratorum vel eorum qui moriuntur, primatum ejus qui subrogatur, admissa judicio.* Ut adeo imaginem Navicularii induere non sufficiat. *h. n. l. 5. §. 9. D. de jur. immun.*

DIS-

DISSERTATIO VIGESIMA QUINTA.

Ulpianus *Libro Tertio de Officio Consulis.*

De *pollicitationibus* in Civitatem factis Judicum cognitionem esse, Divi Fratres *Flavio Celso* in hæc verba rescripserunt: *Probe faciet* Statius Rufinus, *si opus proscenii, quod se* Gabinis *extructurum promisit, quod tandem adgressus fuerat, perficiat: nam etsi adversa fortuna usus, in triennio a præfecto urbis relegatus esset, tamen gratiam muneris, quod sponte obtulit, minuere non debet, cum & absens per amicum perficere istud opus possit. Quod si detrectat, actores constituti, qui legitime pro Civitate agere possint, nomine publico, adire adversus eum Judices poterunt. Qui cum primum potuerint, priusquam in exilium proficiscatur, cognoscent, & si opus perfici ab eo debere constituerint, obedire eum Reip. ob hanc causam jubebunt, aut prohibebunt distrahi fundum, quem in territorio* Gabiniorum *habet. l.* 8. *D. de pollicitat.*

I. *Ex* nudo pacto *jure naturæ nasci actionem, non vero ex* pollicitatione. *Ubi simul differentia inter* nudum pactum & pollicitationem. II. *Id tamen non obstare, quominus pollicitatio* Jure Civili *vim obligandi accipiat. Quemadmodum apud Romanos receptum, ut* pollicitatio *valida sit & obligatoria, si Deo fiat, vel Reip.* III. IV. *Dummodo a præsente fiat & ex justa causa, vel promissor opus jam facere cœperit.* V. VI. *Qua ratione introducta sint* Theatra, Ludique Theatrales? *Et quemadmodum in* Theatra, *tum exstruenda tum reficienda, integra vel per partes,* Ludosque Theatrales *maximæ impensæ factæ sint?* VII. *Quid sit* Scena? *Quid* Proscenium? VIII. *Quinam fuerint* Gabini. IX. *An* Statius Rufinus *excusari possit ab opere faciendo,* quod

quod adversa fortuna usus in triennium relegatus sit? X. *Quid sit* Relegatio? *Et in quo a* Deportatione *differat?* XI. *Qua ratione* Statius Rufinus *relegatus dicatur* a Præfecto Urbi, in triennio? XII. *Ratio ab Impp. reddita, ob quam excusatio* S. Rufini *non sit admittenda propius expenditur.* XIII. *Quod si detrectet opus facere, Judices per Actores Civitatis adeundos esse.* XIV. *Quinam per* Judices *intelligendi sint?* XV. *Quodnam eorum, tum in cognoscendo, tum decernendo, sit officium?*

I. Cum nihil magis congruum sit fidei humanæ, quam ea, quæ inter eos placuerunt, servare, uti rectissime docet Ulp. in *l. 1. pr. D. de pact.* ut fundamentum Justitiæ *fidem*, i.e. dictorum conventorum substantiam ac veritatem, statuere non dubitet Cic. *de Off. L. 1. c. 7.* ex pactis & promissis seriis, Jure Naturali obligationem nasci efficacem, res ipsa loquitur. Quod si vero nuda sit assertio seu pollicitatio, i. e. solius offerentis promissum, cum sine acceptatione alteri jus non quæratur, contrarium statuendum est. v Grot *de Jur. Bell. ac Pac. L. II. c. XI. §. 1. 2. 3. 14.* Puffend. *de Jur. Nat. L. III. c. V. §. 6. & c. VI. §. 2. 15.* Jure enim Naturali jus non acquiritur nisi volentibus, quæ voluntas per acceptationem declaratur, neque sine ea intelligi potest Unde & in ea potissimum differentiam inter *pollicitationem* & *pactum* ponit Ulp. in *l. 3. pr. D. de pollic.* dum ait: Pactum *est duorum consensus, atque conventio.* Pollicitatio *vero offerentis solius promissum. Et ideo illud est constitutum: ut, si ob honorem* pollicitatio *fuerit facta, quasi debitum exigatur. Sed & cœptum opus, licet non ob honorem promissum, perficere promissor* [*eo*] *cogetur & est constitutum.* Ut frustra sint, qui in *pollicitatione* assensum & acceptationem Reip. statim intelligi adesse censent. Dum enim Ulp. *pollicitationem* a *pacto* diversam statuit, quia *pactum* duorum pluriumve est consensus & conventio, *l. 1.*

§. 2.

§. 2. *D. de pact.* *pollicitatio* vero solius offerentis promissum, acceptationem utique a *pollicitatione* excludit; hæc enim si intercessisse fingatur, consensus subintelligendus est, quo admisso, *pollicitatio* a *pacto* distingui non potuisset.

II. Plane id non obstat, quo minus *Pollicitatio* ob singularem, rei divinæ vel humanæ, favorem, in Societate Politica, confirmari, & vim obligandi accipere possit. Quemadmodum apud Romanos receptum, ut *Pollicitatio* sit valida & obligatoria, si vel *Deo* fiat, quod in specie *votum* dicitur, *l.* 2. §. 1. 2. *D. de pollic.* vel *Reip.* (sub qua & hic *Civitas* continetur, *l.* 3. §. 1. *l.* 8. *l.* 14. *D. eod.*) quæ κατ' ἐξοχὴν *Pollicitatio* vocatur. *l.* 1. *pr.* §. 1. *D. eod.*

III. Dummodo Pollicitatio fiat a præsente, arg. *l.* 9. *l.* 5. *D. de pollic.* ad opus faciendum, vel dandam pecuniam, *d. l.* 1. *pr.* & ob justam causam, veluti, si propter honorem vel Magistratum, sibi decretum vel decernendum, aliquid promisit; *l.* 1. §. 1. *l.* 3. *pr. l.* 6. *pr. l.* 9. *l.* 11. *l.* 13. *pr. l.* 14. *D. eod.* vel quod Civitas casum graviorem, incendium scil. terræ motum, ruinam, vel similia passa sit: *l.* 4. *l.* 7. *D. eod.* nisi, qui sine causa promisit, opus jam facere cœperit, qui etiam obligatus est ad opus cœptum perficiendum. *l.* 1. §. 2. 3. *l.* 3. *pr. D. de pollic.*

IV. Quibus casibus æquissimum Romanis visum est, sive masculi pollicitati sint, sive fœminæ, *l.* 6. §. 2. *D. de pollic.* hujusmodi voluntates in Civitates factas non revocari, *l.* 3. §. 1. *D. eod.* ac proinde confirmandas esse. In quam rem variæ apud eos fuere constitutiones, tum veteres, tum novæ: *l.* 1. §. 1. *D. eod.* quas inter illustre *Rescriptum* DIVORUM FRATRUM, quod ex Ulpiani *Libr.* III. *de Offic. Cons.* in Digesta ultimo loco relatum est.

V. Ajunt Impp. *Probe faciet* Statius Rufinus, *si opus* Proscenii, *quod se* Gabinis *exstructurum promisit, quod tandem aggressus fuerat, perficiat.* Inter ea, quæ tum religionis,

tum oblectandorum hominum, captandæque auræ popularis causa, tum in Urbe, tum in municipiis, inventa & introducta sunt, in primis Theatra ludosque fuisse, monet Val. Max. *L.* I.v *c.* I. *pr.* Unde & *Theatrorum voluptates* in *l.* 5. *C. Theod. de spectac.* & *spectaculorum gaudia* dicuntur apud Cassiod. I. *Ep.* I. ut non tantum Ædiles, ad quorum munus id proprie pertinebat, v. Cic. v. *in Verr.* c. 14. pro *Mur.* c. 20 *de Off.* L. II. c. 17. sed & Consules, v. *N.* 105. c. 1. & Prætores, v. *l.* 5. §. 10. *D. commod.* *l.* 4. *C. Theod. de Prætor.* *l.* 7. *D. de man. vind.* quin & ipsi privati in exstruenda reficiendaque Theatra, exhibendosque ludos theatrales, maximas incredibilesque impensas fecerint, imo integrum aliquando patrimonium effuderint. v. Plin. *L.* XXXIV. *c.* 7. *L.* XXXVI. *c.* 2. Cic. *de Off.* *d.* *L.* II. *c.* 17. Buleng. de Theatr. *L.* I. *c.* 20. Egregie Ambros. II. *Off.* 21. *Prodigium est popularis favoris gratia exinanire proprias opes, quod faciunt, qui in ludos theatrales patrimonium dilapidant suum.*

VI. Collapsa autem theatra, modo integra, modo per partes restituta sunt; & quidem in primis *Proscenium.* Inscr. apud Reines. *p.* 298. *n.* LXXXIX.

MELANTHUS. P. DECII.
ET. COLLEGA. MAG. NE.
TRIBUNAL. NOVUM. A. SOLO. FECERE.
THEATRUM. ET. PROSCENIUM. REFECERE.
LUDIS. SCENICIS. BIDUO. DEDICAR.
D. S. P.

Ut & apud Grut. *p.* 168. *n.* x.

ATTIA. SACRATA
C. F. PROSCENIUM
VETUSTATE COR
RUPTUM. DE SUO
RESTITUIT.

VII.

VII. Partes enim theatri variæ erant, ſed potiſſimæ *Scena* & *Proſcenium*. *Scena* proprie dicta (aliquando enim *Scena* & *Proſcenium* confunduntur, v. *l.* 2. §. *ult. D. de his qui not. inf.*) locus erat, unde primum Actores prodibant, aulæis fere & peripetaſmatis aliove modo tectus, qui ab uno theatri cornu porrigebatur ad alterum. *Proſcenium* vero pulpitum ante Scenam, in quo ludicra exercentur, uti ait Serv. ad Virg. II. *Georg.* ỷ. 381. ſeu locus patens & liber in fronte Scenæ, in quem exibant Actores & hiſtrioniam agebant. v. Plaut. *Amph. Prol.* ỷ. 90. Virg. *d. l.* ỷ. 380. Vitruv. *L.* V. *c.* 7. Buleng. *de Theat. L.* I. *c.* 26. S. Gent. *Parerg. L.* I. *c.* 8. Quod etiam velis & aulæis tegi ſolebat, quæ Actoribus prodeuntibus removebantur, ut ſcil. aperta ſcena humi jacerent, v. Hor. II. *Ep.* I. ỷ. 189 ſed peracta fabula tollerentur. v. Cic. *pro Cæl. c.* 27. & ibid. Abram. Phædr. *L.* V. *Fab.* 7. ỷ. 23. & ibid. Ritterſh. & Scheffer. maxime vero V. Cl. P. Burman. de Literis Humanioribus & Rep. Literaria optime meritum. In quo pulpitum erat ſingulare, agentium & loquentium proprius locus, aræ, v. Plaut. Amphitr. *Prol.* ỷ. 91. nec non imagines Hiſtrionum & Pantomimorum & Agitatorum, *l.* 12. *C. Theod. de ſcen.* quibus præmii ergo donabantur. v. Mart. *L.* V. *Epig.* 26. Jac. Gothof. *ad d. l.* 12. Ut mirum videri non debeat, Statium Ruſinum, ſe opus Proſcenii exſtructurum Gabinis promiſiſſe, idque aggreſſum fuiſſe.

VIII. Fuerunt autem *Gabini* ſeu *Gabinii* urbis *Gabinorum* ſeu *Gabinæ* cives. v. Ovid. II. *Faſt.* ỷ. 709. Quæ urbs erat Volſcorum, Virg VI. *Æn.* ỷ. 773. Albanorum colonia, Via Præneſtina ad centeſimum ab Urbe R. ſtadium, olim populoſa, nullique amplitudine aut ſplendore inferior: Dion. Hal. *L.* IV. *c.* 60. a qua & *porta* & *via Gabina*, *Gabina lex*, *Gabini cinctus*. v. Virg. VII. *Æn.* ỷ. 612. nec non *ager Gabinenſis* ſeu *Gabinienſis* (ut alii legunt), v. Plin. *L.* II. *c.* 94. nomen habent.

IX. *Nam etſi adverſa fortuna uſus in triennio a Præfecto*

Urbi relegatus esset, tamen gratiam muneris, quod sponte obtulit, minuere non debet, cum etiam absens per amicum id perficere possit. Scilicet excusabat se *Statius Rufinus*, quo minus in perficiendo Proscenio pergeret, eo quod adversa fortuna usus in triennio a Præfecto Urbi relegatus esset. *Fortunam*, quam Deam fecere Romani, Juv. *Sat.* x. ỷ. 366. in omni re dominari, v. Sall. *Bell. Catil. c.* 8. *pr.* rerumque humanarum dominam esse, credidere antiqui. Cic. *pro Marcell. c.* 11. Plin. *L.* 11. *c.* 7. *Huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta, & in tota ratione mortalium, sola utramque paginam facit:* sive prospera essent, quæ *Bonæ*, sive adversa quæ *Malæ Fortunæ* adscribebantur, cui templum consecratum esse in Esquilinis tradit Plin. *d. l.* Qua Adversa Fortuna sese *usum* querebatur Statius Rufinus; quemadmodum de Cimone ait Corn. Nep. *in Cimon. c.* 5. *Eodem die pari fortuna in terris* usus est. Ut & Horat. 1. *Ep.* v. ỷ. 12.

Quo mihi fortunas si non conceditur uti?

Nec non Scævola in *l.* 75. *D. ad SCt. Trebell.* ex Epistola *Titii* ad *Cornelium: Titius Cornelio heredi suo salutem. A te peto Corneli, quoniam ad te devoluta est pars matris meæ, item pars* Sempronii *curatoris quondam mei*, contraria fortuna [usi]: ubi τὸ *usi* recte additum a Taurello, uti apparet ex sequentibus, in quibus Scævola ab Imp. deportatum fuisse subjicit.

X. Neque sine ratione querebatur, se adversa fortuna usum, cum a Præfecto Urbi relegatus esset in triennio. *Relegatos* Ælius Gallus apud *Festum* definit, *quibus ignominiæ aut pœnæ causa necesse est ab Urbe Roma, aliove loco abesse, Lege Senatusque consulto, aut Edicto Magistratuum.* Quæ pœna *Relegationis*, si accurate loquamur, diversa erat a pœna *Deportationis*. *Relegatio* enim fere fiebat ad tempus; *l.* 18. *pr. D. de interd. & releg. h. n. l.* *Deportatio* vero (quæ in locum *aquæ &*

& ignis interdictionis successit, *l.* 2. §. 1. *D. de pœn. l.* 3. *D. ad L. Jul. pecul. l. pen.* §. 3. *D. de extr. cogn.*) in perpetuum. *d. l.* 18. *pr. Relegatum* bona sequebantur; *Deportatum* non item. *l.* 4. *l.* 7. §. 4. *l.* 14. §. 1. *D. de interd. & releg.* Isid. *Orig. L.* v. *c.* 27. Sed differentiæ illæ non fuerunt perpetuæ. Nam & *Relegatio* aliquando facta in perpetuum; *l.* 7. §. 2. 3. *D. de interd. & releg. l.* 4. *l.* 28. §. 1. *D. de pœn.* & *Relegatis* bona quandoque vel omnia, vel pro parte ademta sunt. *l.* 1. *pr. D. si pend. appell. l.* 11. §. 3. *D. ad L. Falcid. l.* 38. §. 5 8. *D. de pœn.* Licet id de jure tum demum fieret, si relegatio in perpetuum facta esset. *l.* 4. junct. *l.* 7. §. 4. *D. de interd. & rel.* Ut potissima differentia inter *Relegationem* & *Deportationem* in eo sita sit, quod *Relegatio* fiat salva Civitate Romana, ac proinde *Relegati* patriam potestatem, Testamenti factionem, aliaque jura retineant; *l.* 4. *l.* 7. §. 3. *D. de interd. & releg. Deportatio* vero adimit Civitatem Romanam, *l.* 6. *pr. D. de interd. & releg. l.* 2. *D. de publ. jud. l.* 17. §. 1. *D. de pœn.* omniaque, quæ Juris sunt Civilis: *d. l.* 17. §. 1. quæ κατ' ἐξοχὴν *Exilium* dicitur. *d. l.* 2. *D. de publ. jud.* Quam differentiam accurate & eleganter exhibet Ovid. *Trist. L.* v. *Eleg.* xi. ỳ. 15. dum ait:

Nec vitam nec opes nec jus mihi civis ademit.

Et paulo post ỳ. 21.

Ipse Relegati *non* Exsulis *utitur in me*
Nomine.

Nec non Trist. *L.* II. ỳ. 135. *& seqq.*

Adde quod Edictum, quamvis immite minaxque,
Attamen in pœnæ nomine lene fuit.
Quippe relegatus *non* exsul *dicor in illo.*

 Ut

Ut & conjunctim. Trist. *L.* II. ỷ. 56. *& seqq.*

Nec mihi Jus Civis, *nec mihi nomen abest.*
Nec mea concessa est aliis fortuna, nec exsul
Edicti verbis nominor ipse tui.

Neque turbat, quod *Statius Rufinus* paulo post in eodem hoc nostro Rescripto *in exilium* profecturus dicatur. *Exilium* enim modo strictius pro *Deportatione* accipitur, *d. l.* 2. *D. de publ. jud.* modo latius pro *Relegatione; l.* 4. *pr. D. si quis caut. l.* 4. *D. de extr. crim.* quemadmodum & ipsa *Relegatio* aliquando pro *Deportatione* ponitur. *l.* 7. *pr.* §. 1. *D. de interd. & releg.*

XI. Relegatus autem erat a *Præfecto Urbi.* Præfecto enim Urbi Jurisdictio competebat non tantum civilis, sed & criminalis, & nominatim *relegandi deportandique in insulam*, quam Imp. assignaverit, *potestas*, *l.* 1. §. 3. *D. de off. Præf. Urb.* intra Urbem & *C. Lapidem* (sic leg. vid.) seu milliarium. *d. l.* 1. *pr.* junct. §. 4. Ut mirum non sit, *Statium Rufinum* ex *Oppido Gabino*, quod intra centesimum lapidem situm erat, v. supr. §. 8. a Præfecto Urbi relegari potuisse, & quidem *in triennio;* Relegatio enim plerumque, uti jam vidimus, ad tempus fiebat, non in perpetuum. Sive autem *in triennio* dicatur, sive *in triennium*, non interest; antiqui enim τὸ *in* modo accusativo, modo ablativo junxerunt, sive motum significet, sive quitem. Sic enim Paulus in *l.* 25. §. 4. *D. sol. matr.* & *l.* 24. §. 2. *D. loc. cond. fundum in quinquennio locatum dicit*, quem Ulp. in *quinquennium locatum ait* in *l.* 9. §. 1. *D. loc. cond.* Sic & *Relegatio* in *insulam* fieri dicitur, *l.* 4. *l.* 5. *l.* 7. §. 1. *D. de interd. & releg.* quam tamen *insulis* & *in insulis*, ex antiqua pronunciatione, *factam* docet Ulp. *d. l.* 7. §. 17. *D. eod.* add. Tertul. *Apolog. c.* 12. Quibus similia plura exempla si quis desideret, adeat Gell. *L.* 1. *c.* 7. A. Popm. *de Usu antiq. locut. c.* 7. Par. *Lexic. Plaut.* & Giphan. *Comt. in Lucret. in voc.* in.

XII.

XII. Et ſane plane iniquum eſſet, excuſationem ob cauſam relegationis admittere, *cum & abſens* (uti ſubjiciunt Imp.) *per amicum perficere id opus poſſit*. Licet enim opus faciendum non ſemper per alium perfici poſſit, eo quod inter artifices multa ſit differentia, *l.* 31. *pr. D. de ſol.* non tamen illud hic applicari poteſt; nam *d. l.* 31. loquitur de *Artifice*, qui opus faciendum promiſit, & quidem ita, *ut ſuis operis perficiat:* quo caſu dicta ratio demum locum habet; cæteroquin id, quod promiſſum vel præſtandum eſt, per alios etiam, maxime in caſu abſentiæ, fieri poſſe tum ex hoc loco, tum ex *l.* 1. *pr. D. de off. ejus, cui mand. eſt jurisd. l.* 5. §. 3. *D. de admin. tut.* manifeſtum eſt.


XIII. Sed quid ſi *Statius Rufinus* contumax ſit? an datur remedium, quo in ordinem redigi poſſit? Difficultatem tollunt Impp. dum pergunt: *Quod ſi detrectat*, Actores *conſtituti, qui legitime pro civitate agere poſſunt, nomine publico, adire adverſus eum Judices poterunt.* Cum enim ex Pollicitatione obligatio oriatur valida, uti dictum §. 2. Actionem, quæ ex æquitate oritur, contra promiſſorem competere, facile intelligitur. v. *l.* 3. §. 1. *D. de pollic.* Diſſ. N. IX. *de Cauſ. Oblig.* §. 8. 9. Quia vero ipſa Civitas in judicio comparere & Actionem proponere commode nequit, eam inſtituere debet per alium, *Actorem* ſcil. vel *Syndicum*, in civitate legitime conſtitutum, qui nomine publico ſeu civitatis *Judices* adire poterit. *l.* 1. §. 1. *D. quod cujuscunque univers. nom.*

XIV. Sed quales *Judices* hic intelligendi ſint non ſatis conſtat. Videri poſſet per Judices *Judices Pedaneos* intelligendos eſſe; v. Weſenbec *ad t. D. de pollic. n.* 6. Sed id diſplicet Bach. ad Weſ. *d. l.* & merito. Volunt enim Divi Fratres, ut *Actores* ſeu *Syndici Judices* recta adeant, quo modo non adeuntur *Judices pedanei*, qui ab eo, cui jus dandi erat, primum dabantur, *l.* 12. §. 2. *D. de jud.* & ubi dati erant, tum demum adiri poterant. Neque obſtat, quod per *Judicem* multis

in

in locis Judex significetur pedaneus; *d. l. 12. §. 1. 2. D. de jud. t. C. de ped. jud.* cum alibi per *Judicem* ipsum etiam Magistratum intelligi magis notum sit, quam ut ulteriori probatione indigeat. v. *l. 1. l. pen. D. de jud. l. 11. §. 1. D. de jurisd. t. t. D. de reb. auct. jud poss.*

XV. Quodnam autem *Judicum* seu Magistratuum in hac causa sit officium, simul docent Impp. dum subjiciunt: *Qui cum primum potuerint, priusquam in exilium proficiscatur, cognoscent, & si opus perfici ab eo debere constituerint, obedire eum Reip. ob hanc causam jubebunt, aut prohibebunt distrahi fundum, quem in territorio* Gabiniorum *habet.* Cum enim relegatis dies excedendi a Præfecto Urbi vel Præside præscribi soleat, illa formula: *Illum provincia illa, insulisque eis relego, excedereque debebit intra illum diem; l. 7. §. 17. D. de interd. & releg.* ac proinde relegato diutius in Civitate morari non liceat, neque æquum sit, ut opus promissum usque ad reditum relegati differatur: merito volunt Impp. ut Judices, *quam primum potuerint, priusquam in exilium proficiscatur, de eo cognoscant;* & si quidem constet, opus Reip. promissum esse, obedire eum Reip. & opus perficere jubeant, v. *l. 10. l. 13. D. de pollic.* aut, si fundum in territorio Gabiniorum habeat, cum distrahi prohibeant, ne per alienationem fundi Actio Gabinorum difficilior reddatur. Quod quo minus & ad casus similes extendi possit, veluti, si debitores de fuga suspecti sint, dubitandum non videtur. *l. 32. pr. D. ad L. Falcid.* v. Sand. *de prohib. rer. alien. p. 11. c. 111. §. 1. & seqq.*



DIS-

DISSERTATIO VIGESIMA SEXTA.

DIVI FRATRES Sextiliæ.

Cum rem pecuniariam esse dicas, potes per maritum tuum, solemnibus impletis, appellationi adversariæ tuæ respondere: cum appellationes pecuniariæ etiam per procuratores exerceri ab utraque parte litigantium possint. Accepta VIII. *Kal. Aug. Ipsis* II. *&* III. *AA. Coss.* 163. *l.* 2. *C. de procurat.*

I. *Usus Procuratorum in quibus causis locum habeat?* II. *An id etiam procedat ratione uxoris, ut maritus causam appellationis pro ea agere possit?* III. *Quid per* Appellationem *in* d. l. 2. *intelligatur?* IV. *Quænam sint* Solennia, *de quibus in* d. l. 2. *agitur?* V. *In quibus illa consistant?* VI. *An maritus uxoris sit* curator? VII. *Expositio subscriptionis.*

I. Postquam usus Procuratorum, tum ob utilitatem, tum ob necessitatem, introductus est, ut, qui rebus suis ipsi superesse vel nolunt, vel non possunt, per alios possint vel agere, vel conveniri, *l.* 1. §. 2. *D. de proc. pr. I. de iis per quos ag. poss.* inter alia quæsitum, in quibus causis Procuratores intercedere possint? De quo DIVI FRATRES rescripserunt tum in Epistola ab Ulp. in *l.* 1. *D. an per al. caus. appell. redd. poss.* exhibita, tum in hac *n. l.* 2. distinguendo inter causas *civiles* seu *pecuniarias*, & *criminales;* & in criminalibus, inter causas *graviores*, in quibus pœnæ relegatione majores irrogari possunt, & *leviores*, in quibus relegatio vel pœnæ relegatione minores locum habent, uti ad *d. l.* 1. pluribus ostendimus supra Differt. XXI. sive in prima agatur instantia, sive in Judicio Appellationis. *Generaliter* enim *constitutum, ut, quæ causa per alium agi non potest, ejus nec Appellationem per alium agi*

 oport-

oportere. d. l. 1. in f. D. an per al. cauſ. app. redd. poſſ.

II. Idque procedit non tantum ratione aliorum, ſed & conjugum, ut uxor per maritum Appellationi adverſariæ reſpondere poſſit. *Cum rem pecuniariam eſſe dicas*, (ajunt Impp. hac *n. l. 2.*) *potes per maritum tuum, ſolemnibus impletis, Appellationi adverſariæ tuæ reſpondere: cum Appellationes etiam per Procuratores exerceri ab utraque parte litigantium poſſint.*

III. Sunt qui per *Appellationem* hic *interpellationem* intelligunt, in primo ſcil. Judicio, non ſecundo ſeu Appellationis factam, quia *appellare* non raro idem ſignificat quod *convenire: l. 29. D. de jud. l. 16. §. 6. D. de fidej.* ſed ſine ratione. *Appellationem* enim ordinario pro *Provocatione*, ab inferiore Judice ad ſuperiorem facta, in Jure noſtro accipi, ex *t. t. D. & C. de appell. & ſeqq.* v. *l. 1. pr. §. 3. l. 6. l. 18. D. de appell. l. 1. pr. & §. 1. D. quis a quo appell. l. 1. §. 1. D. quand. appell. l. 10. l. 19. C. de appell. l. 1. l. 3. C. de temp. & rep.* notum eſt. Eodemque ſenſu vocabulum *Appellationis* in hoc Reſcripto a Divis Fratribus poſitum eſſe, ex collatione *l. 1. D. an per al. cauſ. appell. redd. poſſ.* manifeſtum eſt. Eſt enim hæc *n. l. 2.* Divorum Fratrum, in qua bis mentio fit *cauſæ pecuniariæ* & *Appellationis*, quemadmodum in *d. l. 1.* Reſcriptum, quod ab Ulp. exhibetur, etiam eſt Divorum Fratrum, in quo ſimiliter bis *cauſæ pecuniariæ* & *Appellationis* meminerunt, & de eadem cauſa & eodem modo reſcripſerunt. Imo non obſcure Ulp. in *d. l. 1.* ſignificare videtur, de illa cauſa non tantum Reſcriptum extare, quod ibi proponitur, ſed & aliud fuiſſe, quod ſcil. exhibetur in hac *n. l. 2.* Ait enim Ulp. *Et in rebus pecuniariis ſunt Reſcripta poſſe agi;* & porro ſubjicit: *Verba Reſcripti ita ſe habent.* Divi Fratres *Longino* &c. Ut utrumque Reſcriptum de eadem Appellatione, ſeu Provocatione ad Judicem ſuperiorem facta, accipienda ſit. add. Giph. *ad h. l. n. 2.*

IV. Sed dicunt Impp. uxorem per maritum appellationi adverſariæ uxoris reſpondere poſſe *impletis ſolemnibus*, ſeu *ſolen-*

lennibus interpositis seu *ordinatis*, uti alibi habetur: v. *l.* 18. *C. de evict. l.* 5. *C. de ord. cogn. l.* 31. *C. de lib. caus.* sed quid per illa *solennia* intelligendum, iterum non convenit. Non pauci enim cum Accurs. dicta verba *impletis solennibus* sic accipiunt, ut nihil aliud significent, quam *cautione* seu *satisdatione de judicato interposita*, de qua *l.* 6. *l. pen. D. jud. solv.* sed non recte; maritus enim, si mandatum habeat, satisdare non cogitur. *l.* 21. *C. de proc.* Et quaenam *solennia* Divi Fratres intelligant, ex ipsis Rescripti verbis abunde apparet, *solennia* seu *solennitates* scil. *appellationum*, seu *provocationis*, uti vocantur in *l.* 11. *C. de admin. tut. l.* 14. *C. Theod de appell.* Dicunt enim Impp Sextiliam per maritum appellationi adversariae respondere posse, *solennibus impletis*, per rationem, quia appellationes pecuniariae per procuratorem exerceri possunt. Ut alia, quam *solennia appellationis*, de qua sola ibi rescribitur, in *d. l.* 2. intelligi nequeant. v. Giphan. *d. l.*

V. Quaenam autem sint illa Solennia, docet Modestinus in *l.* 20. §. *ult. D. de appell.* dum ait: *Militibus appellandi tempora non remittuntur, & victi si non provocaverint*, & solennia fecerint, *postea non audiuntur;* per *Solennia* intelligens ea, quae ab appellante, si quidem appellationis effectum habere desideret, secundum Leges, praestanda sunt: ut scil. appellatio fiat debito modo, viva voce, statim, *l.* 2. *l.* 5. §. 5. *D. l.* 14. *C. de appell.* vel in scriptis, si ex intervallo fiat, per libellum appellatorium, *d. l.* 5. §. 5. *l.* 6. §. *ult. C. de appell.* & intra tempora appellatoria, *l.* 5. §. *ult. D. de appell. recip.* de quibus v. Pr. N. *ad t. D. quand. appell.* §. 1. & *seqq.* Quemadmodum eodem sensu *solennia accusationis* dicuntur, quae ordinario ab accusante observanda. *l.* 18. *D. l.* 7. *C. de accus.*

VI. Neque dictis contrariatur, quod quibusdam visum, maritum scil. uxoris curatorem esse, *l.* 95. *pr. D. ad L. Falcid.* ac proinde procuratorem esse non posse; cum id non tantum

nusquam dicatur, sed contrarium verum sit, maritum scil. ne quidem volentem uxoris curatorem esse posse. §. 19. *I. de excus. l.* 4. *C. eod. l.* 2. *C. qui dar. tut.* Neque aliud ex *d. l.* 95. *D. ad L. Falc.* inferri potest; licet enim maritus ibi dicatur res uxoris extra dotem constitutas administrasse, ex eo tamen non sequitur, maritum uxoris minoris 25. annis curatorem fuisse. Si enim uxor perfectæ ætatis bona habeat paraphernalia, maritus prohibente uxore ea administrare non potest; sed si uxor eorum administrationem concedat, secus est *l.* 8. *C. de pact. convent.* Licet moribus hodiernis in plerisque Regionibus receptum sit, ut maritus curator uxoris sit legitimus. v. Gudelin. *de Jur. Noviss. L.* 1. *c.* 7. Sand. *L.* II. *T.* IV *Def.* 3. Groenew. *ad d.* §. 19.

VII. Subjicitur denique, *Accepta* I. *Kal. Aug. Ipsis II. & III. AA. Coss.* i. e. *Accepta* scil Epistola, seu Rescriptum, I. Kalend. Aug. Ipsis secundum & tertium Augustis Coss. seu A. U. C. 914 Chr. 163. quo Divus MARCUS II. & L. AURELIUS VERUS III. Consules fuerunt. Solebat enim subscribi *Dat. Data* vel *Datum*, v. *l.* 20. *l.* 21. *l.* 24. *l.* 25. *C. de proc. l.* 23. *C. de Episc. l.* 26. *C. de proc. l.* 2. *l.* 4. *C. de Episc.* quo scil. tempore Epistola, vel Rescriptum datum esset; vel *Accepta* seu *Acc.* quo scil. tempore accepta: *l.* 5. *C. Theod. de contr. emt. l.* 2. *C. Theod. de postul.* & quandoque utrumque *Dat.* & *Accepta* vel *Acc.* ut constaret, quo tempore data, & quo tempore accepta esset. v. *l. un. C. Th. de parr. l.* 2. *C. Th. de accus. l. un. C. Theod. de mand. Princ. l.* 8. *C. Theod. de exact. l. un. C. Theod. de fals. mon.*

DIS-

DISSERTATIO VIGESIMA SEPTIMA.

Divi Fratres & AA. Celeri.

Competens Judex a filio te ali jubebit, si in ea facultate est, ut tibi alimenta præstare possit. Dat. Idib. Apr. Ipsis AA. Coss. 162. *l.* 2. *C. de al. lib. ac parent.*

Iidem Augusti Titianæ.

Si competenti Judici, eum, quem te ex Claudio enixam esse dicis, filium ejus esse probaveris, alimenta ei pro modo facultatum præberi jubebit. Idem, an apud eum educari debeat, æstimabit. P P. XIII. *Kal. Mart. Romæ,* Rustico *&* Aquilino *Coss.* 164. *l.* 3. *C. eod.*

I. II. *Amorem Parentum erga liberos, Liberorumque erga parentes, Juris esse Naturalis; ac proinde etiam educationem, & alimentorum præstationem.* III. *Ut & Juris Divini.* IV. *Nec non Juris Romani.* V. VI. VII. VIII. *Primum quidem Romanos in liberos jus vitæ & necis habuisse, & partus exponendi licentiam: sed postmodum id mutatum, & quo tempore?* IX. *In specie* Divos Fratres *jussisse, ut pater filium alere cogatur: dummodo mater probaverit filium ex marito susceptum esse.* X. *Quo modo illud probari possit?* XI. *Quid veniat* Alimentorum *nomine?* XII. XIII. *An pater filium statim alere teneatur?* XIV. *Quid juris, si pater parere recuset?* XV. *Removetur scrupulus ex* Apul. XVI. *Quænam sint Exceptiones?* XVII. *Ubi lite pendente partus educandus sit?* XVIII. XIX. *Similiter Juris Naturalis esse, ut liberi alant parentes.* XX. *Ut & Juris Divini.* XXI. *Nec non Juris Romani.* XXII. *Exceptiones.*

I. Juris Naturalis esse Amorem Parentum erga liberos, Liberorumque erga parentes, ex eoque fluere educationem liberorum, rectissime monet Imp. *pr. I. de J. N. G. & C.* & Pomponius *l. 2. D. de J. & J.* Quin enim Parentes ob arctissimum procreationis vinculum ad educationem & alimenta liberis præstanda Jure Naturali obligati sint, ne quidem dubitandum videtur. Dum enim parentes liberos generant, proprio se facto obstrinxisse videntur, se, quantum possibile est, operam daturos, ut vita, quam dederunt, conservetur. Affectusque paterni tanta plerumque efficacia est, ut etiam non coacti hac parte officio suo satisfacere gaudeant. Pufend. *de Jur. Nat. & Gent. L.* IV. *c.* 11. *n.* 4. Scharrock. *de Offic. sec. Jus Nat. c.* 7.

II. Agnoverunt & agnoscunt etiamnum pleræque Gentes istud. Cic. *L.* 1. *de Off. c.* 4. *Commune animantium omnium est, conjunctionis appetitus procreandi causa, & cura quædam eorum, quæ procreata sunt;* nec non quod *d. c.* 4. sequitur: *Eadem natura vi rationis hominem conciliat homini, & ad orationis, & ad vitæ societatem: ingeneratque in primis præcipuum quendam amorem in eos, qui procreati sunt: impellitque, ut hominum cœtus & celebrationes & esse, & a se obiri velit, ob easque causas studeat parare ea, quæ suppeditent & ad cultum & ad victum, nec sibi soli, sed conjugi, liberis, cæterisque, quos caros habeat, tuerique debeat.* Nam ut idem *de Fin. L.* III. *c.* 19. *Hæc inter se congruere non possunt, ut procreari quidem natura vellet, diligi autem procreata non curaret.*

III. Idemque dictant Sacræ paginæ: *Obliviscitur mulier infantis sui? immisericors in ventris sui filium?* Jesai. XL. ỳ. 15. Add. II Cor. XII. ỳ. 14. I. Tim. V. ỳ. 8.

IV. Quin & agnovere debitum istud Juris Naturalis etiam Legislatores Romani. Hinc Imp. Justinianus in *l. ult.* §. 5. *C. de bon. quæ lib. Parentes debent alere liberos, propter ipsam naturam.* Hinc Paulus JCtus in *l. 7. pr. D. de bon. damn.* *Ra-*

Ratio naturalis, quasi lex quædam tacita, liberis parentum hereditatem addicit, velut ad debitam eos successionem vocando. Hinc denique Papinianus in *l. 7. §. 1. D. und. lib. Liberos ad parentum bona Natura simul & parentum votum admittit.* Ut & idem Paulus, *necare eum non tantum, qui partum perforat sed & eum qui abjicit, & qui alimonia denegat*, respondere non dubitaverit. *l. 4. D. de agnosc. & alend. lib.* Ut & Leges liberis, qui propter imbecillitatem, licet plenum jus exigendi habeant, parentes utplurimum cogere nequeunt, hac parte subvenerint sanxerintque, ut parentes etiam inviti liberis alimenta præbere debeant, captisque pignoribus ad id cogi possint. *l. 5. pr. §. 1. 2. 10. D. de agn. & al. lib.*

V. Licet enim Pater ex Lege, a Romulo lata, & a Decemviris in XII. Tabulis confirmata, in liberos vitæ necisque potestatem haberet, v. Dion. Halic. *L.* II. *c.* 27. 28. *L.* VIII. *c.* 91. Val. Max. *L.* V. *c.* 8. Suet. *in Aug. c.* 65. *in Calig. c.* 5. *l.* 11. *D. de lib. & post. l. ult. C. de patr. pot.* & infantes exponere liceret, successu temporis tamen summum illud jus patriæ potestatis sublatum, *l.* 11. *D. de lib. & post. l. ult. C. de patr. pot.* Dio Cass. *L.* LIII. *p.* 509. & modica tantum castigatio parentibus concessa, *l.* 3. *C. de patr. pot. l. un. C. de his qui par. vel lib. occ. l. un. C. de emend. propinq.* infantumque expositio sub gravi pœna prohibita est. v. *l.* 2. *C. de infant. expos.* junct. *l.* 8. *C. ad L. Corn. de sic.*

VI. Et quidem SCto Planciano, quod a M. Plancio Varo Consule nomen habere, & sub Vespasianis conditum probabile est, v. Cl. Hein. ad *L. Jul. & Pap. P.* II. *L.* VI. *c.* 6. certe ante tempora Antonini Pii, *l.* 59. §. 1. *D. ad L. Falcid.* & Hadriani factum est, *l.* 3. §. 1. *D. de agn. & al. lib.* de agnoscendis liberis jam actum est. Cujus caput primum permisit *mulieri* parentive, in cujus potestate est, vel ei, cui mandatum ab iis est, si putet prægnatem, *denunciare intra dies triginta*, (continuos, *l.* 1. §. 9. *D. eod.*) *post divortium connumerandos, ipsi marito, vel parenti, in cujus potestate est: aut domum de-*

num-

nunciare, si nullius eorum copiam habeat. l. 1. §. 1. 2. 3. *D. de agn. & al. lib.* Ut, nisi denunciatione hac facta maritus custodes ad ventrem custodiendum inspiciendumque miserit, aut contra denunciaverit, non esse ex se prægnantem, cogatur maritus partum agnoscere, & si non agnoverit, extra ordinem coerceatur. *l.* 1. §. 4. 12. *D. eod.*

VII. Quod cum ad eos partus pertineret, qui post divortium eduntur, *l.* 3. §. 1. *D. eod.* Senatusconsulto, temporibus Hadriani facto, ulterius cautum est, ut, etiamsi constante matrimonio sit editus, de eo agnoscendo agi posset. *l.* 3. §. 1. *D. eod.*

VIII. Porro sub Trajano, Hadriano, Antonino Pio, adeoque longe ante tempora Alexandri, Constantini, & Valentiniani sociorumque, restrictum & mitigatum esse summum illud Jus patriæ potestatis, ut non in atrocitate, sed pietate consisteret, docent *l. ult. D. si quis a par. man. l.* 5. *D. ad L. Pomp. de parric. l.* 5. §. 15. *D. de agn. & al. lib. l.* 13. §. *ult. D. de re mil.* uti pluribus ostendit Amplissimus Præses Bynckershoekius in Eruditissimo Tractat. *de Jur. occid. lib.* & *Curis secundis.*

IX. Quid autem sub Divis Fratribus in usu fuerit, manifestum est ex *l. n.* 3. *C. de alend. lib. ac. par.* dum Impp. Titianæ rescribunt: *Si competenti Judici eum, quem te ex Claudio enixam esse dicis, filium ejus esse probaveris, alimenta ei pro modo facultatum præberi jubebit.* Scil. volunt Impp. ut, si Titiana, Actione præjudiciali de agnoscendo & alendo partu, contra maritum Claudium agat, Claudius ad agnoscendum & alendum condemnari debeat, dummodo probaverit Titiana uxor, partum, quem enixa erat, Claudii filium esse.

X. Probationem, aliquem alicujus filium esse, ratione matris minime difficilem, sed ratione patris perdifficilem, non tamen impossibilem esse, monitum supra Differt. VII. §. 11. *& seqq.* simulque per varia exempla ostensum, probationes hic non præcise requiri directas, sed & admitti probabiles seu

ſeu præſumtiones prægnantes, ut iis ſcil. ſtetur, donec probetur contrarium. Veluti, ſi quis ex uxore alicujus, qui cum ea aſſidue moratus, natus ſit, *l.* 6. *D. de his qui ſui vel alien. jur. ſunt.* qui pro partu habetur legitimo. Adeo ut, ſi quis neget ita natum filium ſuum eſſe, id non attendatur, etiamſi jurato id aſſeveret, vel apud Acta profeſſus ſit: *l.* 29. §. 1. *D. de prob.* imo, licet mater de adulterio convicta ſit. *l.* 11. §. 9. *D. ad Leg. Jul. de adult.* d. Diſſ. VII. §. 5. 6. 7. Quod ſi itaque dicto ſimilive modo *competenti Judici* ſeu Magiſtratui, qui hic per Judicem competentem intelligendus videtur, v. ſupra Diſſert. XXV. §. 14. Wiſſ. ad *h. l. in f.* probatum fuerit, filium, de quo quæritur, *Claudii* eſſe, Judex competens alimenta filio præberi jubebit.

XI. *Alimenta ſtrictiſſime* accepta *cibaria* ſignificant, ſine quibus corpus noſtrum ali non poteſt, *ut veſtiaria* & *habitatio* ſub iis non contineantur: *l.* 8. §. 12. *D. de transact. ſtricte* verò ea, ſine quibus corpus commode ali non poteſt, ut & *veſtiaria* & *habitatio*, non etiam, quæ ad diſciplinam pertinent, ſub iis contineantur. *l.* 6. *l.* 7. *l. ult. D. de alim. leg.* Sed *late* accepta (uti hic) omnia ſignificant ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria, pro modo facultatum patris; *l.* 5. §. 10. 12. *D. de agn. & al. lib. l.* 43. *D. de V. S.* ut & ſumtus in ſtudia & diſciplinas ſub *alimentis* contineri videantur. Nam non tantum præſtandum, ut vivere poſſint liberi, ſed & ut honeſte vivere, & tum proximis, tum Reip. quandoque utiles eſſe poſſint. v. Puffend. *de J. N. & G. L.* IV. *c.* XI. §. 4. Brunnem. ad *d. l.* 5. *n.* 8. Diſſ. *N.* VIII. *de C O.* §. 17. 18.

XII. Ad quæ alimenta filio præſtanda Pater, ſtatim ac filius natus eſt, tenetur, non demum poſt triennium: I. Per textus generales in *d. l.* 5. *pr.* §. 1. 10. *D. de agn. & al. lib. h. n. l.* 3. & 4. *C. de al. lib.* II. Quia & partui nondum nato, ſed adhuc in utero conſtituto, alimenta debentur. *l.* 5. *pr. D. de ventr. in poſſ. mitt.* III. Quia mater ante triennium mori,

Mm alia-

aliaque multa contingere possunt, ut proprio lacte per triennium infantem nutrire nequeat.

XIII. Neque contrariantur Impp. Dioclet. & Maximian. in *l.* 9. *C. de patr. potest.* qui *remedium alimentorum* majori trimo demum concedere videntur. Distinguendum enim inter alimenta lactis materni, ad quæ mater, siquidem ea præstare potest, per triennium (post quod liberi ablactari solebant, vid. II Macab. VII. ỳ. 27. Ulp. *Tit.* XVII. §. 1. & *ibid.* Cuj.) tenetur, & cætera alimenta & sumtus, qui a patre præstandi sunt. v. Hahn *ad Wes. ad t. D. de agn. & al. lib. n.* 4. Brunnem. *ad d. l.* 9. Carpz. *P.* IV. *Const* XXVII. *Def.* 5. d. Diss. N. §. 7.

XIV. Sed quid si pater non pareat, & alere detrectet? Pignoribus captis, & distractis, cogetur sententiæ satisfacere. *l.* 5. §. 10. *D. de agn. & al. lib.*

XV. Ut a vero aberrent, qui putant, Rescripti nostri fidem & auctoritatem subverti per Apulej. de *Asin. Aur.* L. X. dum refert, maritum quendam peregre proficiscentem, mandasse uxori suæ, ut si sexus sequioris edidisset fœtus, protinus quod esset editum necaretur; quasi sub DIVIS FRATRIBUS jus non tantum exponendi, sed & necandi liberos pro lubitu, adhuc fuerit in usu. Factum enim Apulejus narrat, non jus, neque quicquam, ex quo mandatum licitum fuisse colligi possit, subjicit. Qualia exempla contra Leges commissorum etiam post tempora Valentiniani, Valentis, & Gratiani extitisse, & etiamnum existere, nemo ignorat. vid. laudatus supr. V. A. Bynck. *de Jur. occid. lib. c.* X. *p.* 224. & *Cur. sec. p.* 43.

XVI. Plane non desunt casus, quibus Pater excusatur: Uti I. Si liberi sint locupletes, & se ipsos exhibere possint. *l.* 5. §. 7. *D. de agn. & al. lib.* II. Si liberi sint ingrati. Quod de Jure Naturæ ita procedit, si quid commiserint, per quod vinculum naturale, quod est inter parentes & liberos, tol-

tollitur; veluti, si vitæ parentum insidiati sint, vel patrem detulerint, ut ad mortem rapiatur. *l.* 5. §. 11. *D. de agn. & al. lib.* Cum vero causæ ingratitudinis, ob quas parentes liberos suos exheredare possint, jure Civili determinatæ sint, *N.* 115. *c.* 3. §. 1. *& seqq.* ob easdem causas, ob quas parentes liberos exheredare possunt, & alimenta iis negare posse, de jure nostro dicendum videtur. v. Wesenb. ad *d. l. de agn. & al. lib.* Struv. *Exerc. J. C.* XXX. *th.* 76. Brunnem. ad *d. l.* 5. *n.* 20. III. Si liberi ex incestis aut damnatis complexibus nati sint. v. *Nov.* 89. *c. ult. Auth. Ex complexu. C. de incest. nupt.* d. Diss. *N.* VIII. *c.* III. §. 13. *& seqq.*

XVII. Cum vero non raro, lite pendente, quæstio incidat, ubi interim filius educari debeat? Impp. id ipsum arbitrio Judicis, qui de causa cognoscit, simul committunt, ut pro varietate circumstantiarum *æstimet, an apud patrem educari debeat.*

XVIII. Quemadmodum autem Juris Naturalis, Divini, & Civilis est, ut Pater alimenta præstet liberis, sic & Liberi parentes eodem Jure Naturali alere tenentur. Singularis enim amor, quo liberi parentes suos, quibus, ob vitam, & plurima alia beneficia, nunquam dignam satis referre possunt gratiam, tenentur prosequi, injungere videtur, ut parem vicem rependant suis parentibus, uti pie respondit Papinianus in *l.* 15. *pr. D. de inoff. test.* Ut adeo vi gratitudinis, (minime vero ex fide data vel contractu, uti statuit Hobbesius,) & proinde Jure Naturali liberi ad id obstricti sint. v. Scharrock. *de Off. sec. Jus Nat. p. m.* 381. Ziegler. *ad H. Grot. de J. B. ac P. L.* II. *c.* VII. §. 5.

XIX. Hoc vult Νόμος πελαργικὸς, de qua Aristoph. *in Avib. p.* 604. *Edit. Biset.* Neque consensum denegant Gentes moratiores. Omnium enim Græcorum Leges jusserunt parentes ali a liberis. v. Vitruv. *de Architect. L.* VI. *in præfat.* Exceptis tamen Atheniensibus, qui eos tantum parentes ali vo-

luerunt, qui liberos artibus erudivissent. Vitruv. *d. l.* Plutarch. *in Solon.* Eleganter Isæus Orat. VII. (quæ Latine ita exhibet Puffend. *de J. N. & G. L.* IV. *c.* XI. §. 13.) *Lex jubet parentes alere; parentes vero sunt Pater, Mater & Avus. Isti namque generis principium sunt, & bona eorum posteris per manus traduntur, quapropter eos alere necesse, etiamsi nihil reliquerint.*

XX. Idem docet Apostolus Paulus 1. ad Timoth. v. ℣. 4. dum ait, liberos debere ἀμοιβὰς ἀποδιδόναι τοῖς προγόνοις, subjecta ratione, τοῦτο γάρ ἐστι καλὸν καὶ ἀπόδεκτον ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ.

XXI. Neque aliud constitutum apud Romanos, uti apparet ex Rescripto DIVORUM FRATRUM in *l. n.* 2. dum ajunt Impp. *Competens Judex a filio te ali jubebit, si in ea facultate est, ut tibi alimenta præstare possit;* nec non *l.* 5. §. 13. 16. *D. de agn. & al. lib. l.* 1. *C. eod.* ut & cogi ad id liberos remedio alimentorum posse cautum sit. *l.* 5 *C. de patr. pot.*

XXII. Nisi forte & Pater habeat, unde se exhibere possit, arg. *l.* 5. §. 7. *D. de agn. & al. lib.* vel contra liberos aliquid commiserit, ob quod exheredari possit. arg. *l.* 5. §. 11. *d. t. N.* 115. *c.* 4. §. 1. *& seqq.*



DIS-

DISSERTATIO VIGESIMA OCTAVA.

IMPP. ANTONINUS & VERUS AA. Titio.

Si filium tuum in tua potestate esse dicis, Præses Provinciæ æstimabit, an audire te debeat: cum diu passus sis, ut patrisfam. res ejus agi per eos, qui testamento matris tutores nominati fuerint. PP. sine Die & Consule. l. 1. C. de patr. pot.

I. *Varios casus esse, quibus Patria potestas ipso jure amittitur.* II. *Casus de quo hic agitur.* III. IV. *Aliquid intercessisse, & quid? ut dubium esset, an filius adhuc esset in potestate patris?* V. *Quid per τὸ* diu, *seu diuturnum, & longum tempus intelligatur?* VI. *Separata* filii *habitatione patriam potestatem amitti. Neque obstare* l. 3. C. de em. lib. VII. *Idque a Leone Imp. confirmatum, moribusque hodiernis in plerisque regionibus receptum esse.* VIII. *Transitus ad Rescripta solius* MARCI *Imp.*

I. Quemadmodum varii sunt modi, quibus patria potestas solvitur, sic & varii casus sunt, quibus patria potestas ipso jure amittitur. Scilicet I. Si pater infantem exposuerit. *l. 2. C. de infant. expos.* II. Si pater post priores, incestuosas nuptias contraxerit. *Nov. 12. c. 2.* III. Si pater longo tempore liberorum res ut patrumfamilias administrari passus sit, ut Impp. ANTONINUS & VERUS seu DIVI FRATRES v. supr. Diss. I. §. 13. rescribunt *Titio* in *h. n. l. 1.*

II. Casus, de quo consulti sunt DIVI FRATRES, uti ex verbis ipsius Rescripti non difficulter intelligitur, talis est.

 Ma-

Mater Mævia *filium suum* Cajum *instituit in testamento heredem*, & *tutores ei nominat* Sempronium *&* Mævium. *Non contradicit Pater* Titius, *sed patitur tutores nominatos* Sempronium *&* Mævium *rem* Caji *longo tempore administrare, tanquam ejus, qui sui juris & paterfamilias esset. Deinde Pater* Titius *dicit filium* Cajum *in sua potestate esse, & petit, ut tutores* Sempronius *&* Mævius *removeantur.* Quæritur, *an tutores* Sempronius *&* Mævius *removendi sint?* Rescribunt Impp. *Præsidem Provinciæ æstimare debere, an patrem* Titium *audire debeat, cum diu passus sit, ut patrisfamilias res ejus agi per eos, qui testamento matris tutores nominati fuerunt.*

III. Ajunt Impp. *Si filium tuum in potestate tua esse dicis, Præses Provinciæ æstimabit, an audire te debeat?* scil. si aliquid intercesserit, ob quod dubium sit, an patria potestas sublata sit? cæteroquin liberos alicujus, ex justis nuptiis procreatos, in patris potestate esse, ex *pr.* & §. *ult. I. de patr. pot.* notum, neque propositæ quæstioni, vel causæ cognitioni locus esset.

IV. Et aliquid intercessisse, neque ordinarii, sed extraordinarii, apparet ex sequentibus, dum Divi Fratres subjiciunt: *Cum diu passus sis, ut patrisfamilias res ejus agi per eos, qui testamento matris tutores nominati fuerunt.* Cum enim hic nulla intercesserit emancipatio, aliusve ordinarius solvendæ patriæ potestatis modus, videri posset filius in potestate patris remansisse. Sed si consideretur, Patrem scientem longo tempore passum, res filii tanquam patrisfamilias per nominatos tutores (mater enim jure dare non potest, v. *l.* 1. §. 1. *D. de conf. tut.*) administratas fuisse, non sine causa dubitari potest, an non per hoc factum Pater filium tacite emancipaverit, jurique suo renunciaverit? Ac proinde favore libertatis filii Divis Fratribus id æstimandum visum fuit. Quemadmodum per expositionem infantis, patrem juri suo renunciasse, merito creditur. *l.* 2. *C. de infant. expos.*

V. Sed


V. Sed quid per τὸ *diu* seu diuturnum & longum tempus, (quod varie accipitur, v. supr Diss. IX. §. 8.) intelligendum sit, non addit, ac proinde prudentis Judicis arbitrio, qui id æstimabit, & de causa cognoscet, relictum videtur. arg. *l.* 1. §. 2. *D. de jur. de ib.* Licet non improbabile sit, decem annos ad hoc sufficere, ut videatur Pater, per diuturnam illam patientiam, nominationem tutorum, eaque, quæ per eos gesta sunt, probasse, & filius sui juris fuisse. arg. *t. C. de præscr. long. temp.* x. *vel* xx. *annor.* junct. *l.* 16. §. 3. *D. qui & a quib. man. lib. non fiunt.* Ubi Aristo respondit: *A debitore Fisci, qui solvendo non erat, manumissum ita revocari in servitutem debere, si non diu in libertate fuisset, id est, non minus decennio.* add. *l.* 2. *C. de long. temp. præscript. quæ pro lib. l.* 6. *C de pet. her.*

VI. Ut adeo inter casus, quibus patria potestas ipso jure solvitur, non sine ratione referatur Separata filii habitatio, si scil. filiusfam. sciente & patiente patre, seorsim a patre habitet, familiam instituat, negotietur, & res suas tanquam paterfam. agat & administret. Neque aliud inferri possit ex *l.* 3. *C. de emanc. lib.* ubi Impp. Dioclet. & Maximian. rescribunt, *liberos, non nudo consensu patris*, patria *potestate liberari, sed actu solenni*, vel casu. De nudo enim consensu hic non agitur, sed de tacita voluntate patris, rebus ipsis & factis declarata. v. Cl. Voet. *ad t. D. de Adopt. n.* 12.

VII. Idque confirmat Imp. Leo *Nov.* 25. *in fin.* dum ait: *Nos hoc insuper annectimus, ut si pro suo saltem arbitratu vivere filius videatur, (sive id ejus verbis, cujus sub potestate degit,* concessum fuerit, *sive verbis quidem concessum non sit, sed consensus tacitus filio, vitæ rationes separatim instituenti, non adversatus sit, verum ipsum suo modo seorsum vivere permiserit) tametsi a conjugii commercio liber sit, jus tamen liberi arbitrii ratum illi & confirmatum sit. Etenim, si servi semel jugo emissi, dum mali non apparent, iterum illud trahere non coguntur:* quo-

quomodo indignum non est, filios patria potestate liberatos, denique sub jugum mittere, ipsosque perpetua libertate, qua, quomodo dixi, servi etiam fruuntur, expertes esse? Quin & moribus plerarumque Regionum receptum est: vid. Costum van Antwerp. *T.* XLIII. *art.* 73. Christin. *Vol.* IV. *Dec.* CLXXXVI. *n.* II. Chass. *ad Consuet. Burg. Rubr.* VI. §. 3. Grot. *Introd. L.* I. *P.* VI. *n.* II. Voet. *d. l.* Licet aliud de *Frisia* testetur Sand. *L.* II. *Dec. Tit.* VII. *def.* 6. ut & de *Saxonia* Wesenb. *ad t. D. de adopt. n.* 6.

VIII. Et hæc quidem, quantum ad *Rescripta* DIVORUM FRATRUM attinet, sufficere videntur. Sequuntur *Rescripta* solius DIVI MARCI *Imperatoris*.



DIS.

DISSERTATIO VIGESIMA NONA.

Ulpianus *Libro Tertio de Officio Consulis.*

Nam ita Divus Marcus Eutychiano rescripsit: *Quod desideras, an impetrare debeas, æstimabunt Judices, adhibitis etiam his, qui contradicent, id est, qui læderentur confirmatione Adoptionis. l. 39. D. de adopt.*

I. *Quo pertineat hoc* Divi Marci *Rescriptum?* II. *Adoptionem indistincte fieri non posse.* III. *An adoptio non Jure facta, & quomodo confirmari possit?* IV. *Quinam per Judices intelligantur?* V. *Quinam sint, qui per confirmationem lædi possint?* VI. *Quando Rescripta Principum impetrantur, intervenire debere, qui cæteroquin per Rescripta læderentur.*

I. Quo pertineat hoc Divi Marci Rescriptum, quod exhibet Ulp. ex conjunctione legis 38. *D. de adopt.* manifestum est, ubi Marcellus ait: *Adoptio non jure facta a Principe confirmari potest.*

II. Non enim Adoptio simpliciter & indistincte fieri potest. Nam non omnes adoptare possunt. Non minor natu majorem: §. 4. *I. de adoptionib. l.* 40. §. 1. *D. eod.* non castrati: §. 9. *I. eod.* non fœminæ: §. 10. *I. eod.* nec tutores & curatores: *l.* 17. *pr. D. eod.* neque sine causæ cognitione possunt liberos legitimos jam habentes, *l.* 17. §. 3. *D. eod.* quique LX. annis minores sunt. *l.* 15. §. 2. *l.* 17. §. 2. *D. eod.* Tum

& Adoptio in specie fieri nequit, nisi apud Magistratum, qui Legis habet Actionem, *l.* 2. *pr. l.* 3. *l.* 4. *l.* 36. §. 1. *D. de adopt.* neque ad tempus. *l.* 34. *D. eod.* Arrogatio autem nisi apud Principem, *l.* 2. *pr. D.* §. 1. *I eod.* adhibita causæ cognitione, in primis, si quis impubes sit; §. 3. *I. eod.* & intercedente auctoritate tutorum & curatorum. *l.* 2. *C. de adopt. l. ult. C. de auct. præst. l.* 8. *D. de adopt.*

III. Quod si itaque adoptio non jure facta sit, quæsitum, an & quomodo confirmari possit? De quo DIVUS MARCUS *Eutychiano* (sic nomen exprimitur in Cod. Flor. & sæpe alibi. v. Grut. p. LXV. n. 7. 127. p. CCCC. n. 8. p. CCCCCCLVII. n. 4. p. CCCCCCLXXXIV. n. 4. p. CCCCCCLXXXIX. n. II. p. MCXIX. n. 4.) rescripsit, *confirmationem adoptionis non jure factæ simpliciter concedi non posse, sed causa tantum cognita, & adhibitis ipsis, quorum interest.*

IV. Ait Imp. *Quod desideras, an impetrare debeas, æstimabunt Judices;* i. e. Magistratus, quibus hæc causa commissa est, qui non raro nomine *Judicum* veniunt. v. *l.* 1. *l* 12. *pr. D. de jud.* supr. Diss. XXV. §. 14. Neque enim Princeps præjudicium vult fieri alteri, cui jus quæsitum est. *l.* 7. *C. de prec. Imp. off.*

V. *Adhibitis etiam his, qui læderentur confirmatione adoptionis*, si scil. non interessent confirmationi: quales sunt, tutores & curatores, liberi justo matrimonio quæsiti, *l.* 17. §. 3. *D. de adopt.* ut & filius, cum nepos adoptatur quasi ex filio natus, *l.* 6. *D. de adopt.* nec non proximi agnati & cognati. Licet enim auctoritas agnatorum ad hoc, ut adoptio fiat, non sit necessaria, *l.* 7. *D. de adopt.* aliud tamen juris est, si adoptio non jure facta sit, & de ea per Rescriptum Principis confirmanda agatur. *h. n. l.* 39.

VI. Illud denique ex *h. n. l.* 39. recte refertur, iis casibus, quibus Rescripta Principum impetrantur, eos intervenire debere, qui cæteroquin per Rescripta læderentur. arg. *l. ult.*

l. ult. D. de nat. rest. l. 13. pr. in f. D. de min. Quantumvis enim inter alios negotium geratur, non tamen aliquid concedendum in præjudicium alterius, *d. l. 7. C. de prec. Imp. offer.* ac proinde legitime vocandi & audiendi omnes, quorum interest, & qui ex illo actu lædi possent. v. Acc. Brunnem. ad *d. l. 39.*



DISSERTATIO TRIGESIMA.

Paulus *Libro Singulari de Usuris.*

Cum quidam cavisset: *se quotannis quincunces usuras præstaturum; &, si quo anno non solvisset, tunc totius pecuniæ ex die, qua mutuatus est, semisses soluturum:* &, redditis per aliquot annos usuris, mox stipulatio commissa esset: Divus Marcus *Fortunato* ita rescripsit: *Præsidem Provinciæ adi, qui stipulationem, de cujus iniquitate questus es, ad modum justæ exactionis rediget.* Hæc Constitutio adfinitum modum excedit. Quid ergo? sic temperanda res est, ut in futurum duntaxat ex die cessationis crescat usura. *l.* 17. *pr. D. de usur.*

I. *Quid sit* Usura? II. *An usura sit licita?* III. *Quis sit Legitimus usuræ modus?* IV. *Quis hujus Legis casus sit?* V. *Quid sit* cavere? VI. *Quomodo caveatur?* VII. *Quænam sint usuræ* Quincunces? VIII. *Quænam semisses?* IX. *Quid sit* stipulationem committi? X. *In quo consistat iniquitas? de qua* Fortunatus *questus est.* XI. XII. XIII. *An bene legatur* adfinitum modum excedit; *& quid per ea verba intelligatur?* XIV. *Ex die cessationis crescere usuras.*

I. *Usura*, quæ ab *usu* dicta, Varr. *de L. L. L.* IV. §. *m.* 16. Isid. *L.* V. *c.* XXV. in genere omnem usum significat, sed in specie *incrementum, quod sorti accedit, propter usum, in eodem genere præstandum.* v. *l.* 24. *D. depos.* Isid. *d. l. l.* 12. *C. de usur.* Varr. *d. l. l.* 58. §. 6. *D. ad SCt. Treb. l.* 23. *C. de usur.* Pr. N. *ad T. D. de usur.* §. 1. *& seqq.*

II. Qualis usura Jure tum Naturali, v. *l.* 15. *D. de interd. & releg.* Grot. *de Jur. Bell. ac Pac. L.* II. *c.* XII. §. 20. tum Divino, v. Deut. *c.* XXIII. ỳ. 20. Matth. XXV. ỳ. 27. tum Civili,

vili eſt licita. *l.* 26. §. 1. *C. de uſur.* Dummodo modum non excedat, neque lædat charitatem erga proximum. v. Matth. VII. ỷ. 12. 1. Tim. 1. ỷ. 5. Rom. XIII. ỷ 10. Gal. v. ỷ. 14. ita acc. Luc. VI. ỷ. 35. v. V. Cl. Noodt *de uſur. c.* IV. *& ſeqq.*

III. Qui modus, cum ante varius eſſet, ut & *Centeſima* aliquando ſimpliciter fuerit licita, poſtmodum conſtitutus ac determinatus eſt a Juſtiniano in *d. l.* 26. §. 1. *C. de uſur. N.* 32. *c.* 1. *N.* 34. *c.* 1. adhibita diſtinctione inter illuſtres, mercatores, aliosque. v. Pr. N. *ad T. D. de uſur.* §. 20. *& ſeqq.*

IV. Quis vero caſus ſit, de quo hic quæſitum eſt, ex ipſis verbis legis ſatis conſtat. Scilicet, *cavit* v. c. Titius, *ſe quotannis* quincunces *uſuras præſtaturum, & ſi quo anno non ſolviſſet, tunc totius pecuniæ ex die, qua mutuatus eſt*, ſemiſſes *ſoluturum.* Titius *per aliquot annos reddit uſuras, deinde ceſſat, ut commiſſa ſit ſtipulatio.* Quæſitum, *An ex die, quo ceſſatum eſt, debeantur uſuræ ſemiſſes?* An vero *ex quo mutuatus eſt.*

V. *Cavit quidam* v. c. Titius. *Cavere* in genere ſignificat proſpicere, conſulere, ſibi ſcil. vel aliis. v. *l.* 3. *pr. D. de transact. l.* 53. §. 1. *D. de act. emt. l.* 73. §. *ult. D. de R. J.* Sed in ſpecie *debitores cavere* dicuntur *creditori*, ratione mutuæ ſeu pecuniæ debitæ. Quod fieri ſolebat chirographo: v. Suet. *in Calig. c.* 2. *l.* 49. *pr. D. ſol. matr. l.* 134. §. 2. *D. de V. O.* unde & *cautio* dicitur ſcriptura, qua ſe debitor creditori debere cavet, *l.* 40. *D. de reb. cred.* & in ſpecie *cautio pecuniæ creditæ. l.* 40. *pr. D. de min. l.* 29. *D. de O. & A.*

VI. *Cavit* autem, *ſe quotannis* quincunces *uſuras præſtaturum*, per ſtipulationem ſcil. uſuræ enim fœnebris pecuniæ citra vinculum ſtipulationis ordinario peti non poſſunt. *l.* 3. *C. de uſur.*

VII. Ut autem intelligatur, quænam ſint uſuræ *quincunces*, præmittendum, uſuras *Centeſimas* apud Antiquos dictas

 fuiſſe,

fuisse, quæ centesimo mense sortem æquant, seu cum singulis mensibus centesima pars sortis usurarum nomine præstatur, adeoque singulis annis duodecim pro centum. Columell. *de re rust. L.* III. *c.* 3. Harmenop. *Promtuar. L.* III. *T.* 7. Betsbrug. *de usur. centes. c.* I. *& seqq.* Groslot. *ad l.* 40. *D. de R. C. p.* 33. *vers. & seqq.* A. August. *L.* II. *Emend. c.* 10. Cl. Noodt *de usur. L.* II. *c.* I. Ratione autem *Centesimæ* tanquam *Assis* (qui XII. continet uncias, §. 5. *I. de hered. inst.*) consideratæ, partes ejus dictas fuisse *trientes*, *quincunces*, *semisses*. v. Scholast. Græc. *Basil. L.* XXXVIII. *T.* XVII. ad *l.* 2. *C. de usur. pupillar. l.* 17. § *ult. D. de usur. l.* 26. §. I. *C. eod.* Noodt *d. l.* Ac proinde usuræ *quincunces* sunt, quæ usuris semissibus una uncia sunt minores, seu cum de sorte centum aureorum singulis annis quinos percipimus: v. Betsbrug. *de usur. centes. c.* XXV. XXVI. Groslot. *ad l.* 40 *D. de reb. cred. p.* 43. quæ & alibi occurrunt, v. *l.* 7. §. 10. *D. de adm. tut. l.* 15. *pr. l.* 16. §. 2 *D. de alim. leg.* & *leviores*, v. *d. l.* 7. §. 10. & *modestæ* vocari solent. v. Pers. *Sat.* V. ℣. 149. verb. *Quincunce modesto.* Turneb. *L.* XX. *c.* I.

VIII. *Et si quo anno non solvisset, tunc totius pecuniæ ex die, qua mutuatus esset, semisses se soluturum.* Sunt autem usuræ *semisses* seu *semissales*, uti vocantur in *l.* 10. *D. de pollic.* quæ faciunt dimidiam partem centesimæ, seu cum sex solvuntur pro centum. Betsbrug. *de usur. centes. c.* XXIV. XXV. Groslot *ad l.* 40. *D. de R. C. p.* 42. *vers.* quæ a *levioribus* quidem distinguuntur in *l.* 5. *D. de oper. publ.* respectu tamen graviorum & ipsæ *civiles* dicuntur & *modicæ*, Plin. *L.* XIV. *c.* 4. & mercatoribus conceduntur. *l.* 26. §. I. *C. de usur.*

IX. *Et redditis per aliquot annos usuris, mox stipulatio commissa esset;* id est, cum per aliquot annos solutæ essent usuræ *quincunces*, deinde in iis solvendis cessatum esset. Sic enim *stipulatio committi* dicitur, cujus casus & conditio extitit *l.* 13. *D. si quis caut. in jud. sist. caus. fact. non obt. l.* 14. *D. de proc. l.* 64. §. I. *D. de jud. l.* 24. *D. de cond. & dem. l.* 7. *l.* 9. *D. jud.*

jud. solv. l. 38. §. 4. *l.* 63. *l.* 81. *pr. D. de V. O.* nec non stipulatio commissa in *l.* 67. *D. de C. & D. l.* 2. *C. de jur. dot.*

X. De quo cum consultus esset Divus Marcus a *Fortunato*, eidem ita rescripsit: *Præsidem Provinciæ adi, qui stipulationem, de cujus iniquitate questus es, ad modum justæ usuræ rediget.* Est enim iniquum, ut, qui pro præterito tempore obtemperaverit, pro eodem tempore pœnam patiatur & incurrat; ac proinde etiam iniquum est, ut ex die contractus usuris usuræ accedant. Si enim usuræ crescerent in præteritum ex die contractus, usuris usuræ accrescerent, & usuræ usurarum hoc modo exigerentur, quod semper fuit prohibitum. *l.* 20 *C. ex quib. caus. infam. irr. l.* 28. *C. de usur.* Ac proinde merito vult D. Marcus, ut a Præside hæc iniquitas corrigatur.

XI. Sed quid sibi vult *Paulus*, dum *Rescripti* illustrandi causa subjicit: *Hæc constitutio adfinitum modum excedit.* Haloander, Ed. vulgatam secutus, pro *adfinitum* legit *ad infinitum:* sine justa ratione. Cujacius *L.* XIX. *O. c.* 8. lectionem Florentinam defendens, ait *ad finitum modum*, i. e. *ad summum modum:* sed ad Afric. *Tr.* VII. in explic. *l.* 64. *D. de V. O. adfinitum usurarum modum* interpretatur *legibus definitum modum*: sensu non satis commodo. Probabile est, hoc voluisse *Paulum*, hanc constitutionem Marci, *excedere adfinitum modum usurarum*, id est *recedere a convento modo usurarum, & per stipulationem definito.* D. Goth. *in not. Ed. ult. ad h. n. l.* 17.

XII. Quemadmodum enim permissum fuit creditori non tantum, minoribus usuris ad diem non solutis, majores in futurum usuras stipulari, *l.* 9. §. 1. *D. de usur.* sic & licitum fuisse videtur eas etiam in præteritum stipulari, coercendi debitoris gratia. Quod cum durum videretur, per novam hanc Divi Marci constitutionem inhibitum est. v. Scholiast. Græc. *ad l. n.* 17. *lit. c.* Basil. *L.* XXXIII. *Tit.* III. *p.* 425. Cl. Noodt

Noodt *de usur. L.* III. *c.* 4.

XIII. Licet enim insolens & rarior illa sit locutio, non tamen ob id protinus est rejicienda, quandoquidem & alia similia, quæ vix alibi reperias, inveniuntur in Pandectis. Veluti *regimentum* pro *regimine, l. un. pr. D. de off. Præf. Præt. porticationes* pro *porticibus*, *l.* 37. §. 1. *D. de religios. nundinæ* pro *epulis nundinalibus, l.* 69. *D. pro soc. corbis* pro mensuræ genere, *l.* 1. §. *ult. D. de peric. & comm. rei vend.* v. supr. Diss. VI. §. 7. *& seqq. excussati* pro *excussi*, *l.* 46. §. 6. *de admin. tut.* v. Cl. Duker *de Latin. vet. JCtor. p.* 343. *perlusorium judicium* pro *collusoria*, *l.* 14. *pr. D. de appell.* v. supr. Diss. XXI. §. 7. & similia.

XIV. *Quid ergo?* (ait denique *Paulus*) *sic temperanda res est, ut in futurum duntaxat ex die cessationis crescant usuræ.* Neque sibi ipsi contrarius est *Paulus in l.* 40. *in f. D. de R. C.* dum docet, usuras ex die stipulationis interpositæ præstandas esse. Species enim non eædem sunt, sed diversæ. In *d. l.* 40. enim agitur de casu, quo usuræ tanquam pœna sortis non solutæ promissæ sunt, quæ ex die stipulationis debentur. In *l. n.* 17. autem de casu, quo usuræ graviores promissæ sunt ob non solutas usuras quincunces, quæ tantum debentur ex die cessationis. v. Cuj. ad *l.* 64. *D. de V. O.* Cl. Noodt *de usur. L.* III. *c.* 4. *in f.*



DIS-

DISSERTATIO TRIGESIMA PRIMA.

Ulpianus *Libro Secundo de Officio Consulis.*

Si mater alimenta, quæ fecit in filium, a patre repetat, cum modo eam audiendam, [Ita] DIVUS MARCUS rescripsit *Antoniæ Montanæ* in hæc verba: *Sed & quantum tibi alimentorum nomine, quibus necessario filiam tuam exhibuisti, a patre ejus præstari oporteat, Judices æstimabunt. Nec impetrare debes ea, quæ, exigente materno affectu, in filiam tuam erogatura esses, etiamsi a patre suo educeretur. l. 5. §. 14. D. de agnosc. & al. lib.*

I. *Parentes ad alimenta liberis præstanda obstrictos esse, in primis Patrem.* II. *Ut & patre mortuo omnes in linea paterna Ascendentes.* III. *Iisque deficientibus Matrem, reliquosque in linea materna Ascendentes.* IV. *An Mater alimenta, quæ, vivo Patre & sufficiente, filio vel filiæ exhibuit, repetere possit?* V. *Matrem alimenta, quæ ex materno affectu & pietate subministravit, repetere non posse.* VI. *Non censeri Matrem ex affectu & pietate alimenta erogasse, si protestata sit.* VII. *Si Pater peregre abierit.* VIII. *Si alimenta in ratione expensarum retulerit, vel aliæ circumstantiæ aliud suadeant.* IX. *Neque obstare* l. 11. C. de neg. gest.

I. Alimenta a Patre liberis, & quidem statim ut nati sunt, præstanda esse, ut & invitus captis pignoribus ad id cogi possit, *l.* 5. §. 1. 2. 10. *D. de agn. & al. lib. l.* 3. *l.* 4. *C. eod.* late ostensum supr. Diss. XXVII. §. 12. *seqq.*

II. Neque tantum id officium incumbit Patri, sed & patre mortuo omnibus in linea paterna Ascendentibus. *d. l.* 5. §. 2. 3. *l. pen. D. eod.*

III. Mater ad hoc ordinario non tenetur, sed tum demum, si pater decesserit, vel non sit sufficiens, vel non sint sufficientes alii in linea paterna, quo casu & Mater tenetur, & matre deficiente reliqui in linea materna. *d. l.* 5. §. 2. 3. 4. 5. *d. l. pen. N.* 117. *c.* 7.

IV. Unde quæsitum est, quid dicendum? si Mater, patre vivo & sufficiente, filio vel filiæ necessaria alimenta exhibuerit, an ea a marito, Actione scil. negotiorum gestorum, repetere possit? De qua re DIVUS MARCUS *rescripsit* Antoniæ Montanæ *in hæc verba* (sic exhibetur in Edit. quæ prodiit Paris. apud *Carol. Guillard.* Vid. *Claud. Chevallon.* & *Guilielm. des Boys.* omisso verb. *Ita.* quod signis est inclusum, & abundare videtur)· *Sed & quantum tibi alimentorum nomine, quibus necessario filium tuum exhibuisti, a patre ejus præstari oporteat, Judices* i. e. Magistratus (v. supr. Diss. XXV. §. 14.) *æstimabunt.* Mater enim, quod alimentorum nomine in filium erogavit, aliquando repetere potest, aliquando non item.

V. Quemadmodum subjicitur: *Nec impetrare debes ea, quæ, exigente materno affectu, in filiam tuam erogatura esses, etiamsi a patre educeretur,* i. e. educaretur. v. *l.* 28. §. 1. *D. de don. int. vir. & ux.* Ter. *Eun. Act.* 1. *Sc.* 11. ŷ. 76. *Andr. Act.* v. *Sc.* IV. ŷ. 8. Cic. *de Orat. L.* 11. *c.* 38. Alimenta enim, quæ mater ex pietate subministravit, repetere non potest. *l.* 34. *D. de neg. gest.*

VI. An autem Mater ex affectu & pietate alimenta erogaverit, ex circumstantiis, cum hæc res in facto posita sit, æstimandum. Matrem enim id ex pietate fecisse perpetuo dici nequit. Quid enim, si protestata sit, i. e. testibus præsentibus declaraverit, se filium ideo alere, ut aut ipsum, aut patrem conveniret. *l.* 34. *D. de neg. gest.* Per protestationem enim jus nostrum conservamus; *l.* 14. §. 8. *D. de relig. l.* 20. §. 1. *D. de acq. her. l. ult. pr. D. naut. caup. stab. l.* 8. *C. de non num. pec.* v. Const. Rogger. *de Protest.* Rubr. 1. §. 1. M. de Ve. *de protest. n.* 31.

Carpz.

Carpz. I. *Conſt.* XVII. *Def.* 16. *n.* 16. dummodo id ſtatim fiat, non ex intervallo, Carpz. II. *Conſt.* X. *Def.* 22. *n.* 7. & *Conſt.* XXX. *Def.* II. & proteſtatio facto non ſit contraria. *l.* 21. *pr. D. de acq. her.* Gail. 2. *O.* 101. *n.* 2.

VII. Idemque dicendum, ſi ponamus patrem peregre *abiiſſe*, (ſic legendum videtur) & matrem, dum revertitur, tam filium quam familiam ejus exhibuiſſe, *d. l.* 34. *D. de neg. geſt.* ſeu aluiſſe. v. *l.* 10. §. 7. *D. de in rem verſ. l.* 5. *pr.* §. 7. junct. §. *n.* 14. *D. de agn. & al. lib. l. ult. pr. D. de dol. mal. & met. except.*

VIII. Nec non, ſi ea in ratione expenſarum, ſeu tabulas accepti & expenſi retulerit; *d. l.* 34. v. *l.* 203. *D. de V. S.* Aſcon. Ped. *in Verr. p. m.* 36. *l.* 47. §. I. *D. de pact.* vel filius propria bona habeat; *l.* 5. §. 7. *D. de agn. & al. lib.* vel factus ſit ingratus: *d. l.* 5. §. II. quibus caſibus mater alimenta filio ex pietate præſtitiſſe ſtatui nequit.

IX. Neque aliud probat *l.* II. *C. de neg. geſt.* Præſumtio enim pietatis per alias circumſtantias, quod ſcil. mater proteſtata ſit, vel impenſas in librum rationum retulerit, excluditur. Unde & in *l. h. n.* 5. §. 14. additur, Matrem *cum modo audiendam eſſe.*



DISSERTATIO TRIGESIMA SECUNDA.

Ulpianus *Libro Sexto Fideicommiſſorum.*

Si pure data ſit Fideicommiſſa libertas, & is ſervus rationes adminiſtraſſe dicatur: Divus Marcus reſcripſit, moram libertati non eſſe faciendam, ex continenti tamen arbitrum dandum eſſe, qui computationem ineat. Verba Reſcripti ita ſe habent: *Æquius videtur*, Trophimo *ex cauſa Fideicommiſſi præſtari libertatem*, *quam ſine conditione* reddendarum rationum *datam eſſe conſtat*, *neque humanum fuerit*, *ob rei pecuniariæ quæſtionem*, *libertati moram fieri. Qua tamen repræſentata*, *confeſtim arbiter a Prætore erit dandus*, *apud quem rationem*, *quam adminiſtraſſe eum apparuit*, *ex fide reddat.* Tantum igitur rationes reddere cogetur. Sed an & reliqua reſtituere debeat, nihil dicitur. Nec puto cogendum; nam de eo, quod in ſervitute geſſit, poſt libertatem conveniri non poteſt. Corpora plane rationum, & ſi quas res vel pecunias ex his detinet, cogendus eſt per Prætorem reſtituere: item de ſingulis inſtruere. *l.*37. *D. de fideic. lib.*

I. *Libertatem ſervis datam eſſe vel inter vivos*, *vel teſtamento.* II. *Et in teſtamento vel directo*, *vel per fideicommiſſum.* III. *An, ſi libertas fideicommiſſaria ſervo*, *qui rationes adminiſtravit*, *pure data ſit*, *libertati mora fieri poſſit*, *uſque dum rationes reddat?* IV. *Unde* Trophimus *dictus ſit?* V. VI. *Æquum ſeu humanum non eſſe libertati moram fieri.* VII. *Repræſentata tamen libertate confeſtim rationem eſſe reddendam.* VIII. *Quid ſit* repræſentare? IX. *Quis per* Ar-

Arbitrum *intelligendus sit?* X. *Quid sit* rationem reddere? XI. *Quid ratione* reliquorum *dicendum?* XII. XIII. *Dubia removentur.* XIV. *Quid ratione corporum rationum, aliarumque rerum, quas servus detinet, & instructionis juris sit?*

I. Libertatem servis per manumissionem inter vivos, vel in testamento datam esse, notum est. Cic. *in Top. c.* 2. Ulp. Fragm. *T.* 1. §. 6. *& seqq.* §. 2. *I. de libertin.* & ibid. Theoph.

II. Dabatur autem libertas in testamento vel *directo* seu verbis directis, cum directo servus liber esse jubetur, §. 2. *I. de sing. reb. per fideic. rel.* cum scil. dicit testator *Liber esto. Liber sit. Liberum esse jubeo.* Ulp. *T.* XI. §. 7. Qui *orcinus* dicebatur, quasi libertus patroni ad orcum demissi; *d.* §. 2. *l.* 10. *C. de testam. man.* Vel *per fideicommissum*, cum testator utitur verbis precariis, & heredem rogat, ut servum manumittat: *d* §. 2. ut puta, *rogo, fidei committo heredis mei, ut Stichum servum manumittat.*

III. De qua fideicommissaria libertate quæsitum, si pure data sit fideicommissa libertas servo, qui rationes administravit, an libertati mora fieri possit, usque dum rationes reddat, & D. Marcus per libellum aditus est; qui rescripsit, libertati moram faciendam non esse.

IV. Ait D. Marcus, *Æquius videtur,* Trophimo *ex causa fideicommissi præstari libertatem, quam sine conditione* reddendarum rationum *datam esse constat.* Scil. *Trophimo* data est libertas fideicommissaria. Quod nomen descendit a Græco τρέφω i. e. *nutrio,* unde est τροφή i. e. *alimentum,* & τρόφιμος i. e. *alumnus.* Quales multi dicti sunt apud antiquos, & in specie servi & liberti. v. Grut. *p.* XLII. *n.* 5. *p.* DXXIII. *n.* 5. *p.* DCIX. *n.* 2.

V. Erat autem libertas data *Trophimo* pure, non sub conditione *rationum reddendarum.* Ac proinde æquum videtur

D. MARCO, libertatem ipsi sine mora præstandam esse. Idque confirmat, dum pergit: *Neque humanum fuerit, ob rei pecuniariæ quæstionem, libertati moram fieri.* Per τὸ *humanum* enim sese *æquum* intelligere ipse jam præmisit. Quo sensu & sæpe occurrit alibi. v. *l.* 36. *pr. D. de jud. l.* 22. §. 7. *D. sol. matr. l.* 2. *C. de resc. vend. l.* 13. §. 1. *D. de don int. vir. & ux.* Quemadmodum & *humanitas* pro *æquitate* sæpe ponitur: v. Cic. *de Off. L.* II. *c.* 5. *in f. l.* 12. §. 5. *D. de capt. l.* 6. *D. de appell.* quam D. MARCUS semper ante oculos habebat. v. *l.* 31. *D. ad L. Corn. de Fals.* supr. Diss. N. IV. §. 3.

VI. Æquitas autem non patitur, *libertati, ob rei pecuniariæ quæstionem, moram fieri.* Favor enim libertatis jam tum maximus erat, ut ejus favore multa etiam contra communes regulas statuta sint. §. *ult. I. de don. l.* 24. §. 10. *D. de fideic. lib.* Ut & Fisco, ratione commodi pecuniarii, libertatis causam præferendam esse, idem MARCUS noster rescripserit alibi. v. §. 1. *I. de eo, cui libert. caus. bon. addic.*

VII. Ne tamen habeat heres, quod queratur, sic posse rationum redditionem, ad multum tempus, magno suo damno, protrahi, porro subjicit. *Qua tamen repræsentata, confestim arbiter a Prætore erit dandus, apud quem rationem, quam administrasse eum apparuerit, ex fide reddat.*

VIII. Quid hic sit *repræsentare libertatem*, ex prædictis non difficulter intelligitur, scil. *libertatem* statim *sine mora præstare.* add *l.* 41. §. 1. *D. de fideic. lib.* Quemadmodum eodem sensu *debitum repræsentari*, v. *l.* 8. §. 6. *D. de transact. l.* 1. *C. de cond. ex leg. legatum*, Suet. *in Aug. c. ult. fideicommissum, l.* 36. §. 1. *D. de cond. & dem.* aliaque similia *repræsentari* dicuntur, quæ statim ante diem vel tempus præstantur. v. *l.* 1. §. 2. *D. de dot. præl. l.* 3. §. 5. *D. de Carb. Ed.* Cic. *L.* V. *Ep. ad Fam.* 16. Phædr. *L.* III. *Fab.* X. ỳ. 32.

IX. Quantum vero ad *Arbitrum* attinet, qui varie accipitur, quis hic intelligendus sit, ex ipsis iterum verbis manife-

festum est, *Arbiter* scil. *a Prætore datus;* quo sensu etiam arbiter ad fidejussores probandos constitutus occurrit in *l.* 9. *D. qui satisd. cog.*

X. Quid autem sit *rationem reddere*, docet Callistratus in *l.* 82. *D. de cond. & dem.* scil. rationes legendas primum offerre, & deinde computandas, nec in folle reliqua offerre, add. *l.* 111. *D. eod.* exhibito scil. inventario. *l.* 1. §. 3. *D. de tut. & rat. distr. l.* 7. *pr. D. de adm. tut.*

XI. Sed quid ratione *reliquorum* dicendum? De qua quæstione Ulp. subjicit. *Tantum igitur rationem reddere cogetur. Sed an & reliqua restituere debeat, nihil dicitur. Nec puto cogendum; nam de eo, quod in servitute gessit, post libertatem conveniri non potest:* v. *l.* 1. *l.* 3. *l.* 4. *C. an serv. pro suo fact.* quia novus homo esse incipit. *l.* 98. §. 8. *D. de sol.*


XII. Licet enim *rationem reddere* nihil aliud sit, quam reliqua solvere, *l.* 82. *D. de C. & D.* quæ in danda pecunia consistunt; *l.* 6. §. 7. *D. de stat. lib.* id tamen non indistincte procedit. Interest enim, an servo, qui rationes domini administravit, libertas *pure*, sine conditione *rationum reddendarum*, data sit? de quo casu hic agitur; an vero sub *conditione, si rationes reddiderit*, ei libertas relicta sit? de quo casu Callistratus agit in *d. l.* 82. *D. de cond. & dem.* quæ conditio plenius accipitur, ut & reliqua reddenda sint. *d. l.* 82.

XIII. Neque aliud vult *l.* 17. *D. de neg. gest. l.* 21. *C. eod.* nam servus ibi aliena, non domini, gessit negotia, & negotium ibi connexum est cum eo, quod post libertatem gessit. Nec denique *l. ult.* §. 2. *C. de pet. her.* quia id, quod ibi constituitur, speciale est, uti in ipso §. 2. additur.

XIV. Sed quid in *corporibus rationum*, aliisque *rebus*, *quas detinet*, juris est? Ea restituenda esse docet Ulp. dum subjicit. *Corpora plane rationum, & si quas res vel pecunias ex his detinet, cogendus est per Prætorem restituere: item de singulis instruere.* Libri enim rationum ipsarum rationum pars

sunt,

ſunt; &, licet reliqua quæ non habet non præſtentur, res tamen hereditarias & pecunias, quas liber factus detinet, reſtituere tenetur. *l.* 5. *C. an ſerv. pro ſuo fact.* Ut autem de ſingulis heredes inſtruat, res ipſa exigit. Ineſt enim his verbis, *ſi rationes reddiderit.* ut heredes notitia inſtruantur rationum, ut ſciant, quid in quaque ratione ſcriptum ſit; nam, quod ipſe vivus facturus erat, ab heredibus ſuis fieri juſſiſſe intelligitur: ille autem utique non ſic ſolebat ſervo ſuo, oſtendenti reliqua, rationes ſubſcribere, ſed ita, ut legeret, examinaret, exciperet. *d. l.* 82. *D. de C. & D.*



DIS-

DISSERTATIO TRIGESIMA TERTIA.

IMP. M. ÆLIUS ANT. A. Augurino Proconsuli Africæ.

Senatusconsultum auctore Divo Hadriano *avo meo factum, quo cautum est, quid & ex quo tempore, evicta hereditate, restitui debeat, non solum ad Fisci causas, sed etiam ad privatos hereditatis petitores pertinet.* §. 1. *Usuras vero pecuniarum ante litis contestationem, ex die venditionis hereditariarum rerum ab eo factæ, qui antea possidebat, collectas, nec non etiam fructus, bonæ fidei possessores reddere cogendi non sunt, nisi ex his locupletiores extiterint. Post litem autem contestatam, tam fructus [non] venditarum rerum, non solum quos perceperunt, sed etiam quos percipere poterant, quam usuras pretii rerum ante litis contestationem venditarum, ex die contestationis computandas, omnimodo reddere compellantur. P P.* VI. *Kal. Febuar.* CLARO & CETHEGO *Conss.* 171. *l.* 1. *C. de petit. her.*

I. *Inscriptionem variare, &, pro* M. Ælius Antoninus, *legendum* M. Aurelius Antoninus. II. *Quis hujus legis casus sit?* III. *Quale SCtum, cujus* D. MARCUS *mentionem facit, intelligendum?* IV. *Quo tempore id latum?* V. VI. *An tantum ad causas Fisci pertineat? an etiam ad privatos hereditatis petitores?* VII. *Bonæ fidei possessorem usuras & fructus, ante litem contestatam perceptos, non restituere.* VIII. *Quid sit* Bona fides? *Quis* Bonæ fidei possessor? IX. *Quid bona fides operetur?* X. *Scrupulus removetur.* XI. *Exceptio subjicitur.* XII. *Secus esse, si quis mala fide possideat, & post litem contestatam.* XIII. *Quid sit* Mala fides, *& quis* Malæ fidei possessor? XIV. *An dubitans, & in jure errans, malæ fidei possessoribus annumerandi?*

di? XV. *Post litem contestatam omnes possessores malæ fidei possessoribus similes esse.* XVI. *Quod quo sensu accipiendum sit?*

I. Inscriptio variat: In Edit. B. de Tortis, A. M. D. legitur *Imperator Titius Elidius Antoninus.* Uti fere & in Inscriptione legis 1. *C. de her inst. & l. 1. C. de pæn.* in quibusdam Cod. *Titius Ælius Antoninus A A A.* Errore manifesto. Quis enim nescit, quod hisce nominibus dictus fuerit unus ac primus ex *Antoninis* Principibus, *Titus* (non *Titius*) *Ælius Antoninus.* Aut quis ferat tres Imperatores vel Augustos, cum tum nondum duo simul fuerint Imperatores, sed unus idemque *Pius.* In quibusdam MSS. legitur *Titus Ælius Antoninus.* Ut intelligatur idem *Antoninus Pius.* Sed tum Consules non conveniunt, & reponendi essent *Clarus* & *Severus*, qui Consules fuere sub *Antonino Pio*, A. U. C. 899. post N. C. 146. In plerisque Editionibus habetur *M. Ælius Antoninus.* Quod etiam defendi nequit; cum nullus inter Impp. *M. Ælius Antoninus* dictus sit. Ut haud dubie legendum sit *M. Aurelius Ant. A.* i. e. *Marcus Aurelius Antoninus Augustus.* Quod arguunt tum præpositum prænomen *M.* id est *Marcus*, tum subjecti Consules *Clarus* & *Cethegus*, qui Consulatum gesserunt A. U. C. 922. post N. C. 171. tum denique, quod Auctor Rescripti *Hadrianum Avum suum* vocet; qui nullus alius quam *Marcus Aurelius Antoninus* Imp. esse poterit, qui per adoptionem D. Pii fuit filius, & D. Hadriani nepos. v. Ræivard. Var. *L.* IV. *c.* 10. Spanh. *Orb. Rom. Diss.* II. *c.* 2. Cont. *ad. d. l.* 1.

II. Casus, de quo hic agitur, ex ipsa lege non difficulter intelligitur. Scil. *Titius* possidet hereditatem aliquam suam. Evincit illam *Mævius.* Quæritur an possessor teneatur de usuris & fructibus pecuniarum, ex venditione rerum hereditariarum redactarum? Et respondet Imp. primum in genere, SCtum, quod factum est temporibus *Hadriani* ratione Fi-

Fisci, etiam pertinere ad privatos; & deinde in specie, ratione usurarum & fructuum, distinguendo 1. inter bonæ & malæ fidei possessorem, & 2. inter tempus ante & post litem contestatam.

III. Ait Imp. *Senatusconsultum* Divo Hadriano *Avo meo factum, quo cautum est, quid & quo tempore, evicta hereditate, restitui debeat.* Quale SCtum intelligat, ex *l.* 20. §.6. *& seqq. D. de pet. her.* manifestum est, ubi ipsa SCti verba exhibentur & exponuntur.

IV. Latum autem illud est sub *Hadriano, Q. Julio Balbo & P. Juventio Celso* Consulibus Ordinariis, qui Consulatum inierant bimestrem, & *Tito Aufidio & Arrio Severiano* Consulibus suffectis, qui Calendis Martii Consulatum iniverant. v. Pr. N. *ad t. D. de pet. her.* §.33. *& seqq.* supr. Diss. 11. *c.* 11. §.8.

V. *Non solum ad Fisci causas, sed etiam ad privatos hereditatis petitores pertinet.* Scilicet evenerat, ut *Rusticus* aliquis moreretur, ejusque hereditatem tanquam sibi competentem adiret *Titius*, sed postea partes quædam tanquam *caducæ* peterentur a *Fisco*, quæ, deficientibus scriptis heredibus, aut legatariis, jure antiquo (jure novo enim per *Justinianum* Imp. id abrogatum est, *l. un. pr.* §. 1. *& seqq. C. de cad. toll.*) ex constitutione Augusti Fisco vindicabantur. *d. l.* 20. §. 7. Dio Cass. *L.* LIII. *d. l. un. pr. C. de cad. toll.* Ac proinde quæsitum, Quid, evicta a *Fisco* hereditate, ratione usurarum & fructuum juris esset? An & in quantum *Titius*, qui interim hereditatem possederat, teneatur? quod dicto SCto decisum est; ut adeo id SCtum tantum ad *Fiscum* pertinere videri possit.

VI. Unde Imp. primum in genere monet, dictum SCtum, licet in specie de *Fisco* loquatur, tamen etiam ad alios hereditatis petitores pertinere. Quo haud dubie pertinet, quod Ulp. *d. l.* 20. §. 9. docet in privatorum quoque petitionibus SCtum locum habere, neminem esse, qui ambigat, licet in publica causa factum sit. Quemadmodum in *l.* 9. §. *ult.*

ult. D. de jur. & fact. ign. id quod municipibus conceditur, etiam ad alios extenditur, & idem juris esse dicitur non solum in privatis, sed & in causa Fisci, *l.* 12. *D. de compens.* qui ordinario utitur Jure communi. *d. l.* 12. *l.* 5. *C. de Fisc. usur. l.* 3. *C. de resc. vend.*

VII. Quantum vero ad usuras & fructus in specie attinet, distinguit inter *bonæ* & *malæ fidei possessorem*, & *tempus ante litem contestatam* & *post eam*, dum pergit §. 1. *Usuras vero pecuniarum ante litis contestationem, ex die venditionis hereditariarum rerum ab eo factæ, qui antea possidebat, collectas, nec non etiam fructus, bonæ fidei possessores reddere cogendi non sunt.* Quemadmodum & in ipso SCto expressum est. *l.* 20. § 6. *D. de pet. her.*.

VIII. *Bonam fidem* illæsam conscientiam esse rei alienæ, putantis rem suam esse, *l.* 109. *D. de V. S. l. ult. D. pro emt. l.* 13. §. 1. *D. de Publ. in rem act. l.* 27. *D. de contr. emt.* & proinde *Bonæ fidei possessorem* esse, qui existimat rem, quam possidet, suam esse, notum est. *d. l.* 20. §. 6. 12. *l.* 25. §. 6. *D. de pet. her.*

IX. Bona fides autem tantundem præstat, quantum veritas, *l.* 136. *D. de R. J.* id est, Bonæ fidei possessor, quamdiu de vero domino non constat, habetur pro vero domino. *l.* 48. *pr. D. de A. R. D. l.* 25. §. 1. *D. de usur.* Unde Bonæ fidei possessor fructus perceptos pleno jure suos facit, *d. l.* 48. *pr.* §. 35. *I. de R. D.* Et proinde, quemadmodum dominus de usuris & fructibus perceptis non tenetur, sic nec Bonæ fidei possessor. *d. l.* 20. §. 6. *d.* §. 35.

X. Etsi enim pretium & pecunia merito petitur veluti res hereditaria, quippe quæ ex hereditate redacta est, *l.* 20. §. 15. *& seqq. D. de pet. her.* in qua utpote Judicio Universali pretium succedit loco rei, *l.* 22. *D. de pet. her. l.* 2. §. 1. *D. de hered. vel act. vend.* usuras tamen in hoc bonæ fidei judicio ab eo exigi, qui neque in mala fide esset, neque ullam moram in

in restituenda re fecisset, periniquum esset. arg. *l.* 32. §. 2. *pen. D. de usur.*

XI. *Nisi ex his locupletiores extiterint.* Jure Naturæ enim æquum, neminem cum alterius detrimento & injuria fieri locupletiorem: *l.* 206. *D. de R. J. l.* 14. *D. de cond. indeb. l.* 38. *D. de pet. her.* in quo tempus rei judicatæ spectandum est. *l.* 36. §. 4. *D. de pet. her.*

XII. Sed si malæ fidei possessor sit, & fructus post litem contestatam percepti sint, secus est. Malæ fidei enim possessor omnes omnino fructus, non tantum perceptos, sed & quos honeste percipere potuisset, restituere debet. *l.* 20. §. 6. *l.* 25. §. 2. 3. 4. *D. de pet. hered.*

XIII. Est autem hic *Mala fides* (quæ aliquando pro dolo ponitur, *l.* 9. *C. de pact.*) læsa conscientia rei alienæ, *c. ult. x. de præsc.* & proinde *Malæ fidei possessor*, qui novit rem, hic hereditatem ad se non pertinere. *l.* 25. §. 3. *D. de her. pet.* Qui habet quod sibi imputet, quare rem alienam temere possideat, §. 30. *in f. I. de R. D.* neque ullo favore dignus est. §. 35. *I. eod. l.* 22. *C. de R. V.*

XIV. Sed quid de dubitante, & errante in jure dicendum, An bonæ, an malæ fidei possessoribus annumerandis? Et quidem *dubitantem* non semper & indistincte malæ fidei possessoribus annumerari, docet *l. ult. C. de cond. indeb.* ut distinguendum videatur, An justa causa intercedat existimandi fundum alienum esse, eoque casu malæ fidei possessoribus accensendus sit: an non intercedat, eoque casu aliud statuendum sit. v. *l.* 109. *D. de V. S. l.* 17. *C. de R. V. In jure vero errantem* non esse malæ fidei possessorem, quia in dolo non est, aperte respondit Ulp. in *l.* 25. §. 6. *D. de pet. her.* Cui non adversatur Paulus in *l.* 31. *pr. D. de usurp. & usuc.* dum juris errorem nunquam prodesse ait. Non enim simpliciter id dicit, sed sic loquitur de *usucapionibus*, in quibus juris error possessori nunquam prodest; quia error juris in iis per inter-

pretationem JCtorum malæ fidei effectum habet. Neque aliud vult Papinianus, dum in *l. 17. D. de his quæ ut indign.* docet, heredem, qui ignorantia juris lapsus testamenti tabulas aperuit, priusquam necem defuncti ultus esset, omnes fructus restituere cogendum. Id enim ad *SCtum Silanianum* pertinet. Ubi error *Facti* tantum bonæ fidei defensionem habet, & a fructuum reddendorum necessitate excusat. *d. l. 17.*

XV. Similes autem *malæ fidei* possessoribus sunt omnes possessores post litem contestatam, de quibus subjicit Imp. *Post litem autem contestatam, tam fructus [non] venditarum rerum, non solum quos perceperunt, sed etiam quos percipere poterant, quam usuras pretii rerum ante litis contestationem venditarum, ex die contestationis computandas, omnimodo reddere compellantur.* Post litem enim contestatam, seu in rem judicium deductam, v. *l. un. C. de lit. cont. l. 14. §. 1. C. de jud.* omnes pro malæ fidei possessoribus habentur, *l. 25. §. 7. D. de pet. her.* omnesque fructus restituere debent; *l. 22. C. de R. V.* postquam enim ipsis lis mota est, ob incertum litis eventum, a fructuum consumtione merito abstinere debent, vel, si consumere velint, suo eos periculo id facere oportet.

XVI. Plane quod dicitur, omnes post litem contestatam malæ fidei possessores fieri, *d. l. 25. §. 7. D. de pet. hered.* sano sensu, & ratione restitutionis fructuum, accipiendum. Non enim possessor, simul atque ei lis mota est, statim in mala fide proprie dicta constituitur. Non enim cogitur bonæ fidei possessor temere indefensum jus suum relinquere: *l. 40. pr. D. de pet. her.* nisi aliquid accedat, quod possit malam fidem inducere. Licet vi litis contestatæ, si succubuerit, omnes fructus restituendi veniant. *l. 22. C. de R. V.* Brunn. ad *h. n. l. 1. n. 2. 3.*

DIS-

DISSERTATIO TRIGESIMA QUARTA.

IMP. ANTONINUS Aufidio Victorino & aliis.

Cum servi constituti sub appellatione libertorum *heredes scripti essetis, ea scriptura benigna interpretatione perinde habenda est, ac si liberi & heredes instituti fuissetis; quod in legato locum non habet. Accepta* VII. *Kal. Mart.* PRISCO *&* APOLLINARI *Conss.* 170. *l.* 1. *C. de necess. serv. her. inst.*

I. *Legem hanc* 1. *(quæ in quibusdam Editionibus secundo loco posita est) Imp.* MARCI *esse.* II. *Quis ejus casus sit?* III. *Benigna interpretatione libertatem & institutionem sustineri.* IV. *An idem juris sit in* Legato? V. *Qua ratione constitutio* Accepta *dicatur?*

I. Legem hanc nostram 1. (quæ in aliis Editionibus secundo loco posita est) Imp. nostri MARCI esse, non alterius *Antonini*, ex subjectis Consulibus *Prisco* & *Apollinari* manifestum est. Q. enim *Sosius Priscus* & *P. Cœlius Apollinaris*, uti plene dicti sunt, v. Grut. *Inscr. p.* CCC. *n.* 1. Consules fuere sub Imp. MARCO ANTONINO, testibus Fastis A. U. C. 922. post N. C. 169. Licet enim solius *Antonini* fiat mentio, id tamen non impedit, quo minus MARCUS ANTONINUS intelligendus sit. Quandoquidem MARCUS noster & alibi simpliciter ANTONINUS dicitur. v. *l.* 60. *D. de pact. l.* 3. *in f. D. de conj. cum em. lib. l.* 3. *D. de his quæ in test. del.* supr. Diss. 1. §. 18.

II. Casus, de quo Imp. aditus est, talis est. Testator servos, sine libertatis datione, sub appellatione *libertorum* heredes instituit. Quæritur, an institutio subsistat, & perinde habenda sit, ac si liberi & heredes instituti fuissent. Rescri-

bit

bit Imp. Eam ſcripturam teſtatoris benigna interpretatione perinde habendam eſſe, ac ſi liberi & heredes inſtituti fuiſſent.

III. Ait Imp. *Benigna interpretatione.* Stricta juris ratione ſervus proprius, ſine libertatis datione, heres inſtitui non poterat, &, ſi ſine libertatis datione eſſet inſtitutus, omnino non conſtabat inſtitutio. Ulp. *Fragm. T* XXII. §. 7. 12. Nondum enim recepta erat ſententia, ſervos proprios etiam ſine libertate heredes inſtitui poſſe, quam poſtea demum probavit Imp. Juſtinianus poſſe. v. *l. pen.* §. 2. *C. de neceſſ. ſerv. her. inſt.* Cum vero teſtator *libertorum* appellatione uſus fuerit, Imp. MARCUS, qui libertatis favore multa ſingularia introduxit, v. ſupr. Diſſ. XXXII. §. 6. benigna interpretatione Aufidio Victorino, aliiſque, hic ſubveniendum cenſuit.

IV. Sed an idem, ſi *legatum* relictum ſit, dicendum eſt? Reſpondet Imp. *Id in legato locum non habere.* Qua vero diverſitatis ratione, non addit. Probabile videtur, diverſitatis rationem in eo ſitam eſſe, quod libertates pleniore honore tribuuntur. *l.* 5. §. 6. *D. de leg. præſt.* Ut, ſi benigna interpretatio in hereditate admittatur, non idem ſtatim locum habeat in legato. Nam & ita, licet ex ſola inſtitutionis & ſubſtitutionis ſervi proprii, ex nova conſtitutione Juſtiniani, ſervo competat libertas, non tamen competit ex legato ei ſine libertate relicto. *l. pen.* §. 2. *C. de neceſſ. ſerv. hered. inſt.*

V. Qua ratione autem Conſtitutio hæc dicatur *Accepta*, monitum ſupr. Diſſ. XXVI. §. 7.

DIS-

DISSERTATIO TRIGESIMA QUINTA.

D. MARCUS Stratonicæ.

Ipsis rerum experimentis cognovimus, ad publicam utilitatem pertinere, ut satisdationes, quæ, voluntatis defunctorum tuendæ gratia, in legatis & fideicommissis introductæ sunt, eorundem voluntate remitti possint. Quocunque enim judicio voluntatis, cautio legati & fideicommissi relinqui potest. sine Die & Consule. l. 2. C. ut in poss. leg. vel fideic. serv. caus. mitt. & quand. satisd. deb.

I. *Hoc Rescriptum* D. MARCI *esse*. II. *Si legata & fideicommissa, in diem, vel sub conditione, relinquantur, ab herede cavendum esse.* III. IV. V. *An* cautio *illa heredi a testatore remitti possit?* VI. VII. VIII. IX. *An etiam Fructuario a testatore remitti possit* Cautio fructuaria? X. *An pars Cautionis fructuariæ posterior remitti possit?*

I. Rescriptum hoc DIVI MARCI esse, ex ipsa inscriptione manifestum est; eamque DIVI MARCI constitutionem in *Semestribus* relatam esse tradit Tryphoninus in *l.* 46. *D. de pact.* ut Charondæ suspecta videantur verba *l.* 7. *C. ejusdem t. ut in poss. leg.* & *Divum Commodum*, quæ in nonnullis & melioribus exemplaribus non habentur. Sed si vel maxime retineatur, quæ in plerisque codicibus invenitur, lectio, *Divum Marcum & Divum Commodum constituisse*, non tamen ob id in *d. l.* 2. constitutio hæc male tribueretur soli MARCO. Solus enim MARCUS, licet, circa finem vitæ, sibi tanquam imperii consortem adjunxerit *Commodum filium*, revera leges condidit; uti monitum supr. Diss. 1. §. 34. ubi & aliud simile exemplum exhibitum.

II. Legata & fideicommiſſa non tantum pure, ſed & in diem & ſub conditione relinqui poſſe notum eſt. *l.* 1. *pr.* §. 1. *& ſeqq. D. de cond. & dem.* Quod ſi vero in diem vel ſub conditione relinquantur, & ſic mora injiciatur, quo minus ſtatim ſolvi poſſint, Prætor, ut legatarii & fideicommiſſarii ſecuri ſint de legatis & fideicommiſſis, ſuo tempore ſolvendis, heredem legatariis & fideicommiſſariis cavere voluit. *l.* 1. *pr.* §. 1 *& ſeqq. D. ut leg. & fideic. ſerv. cauſ. cav.*

III. Unde quæſitum eſt, an cautio illa, legatorum & fideicommiſſorum nomine præſtanda, a teſtatore, in teſtamento remitti poſſit? De eoque conſultus eſt Imp. MARCUS a *Stratonico* ſeu *Stratonica*, uti alii exhibent; qui eidem reſcripſit affirmando, ſimulque rationem addidit, ab utilitate publica petitam. *Ipſis rerum experimentis*, ait, *cognovimus, ad publicam utilitatem pertinere, ut ſatisdationes, quæ, voluntatis defunctorum tuendæ gratia, in legatis & fideicommiſſis introductæ ſunt, eorundem voluntate remitti poſſint. d. l.* 2. add. *l.* 46. *D. de pact. l. pen. C. ut in poſſ. leg.*

IV. *Ut quocunque judicio voluntatis* (uti ſubjicit Imp.) *cautio legati vel fideicommiſſi relinqui poſſit.* Ubi tamen pro *judicio* in aliis codicibus legitur *indicio*, & rectius; uti apparet ex *l.* 77. §. *ult. D. de cond. & dem.* ubi Papinianus ex hac *n. l.* 2. ait: *Quocunque* indicio *voluntatis cautio legatorum & fideicommiſſorum remitti poteſt.* Qui error & alibi irrepſit; v. *l.* 21. junct. *l. ult. C. fam. erciſc.* Cujac. *Expoſ. N.* 22. ut &, ſi cautio iſta ſit præſtita, condici poſſit, licet heres, qui cavit, jus ignoraverit. Quod favore ultimarum voluntatum ſpeciali jure benigne receptum eſt. *l.* 1. *pr. D. ut in poſſ. leg.* Brunnem. *ad d. l. n.* 2.

V. Licet enim nemo facere poſſit, quo minus leges in ſuo valeant teſtamento, *l.* 55. *D. de leg.* 1. Prætor autem hanc cautionem præſtari jubeat; *l.* 1. *D. ut leg. & fideic. nom. cav.* non minus tamen notum eſt, Regulam generalem cedere conſti-

tu-

tutioni ſpeciali, & per exceptionem vitiari. *l.* 1. *l.* 80. *D. de R. J. l.* 41. *D. de pœn.* Ut illa cautio poſt Reſcriptum hoc D. MARCI remitti poſſit.

VI. Qua occaſione celebris movetur controverſia, an Reſcriptum hoc etiam pertineat ad *cautionem fructuariam?* ut & illa a teſtatore in teſtamento fructuario remitti poſſit? Quod negandum, ſive uſusfructus verus ſit, *l. pen. C. ut in poſſ. leg. l.* 1. *C. de uſufr. l.* 6. *pr. D. ut in poſſ. leg.* ſive quaſi talis. *dd. ll.*

VII. Neque aliud inferri poteſt ex *l. h. n.* 2. qua D. MARCUS *ſatisdationes* tantum remitti permittit, *quæ voluntatis defunctorum tuendæ gratia in legatis & fideicommiſſis introductæ ſunt*, non vero *fructuariam*, inter quas etiam hac in parte multum intereſſe docet Alexander. in *l.* 7. *C. ut in poſſ. leg.* Non tantum enim in vero uſufructu remiſſio cautionis bonis moribus eſſet contraria, & fructuarium invitaret ad delinquendum; arg. *l.* 27. §. 3. *D. de pact.* ſed & in omni uſufructu tenderet in præjudicium heredis, & fraudem legis. Ut extenſio remiſſionis cautionis legatorum & fideicommiſſorum ſine ſpeciali conſtitutione non procedat.

VIII. Non etiam obſtat *l.* 9. §. 2. *D. uſufr. quemadmod. cav.* caſus enim ibi ſpecialis eſt, cum ſcil. proprietas ex die, uſusfructus pure legatus eſt: quo caſu, non a teſtatore, ſed jure cautio fructuario remittitur; *quia*, uti ibi additur, *certum ſit, ad eum proprietatem vel ad heredem ejus perventuram.*

IX. Nec denique adverſantur generalia illa: factum ejus præſtandum, ex cujus perſona quis lucrum ſentit; *l.* 14. *C. de R. V. l.* 149. *D. de R. J.* voluntatem teſtatoris pro lege ſervandam; *l.* 120. *D. de V. S. N.* 22. *c.* 2. *pr.* &, cui plus licet, etiam licere, quod minus eſt; *l.* 21. *D. de R. J.* teſtatorem autem fructuario plenam rei proprietatem legare poſſe, *l.* 21. *C. mand.* & multo magis ergo cautionem fructuariam remittere.

Qq 2 Hæc

Hæc enim limitationem patiuntur, ut tum demum procedant, si lex factum defuncti non infirmet; voluntas defuncti sit legitima, neque legibus & bonis moribus sit contraria; vel obstet legis dispositio. v. *d. N.* 22. *c.* 2.

X. Idemque statuendum non tantum ratione partis cautionis fructuariæ prioris, qua cavet, *se usurum frutturum boni viri arbitratu*, *l.* 1. *pr.* §. 3. *D. usufruct. quemadm. cav.* sed & posterioris, qua cavet, *se restituturum, quod inde extabit. d. l.* 1. *pr.* §. 7. Licet enim Alexander in *l.* 7. *C. ut in poss. leg.* dicat, satisdationem, ut boni viri arbitratu is, cui ususfructus relictus est, utatur fruatur, testamento minime remitti posse; non tamen ex eo sequitur, partem cautionis fructuariæ posteriorem remitti posse. Tum, quia argumenta a contrario sensu in legibus Codicis, quæ Rescripta sunt ad casus incidentes, vix locum habent; tum quia, cum dicitur, cautionem fructuariam, *ut fructuarius utatur fruatur boni viri arbitratu*, remitti non posse, sub illis verbis prioribus cautionis tota cautio fructuaria subintelligitur. *l. ult. D. usufr. quemadm. cav. l.* 13. *pr. D. de usufr.* Cl. Noodt *de usufr. L.* 1. *c.* 19.



DIS-

DISSERTATIO TRIGESIMA SEXTA.

Imp. M. Ælius Antoninus A. Publicio.

Non semper compelleris, ut adversus absentem pronuncies, propter subscriptionem Patris mei, qua significavit, etiam contra absentes sententiam dari solere. *Id enim eo pertinet, ut etiam absentem damnare possis; non ut omnimodo necesse habeas. l. 1. C. quom. & quand. jud. sent. prof. deb. præs. part. vel una part. absent.*

I. *Hanc* l. 1. *etiam* Imp. Marco *adjudicandam videri.* II. *Ut sententia pronunciata effectum habeat, servandum ordinem judiciorum.* III. *An contra absentes judicari possit?* IV. *Quis sit* contumax? V. VI. *An contra contumacem judicari debeat?* VII. *Exceptio.*

I. Cui hoc Rescriptum tribuendum sit, inter doctos non convenit. In quibusdam codicibus pro *M.* habetur *Titius* vel *Ticius*, mendo aperto. Nam nullus inter Imperatores Romanos occurrit, qui dictus est *Titius*. In aliis legitur *Titus*, secundum quos intelligendus esset Imp. *Titus Ælius Antoninus Pius.* Sed in plerisque *M. Ælius Antoninus*, ut probabile sit, scriptum & legendum esse, *Imp. M. Aurelius Antoninus*, i. e. *Marcus Aurelius Antoninus.* Nullus enim etiam est inter Impp. Romanos, qui dictus sit *Marcus Ælius Antoninus.* v. Ill. Ezech. Spanhem. *Orb. Rom. Diss.* 11. *c.* 2. supr. Differt. XXXIII. §. 1.

II. Pertinet autem hæc *l. n.* 1. ad intellectum Quæstionis, an absens condemnari possit? Quod in genere negandum. Ut enim sententia effectum habeat, pronuncianda servato ordine judiciorum, *l.* 4. *C. de re jud.* qui inter alia requi-

 rit,

rit, ut præcedat causæ cognitio, *l. 7. C. de sent. & interl.* & partium citatio; *l. 47. pr. D. de re jud.* judicatum enim non nisi inter præsentes tenet: *d. l. 47. pr. l. 14. §. 1. D. de appell.* nisi absentes sint per contumaciam, quo casu etiam contra absentes pronunciari potest. *l. 73. §. 3. D. de jud. l. 53. D. de re jud. d. l. 14. §. 1. D. de appell. l. 7. l. 8. C. quom. & quand.*

III. Ut autem *contumax* quis dicatur, requiritur, ut quis, post litem contestatam, tribus Edictis propositis, vel uno pro tribus, quod vulgo *peremtorium* appellatur, vel literis (v. Cuj. *Obs. L.* XVIII. *c.* 30. & *ad t. C. quomod. & quand.*) evocatus, præsentiam sui sine causa facere contemnat. *l. 53. §. 1. 3. D. de re jud. l. 68. & seqq. l. 73. pr. D. de jud. d. l. 8. C. quom. & quand.* Si enim justa causa absentiæ intercedat, pro contumace nonhabetur, neque pœnam absentiæ patitur. *d. l. 53. §. 2. 3. l. 54. pr. §. 1. l. 60. D. de re jud.*

IV. Sed illud quæsitum est, an Prætor seu Magistratus semper compellatur, ut adversus absentem pronunciet. Ad quod Imp. rescribit, eum ad hoc semper compelli non posse, propter subscriptionem seu Rescriptum *l. 1. §. 1. D. de const. Pr. pr. I. quib. non est permiss. fac. test.* patris sui, qua significavit, *etiam contra absentes sententiam dari solere;* id enim eo pertinere, *ut etiam absentem damnare possit, non* vero *ut omnimodo necesse habeat.*

V. Neque sine ratione. Non enim semper secundum præsentem contra absentem judicatur, sed interdum & absens, si bonam causam habeat, vincit, *l. 73. pr. D. de jud. l. 13. §. 2. C. eod.* cum non aliud, quam juris ratio exigit, judicandum sit, *d. l. 8. in f. C. quom. & quand.* nec, quicquid judicis potestati permittitur, id simul subjicitur juris necessitati. *l. 40. pr. D. de jud.*

VI. Quibus non contrariatur Hermogenianus in *l. 53. D. de re jud.* dum ait: *Contumacia eorum, qui jus dicenti non obtemperant, litis damno coërcetur.* Quod vel ita accipiendum, ut

ut contumax ſine ulteriore defenſione, ſi injuſtam cauſam habere videatur, condemnari poſſit; *l. h. n.* 1. vel etiam ita, ut condemnatus ſubjiciatur rei judicatæ, *l.* 47. §. 1. *D. de re jud.* eique ſine alio remedio parere cogatur, ut ne quidem appellare poſſit, *l.* 73. §. *ult. D. de jud.* & ſemper in expenſas condemnetur, *l.* 13. § 2. 6. *C. de jud.* uti jam monitum ſupra Differt. xx. §. 8. *& ſeqq.*

VII. Plane datur caſus exceptus, quo contra abſentem ſemper ferenda eſt ſententia, puta, ſi qui, pro libertate periclitantur, ſive ſervientes liberos ſe dixerint, ſive in libertate commorantes ad ſervitutem vocati fuerint, cum fidejuſſores dare non poſſunt, cautionem præſtiterint juratoriam, poſt eam Edictis citati in abſentia nihilominus per annum duraverunt, adeoque cum abſentia concurrat perjurium. *l.* 1. §. 2. *C. de adſert. toll.* Wiſſ. *ad d. l.* 1.



DIS-

DISSERTATIO TRIGESIMA SEPTIMA.

Imp. M. Antoninus A. Octavio.

Fœnoris Reip. quod non tua culpa perditum esse apparuerit, sufficit sortis damnum, non etiam usurarum ejus sustinere. l. un. C. de his qui ex off. quod. admin. conven.

I. *Res Reip. fideliter administrari publice interest.* II. *Administrationem illam factam per Curatores Reip.* III. *Quodnam eorum fuerit officium?* IV. *Quid hic veniat nomine* fœnoris? V. *Quid juris, si fœnus Reip. perditum sit, & in quantum teneatur Curator Reip.*

I. Res Reip. per Curatores Reip. fideliter administrari publice interesse, res ipsa loquitur, & monitum supra Diff. XXII. §. 1. sive Remp. proprie accipiamus, sive singulas civitates & municipia in specie, quæ & ipsæ latiori sensu quandoque *Respublicæ* vocantur. v. *l.* 13. §. 1. *D. de publican. l.* 3. *l.* 4. *C. de jur. Reip.* Cuj. *ad d. l.* 3.

II. Quæ administratio fiebat per Curatores Reip. tum Generales, tum Speciales, nominatim per Curatores Calendarii seu Quæstores Civitatis. *l. ult.* §. 7. *D. de admin. rer. ad civ. pert. l. ult.* §. 2. *D. de mun. & hon.* Ad quorum munus pertinebat res Reip. fideliter administrare, reditus publicos colligere, *l. ult.* §. 9. *D. de mun. & hon.* pecuniam in usus publicos erogare, & rationes administrationis secundum fidem acceptorum & datorum reddere. *l.* 2. §. 2. *D. de adm. rer. ad civ. pert.*

III. Unde quæsitum est, an, si fœnus Reip. quod Administrator alicui credidit, perditum sit, & in quantum, Administrator de damno teneatur? Ad quod Imp. Marcus (uti

(uti in plerisque habetur codicibus) *Octavio* rescribit, *eum si non culpa ipsius intercesserit, damnum sortis tantum, non etiam usurarum, sustinere.*

IV. *Fœnus* non semper eodem sensu accipitur. Sæpe ita ponitur, ut idem significet quod usura. *l. 4. pr.* §. 1. *D. de naut. fœn. l.* 58. §. 2. *D. ad SCt. Trebell. l.* 11. §. 15. *D. de leg.* 3. Non raro etiam ita, ut significet accessionem sortis in mutuo creditæ, arg. *l.* 3. *C. de usur.* §. 5. *I. quod cum eo, qui in al. pot.* sed nonnunquam ita, ut significet ipsam sortem, seu pecuniam fœnebrem principaliter debitam, cui usuræ accedunt. *l.* 12. §. 9. *D. mand. l.* 13. *C. ad SCt. Vellej.* Quæ significatio hujus loci est, uti tum apparet ex *l. ult.* §. 9. *D. de adm. rer. ad civ. pert.* ubi Papyrius Justus refert, idem Divos Fratres rescripsisse de damno *nominum;* tum ex ipsa *l. n. un.* ubi *fœnus perditum* ad damnum *sortis,* i. e. summæ, cui extrinsecus acquiritur fœnus, uti ait Don. in Terent. *Adelph. Act.* II. *Sc.* II. *ỷ.* 35. refertur, & usuris opponitur.

V. Sed hoc Rescriptum ita demum procedit, si Administrator Reip. ipse pecuniam fœnebrem Reip. alicui crediderit, & culpa ipsius non intercesserit; si enim, antequam Curator fieret vel administraret, nomina idonea non erant, eorum periculum ad curatorem non pertinet: *l. ult.* §. 9. *D. de admin. rer. ad civ. pertin.* si vero culpa lata, quæ dolo proxima est, intercessit, damnum non tantum sortis, sed & usurarum sustinebit. *l.* 17. §. 7. *D. de usur.* Ut adeo, cum ait Imp. *si non culpa ipsius intercesserit,* per *culpam* hic intelligenda videatur culpa lata. Culpa levis Administratoris debet intercedere, veluti, si in dominos prædiorum non diligenter inquisivit, cæteroquin enim, si & illa abesset, ne quidem de sorte teneretur, & ejus dispendium ad ipsam Remp. pertineret. *l.* 2. *in f. C. de debit. civ.*

VI. Quemadmodum & in simili casu jam rescripserunt Divi Fratres, & secundum ea respondit Paulus JC. eos scil.

qui pro aliis non ex contractu, sed ex officio, quod administraverint, conveniuntur, in damnum fortis substitui solere, non etiam in usuras. *l.* 21. §. 1. *D. ad municip.* Quia scil. in sorte damnum, in usuris vero lucrum consideratur, & proinde Reip. magis subvenire oportet circa damnum, quam circa lucrum. arg. *l un. C. de pœn. fisc.* v. supr. Diss. XXII. §. 10.

VII. Neque aliud dictisque contrarium idem docet Paulus in *l.* 17. §. 7. *D. de usur.* non enim hoc Rescriptum sic accipiendum, quasi Administratores nunquam teneantur de usuris, sed ad casum subjectum maxime referendum: cæteroquin enim casus non deesse, quibus tales Administratores non tantum ad damnum sortis, sed & usurarum resarciendum, obstricti sunt, jam §. 5. monitum, & plenius ostensum *d.* Diss. XXII. §. 11.



DIS-

DISSERTATIO TRIGESIMA OCTAVA.

IMP. JUSTINIANUS Inſt. L. III. T. XII. §. I.

Et ita Divi MARCI Reſcripto ad Pompilium Rufum continetur. Verba Reſcripti ita ſe habent: *Si Verginio Valenti, qui teſtamento ſuo libertatem quibusdam adſcripſit, nemine ſucceſſore ab inteſtato exiſtente, in ea cauſa bona ejus eſſe cœperunt, ut venire debeant: is, cujus de ea re notio eſt, aditus rationem deſiderii tui habebit, ut libertatum, tam earum, quæ directo, quam earum, quæ per ſpeciem fideicommiſſi, relictæ ſunt, tuendarum gratia addicantur tibi: ſi idonee creditoribus caveris de ſolido, quod cuique debetur, ſolvendo. Et ii quidem, quibus directa libertas data eſt, perinde liberi erunt, ac ſi hereditas adita eſſet. Ii autem, quos heres manumittere rogatus eſt, a te libertatem conſequentur: ita ut ſi non alia conditione velis tibi bona addici, quam ut ii etiam, qui directo libertatem acceperunt, tui liberti fiant. Nam huic etiam voluntati tuæ, ſi ii, quorum de ſtatu agitur, conſentiant, auctoritatem noſtram accommodamus. Et ne hujus Reſcriptionis noſtræ emolumentum alia ratione irritum fiat: ſi Fiſcus bona agnoſcere voluerit, & ii, qui rebus noſtris attendunt, ſciant, commodo pecuniario præferendam eſſe libertatis cauſam: & ita bona cogenda, ut libertas iis ſalva ſit, qui eam adipiſci potuerunt, ac ſi hereditas ex teſtamento adita eſſet.*

I. *Libertatem omnibus fere rebus favorabiliorem eſſe, & proinde antiquos Legumlatores libertatis favore multa ſingularia ſtatuiſſe.* II. *In primis* Divos Fratres, & MARCUM *ſolum.* III. *De nomine* Pompilii Rufi, & *qualis fuerit?* IV. *An ſervi fuerint binomines?* V. *Quis caſus ſit, de quo Imp. conſultus eſt, & quid reſcriptum?* VI. VII. VIII. *Reſcripti par-*

partes exponuntur. IX. *Ejusdem ratio & utilitas.* X. *An ei locus sit, si quis intestatus decedens codicillis libertates dederit?* XI. *An repudiata hereditate & impetrata restitutione revocetur libertas?* XII. *An, si quis vivus dederit libertates, vel mortis causa, & ne quæratur, an hoc in fraudem creditoris factum sit, servus petat sibi addici bona, audiendus sit?* XIII. *Quænam species additæ sint a Justiniano in* l. ult. C. de test. man. XIV. *Jure novissimo d. Rescriptum ab usu recessisse videri.*

I. Libertatem omnibus fere rebus favarabiliorem esse, docet Gajus in *l.* 122. *D. de R. J.* & proinde antiquos Legumlatores multa libertatis favore, etiam contra communes regulas, statuisse, monet Imp. Justinianus §. *ult. I. de donat.*

II. Inter quos excelluere Divi Fratres, *l.* 26. *D. de man. test. l.* 30. §. 3. *D. de fideic. lib. l.* 3. §. 2. *D. de legit. tut. l.* 84. §. 1. *D. de her. inst.* & postea MARCUS noster, cum solus imperio præesset, uti tum ex *l.* 37. *D. de fideic. lib.* v. supr. Diss. XXXII. §. 4. tum ex *l.* 3. *in f. D. de his, quæ in test. del. l.* 2. *l.* 3. *C. si mancip. ita fuer. alien.* tum maxime ex hoc nostro *Rescripto* manifestum est.

III. Datum est hoc Rescriptum ad *Pompilium Rufum.* Sic sane in plerisque habetur codicibus. Sed Theophilus non *Pompilium* vocat, sed *Popilium*, eumque unum ex servis, quibus a *Verginio Valente* testamento libertates datæ erant, fuisse tradit. Quem sequitur Cuj. ad *d.* §. 1. aliique. Verum, si servus fuit, qua ratione potuit vocari *Pompilius* vel *Popilius Rufus*, cum homines liberi duntaxat cognomine utantur, uti docet Rescriptum Diocletiani & Maximiani. in *l.* 9. *C. de liberal. caus.* servi autem uno nomine tantum vocati sint. Ut *Pompilium Rufum* liberum hominem fuisse visum sit Alciat. *L.* v. *c.* 5. A. Augustin. *L.* III. *Emend. c.* 8. & unum ex creditoribus vel extraneum; v. A. Aug. *d. l.* quia addictionem illam bonorum non tantum servi, vel unus ex servis,

vis, quibus libertas data est, impetrare potuit, sed etiam extraneus. *l.* 50. §. 1. *D de manum. test. l. ult. pr. C. de testam. man.* Quam sententiam magis probat idem Cuj. ad *d. l.* 50. nec non J. a Costa *ad. d.* §. 1. *I. de eo, cui lib. caus.*

IV. Licet enim servi occurrant etiam binomines; uti in *l.* 23. *D. de manumiss.* & *l.* 3. *D. de off. Præt.* id tamen extraordinarium est, & fere factum, cum testator duplex nomen in testamento imposuit, *l.* 32. §. 2. *D. de testam. tut.* vel servus se pro libero gessit, uti in casu *d. l.* 3. *D. de offic. Præt.* Quantum vero ad inscriptionem a Cuj. ad *d.* §. 1. *I. de eo, cui lib. caus.* exhibitam attinet, eam corruptam, & integram a Smetio datam esse in vol. inscript. monet J. a Costa *d. l.*

V. Casus autem, de quo Imp consultus est, talis est. Verginius *quidam* Valens, *testamento condito, &* Titio *herede instituto, servis suis libertatem reliquit, cum & creditores haberet. Is, qui heres scriptus erat, hereditatem adire noluit. Futurum erat, ut creditores in bona mitterentur, & de iis sicuti vellent disponerent.* Pompilius Rufus *petit, ut bona testatoris sibi addicantur, ut libertates conserventur, & creditores damno non adficiantur.* Aditus est Imp. MARCUS, qui Rescripto hoc singulari, quod alibi non occurrit, constituit, bona *Pompilio Rufo* libertatum tuendarum causa addicenda esse.

VI. Ait Imp. *Si* Verginio Valenti, *qui testamento suo libertatem quibusdam adscripsit, nemine successore ab intestato existente, in ea causa bona ejus esse cœperunt, ut venire debeant: is, cujus de ea re notio est, aditus rationem desiderii tui habebit, ut libertatum, tam earum, quæ directo, quam earum, quæ per speciem fideicommissi, relicta sunt, tuendarum gratia, addicantur tibi, si idonee creditoribus caveris de solido, quod cuique debetur, solvendo.* Quibus D. MARCUS jubet libertatem competere servo, & bona per eum, *cujus de ea re notio est*, ei addici, i. e. per Prætorem seu Magistratum, cujus erat bona addicere. Ulp. *Fragm. T.* XIX. §. 10. *Notionis* enim ver-

bum non tantum *cognitionem* significat, sed & *Jurisdictionem*, *l.* 99. *pr. D. de V. S. l.* 5. *pr. D. de re jud.* eoque sensu accipitur, cum dicitur *Notio Prætoris*, *l.* 8. §. 1. *D. de transact. l.* 3. §. 3. *D. de lib. exh.* & *Præsidis. l.* 1. §. 12. *D. ad SCt. Turp. l.* 2. *C. si adv. fisc. l.* 9. *C. de R. V.* Quemadmodum & alibi eadem verba, *cujus ea de re notio est*, significant Magistratum, qui Jurisdictionem habet. v. *l.* 5. §. 16. *D. ut in poss. leg. l. ult.* §. 1. *D. de O. & A.* Sed ita demum, *si idonee creditoribus caverit, de solido, quod cuique debetur, solvendo.* Satisdato scil. vel pignoribus datis. Nisi fides habita sit promittenti, quo casu & sine satisdatione cautum videbitur. *l.* 4. §. 8. *D. de fideic. lib.* Per *solidum* autem sortem intelligi & usuras, non difficulter percipitur. *l.* 4. §. 11. *D. de fideic. lib.* Nisi & hic pactio de parte intercesserit, quam etiam admittendam statuit Justinianus in *l. ult* §. 1. *C. de testam. man.*

VII. Pergit Imp. *Et ii quidem, quibus directa libertas data est, perinde liberi erunt, ac si hereditas adita esset*, i. e. liberti erunt *Orcini*, seu testatoris orco demissi, *l.* 4. §. 12. *D. de fideic. lib.* §. 2. *I. de sing. reb. per fideic. rel.* Theoph. *ad* §. *h. n.* 1. *Ii autem, quos heres manumittere rogatus est, a te libertatem consequentur*, & manumissorem patronum habebunt. *Ita ut, si non alia conditione velis tibi bona addici, quam ut ii etiam, qui directo libertatem acceperunt, tui liberti fiant. Nam huic etiam voluntati tuæ, si ii, quorum de statu agitur, consentiant, auctoritatem nostram accommodamus.* add. *d. l.* 4. §. 12. Qui si dissentiant, dominum habere coguntur, quem patronum habere recusant, ex nova constitutione Imp. Justiniani in *l. ult.* §. 2. *C. de test. man.*

VIII. *Et ne hujus rescriptionis nostræ emolumentum alia ratione irritum fiat, si Fiscus bona agnoscere voluerit, & ii, qui, rebus nostris attendunt, sciant, commodo pecuniario præferendam esse libertatis causam, & ita bona cogenda, ut libertas iis salva sit, qui eam adipisci potuerunt, ac si hereditas ex testamen-*

mento adita esset. Imp. enim hac constitutione plenissime prospectum voluit libertatibus, ut & Fiscus, si bona tanquam vacantia agnoscere voluerit, non aliter admittatur, quam si & ipse libertates præstiterit. v. *l.* 4. § 17. *D. de fideic. lib.*

IX. Subventum itaque hoc Rescripto est & libertatibus, & defunctis, ne bona eorum a creditoribus possideantur & veneant, & sic defunctus ignominia quadam afficiatur, quæ ex venditione bonorum sub hasta oritur. Cic. *pro Quint. c.* 15. Tac. VI. *Ann.* 17. *N.* 135. *c.* 1. *l.* 28. *D. de reb. auct. jud. possid.* Si enim bona ex hac causa fuerint addicta, cessat bonorum venditio; existit enim defuncti defensor, & quidem idoneus, qui de solido creditoribus cavet. §. 2. *I. de eo, cui lib. caus. bon. addic.*

X. Et quidem in primis hoc Rescriptum locum habet, quoties testamento libertates datæ sunt. Quid ergo, si quis intestatus decedens codicillis libertates dedit, an favor constitutionis debebit locum habere? Cumque favores ampliandi sint, placuit, constitutionem ad hunc quoque casum extendendam esse. *l.* 2. *D. de fideic. lib.* §. 3. *I. de eo, cui lib. caus. l. ult. pr. C. de testam. manumiss.*


XI. Sed quid dicendum, si is, qui abstinuit ab hereditate, post addictionem libertatum conservandarum causa factam, in integrum restitutus sit, an libertates revocari possunt? Resp. negando, quia semel competierunt. *l.* 4. §. 2. 3. *D. de fideic. lib.* §. 5. *I. de eo, cui lib. caus.* add. *l.* 1. *C. de vind. lib.* §. 6. *I. qui & ex quib. caus. man. non poss.*

XII. Cum autem constitutio libertatum, tuendarum causa introducta sit, si libertates nullæ datæ sint, cessabit Rescriptum. Unde iterum quæsitum est, si vivus dederit libertates, vel mortis causa, & ne de hoc quæratur, utrum in fraudem creditorum an non factum sit, idcirco velint sibi addici bona, an audiendi sint? *Et magis est*, (ait Imp.) *ut audiri debeant, etsi deficiant verba constitutionis*, & proinde stricto

ſtricto jure libertates non valerent. §. 6. *I. de eo, cui lib. cauſ.* Quemadmodum & alibi, cum verba Edicti deficiunt, ex ſola æquitate Actio conceditur. v. *l.* 2. §. 5. *D. de aq. & aq. pluv. arc.*

XIII. Sed multæ diviſiones Reſcripto Marci deerant, ac proinde Imp. Juſtinianus id multis modis ampliavit in *l. ult. C. de teſt. man.* quæ amplificationes fere in eo conſiſtunt, 1. Ut jus poſtulandi annuum ſit, 2. Ut, ſi plures ſimul ſatisdato poſtulent, iis bona ſimul addicantur, 3. Ut ejus, qui plus ſe præſtiturum ſatisdabit, jus ſit potiſſimum, 4. Ut is, qui plus quam alter, cui bona addicta ſunt, intra annum offert, altero libertatem ſuam retinente, bona obtineat. Uti ex ipſius conſtitutione lectione manifeſtum eſt v. §. *ult. I. de eo, cui lib. cauſ.* Hotm. *ibid.*

XIV. Imo poſtea *N.* 1. *c.* 1. §. 1. remedium pleniſſimum conceſſit, ut ſcil. herede repudiante, legatarii, & ipſi ſervi, quibus libertas teſtamento data eſt, hereditatem adire poſſint. Ut jam ipſius Juſtiniani tempore dictum Reſcriptum ab uſu videatur receſſiſſe.



DIS-

DISSERTATIO TRIGESIMA NONA.

Calliſtratus *Libro Quinto Cognitionum.*

Extat enim Decretum D. MARCI in hæc verba: *Optimum eſt, ut, ſi quas putas te habere petitiones*, Actionibus *experiaris. Cum* Marcianus diceret, *vim nullam feci:* Cæſar dixit, *tu vim putas eſſe ſolum, ſi homines vulnerentur.* Vis *eſt & tunc, quoties quis id, quod deberi ſibi putat, non per Judicem repoſcit. Quisquis igitur probatus mihi fuerit rem ullam debitoris, vel pecuniam debitam, non ab ipſo ſibi ſponte datam, ſine ullo Judice temere poſſidere, vel accepiſſe, isque ſibi jus in eam rem dixiſſe, jus crediti non habebit. l.* 13. *D. quod met. cauſ.* Add. *l.* 7. *D. ad L. Jul. de vi priv.* ubi idem Reſcriptum, ſed hoc modo, exhibetur.

Calliſtratus *Libro Quinto de Cognitionibus.*

Creditores, ſi adverſus debitores ſuos agant, per Judicem id, quod deberi ſibi putant, repoſcere debent. Alioquin, ſi in rem debitoris ſui intraverint, id nullo concedente, D. MARCUS decrevit, jus crediti eos non habere. Verba *Decreti* hæc ſunt: *Optimum eſt, ut, ſi quas putes te habere petitiones*, Actionibus *experiaris. Interim ille in poſſeſſione debet morari. Tu petitor es. Et cum* Marcianus diceret, *vim nullam feci:* Cæſar dixit, *Tu vim putas eſſe ſolum, ſi homines vulnerentur. Vis eſt & tunc, quoties quis id, quod deberi ſibi putat, non per Judicem repoſcit. Non puto autem nec verecundiæ, nec dignitati tuæ convenire, quicquam non jure facere. Quisquis igitur probatus mihi fuerit rem ullam debitoris, non ab ipſo ſibi traditam, ſine ullo Judice temere poſſidere, eumque ſibi jus in eam rem dixiſſe, jus crediti non habebit.*

I. *Leges exhibitas* Calliſtrati *eſſe.* II. *Quænam ſit facti ſpecies?* III. *Dictas Leges ex earum numero eſſe, quæ* ſimiles *dicuntur.* IV. *Quid ſit* Decretum? V. VI. *Quænam* decreta Principum? VII. *Quibus verbis decretum hoc fuerit conceptum?* VIII. *Eum, qui putat ſe habere petitionem,* Actionibus *experiri debere.* IX. X. *Reip. intereſſe, ut litium aliquis finis ſit, & ne quis ſibi ipſi jus dicat, neve propria auctoritate aliquid agat.* XI. *Scrupulus removetur.* XII. *Quid ſit* Petitio? XIII. *Quid* Actio? XIV. *Quid* experiri? XV. *Eum, qui poſſidet, inſtituta Actione, in poſſeſſione manere.* XVI. *Et quare?* XVII. *Objectio* Marciani, *ſe vim non feciſſe, & quid* Vis *nomine veniat?* XVIII. *Quomodo* vis violenta *dividatur?* XIX. *Reſponſio* Cæſaris *ad Objectionem* Marciani. XX. *In* l. 7. D. ad L. Jul. de vi priv. *rationem addi a dignitate petitam, & quare?* XXI. *Pronunciatio* MARCI. XXII. *Quis intelligatur per verbum* Quisquis? XXIII. *An etiam* Fœminæ? XXIV. *Quid ſi jus ignoret?* XXV. *An* Ruſtici? XXVI. *An* Milites? XXVII. *An &* Univerſitates? XXVIII. *Vim factam eſſe, probandum eſſe.* XXIX. *An interſit, qualis res ablata ſit?* XXX. *Quid ſi res ſit minima?* XXXI. *Quid ſi jus creditoris ſit liquidum?* XXXII. *An decretum* D. MARCI *tantum ad rem creditori debitam pertineat? an & ad alias?* XXXIII. *Objectio removetur.* XXXIV. *Qualis* debitor *intelligatur?* XXXV. *Qualis vis?* XXXVI. XXXVII. *An &* turbativa *&* inquietativa? XXXVIII. *Sequentia verba examinantur.* XXXIX. *Quid in ſpecie ſignificent verba,* Jus crediti non habebit? *Ubi & difficultates removentur.* XL. *Quomodo hoc caſu creditum amittatur, an ipſo jure? an vero ſententia opus ſit?* XLI. *Ad dubia reſpondetur.* XLII. *Quod ſi judicio opus ſit, quo remedio agendum ſit?* XLIII. *An debitor, qui jure decreti utitur, tutus ſit in conſcientia?* XLIV. XLV. *Quibus caſibus hoc decretum ceſſet?* XLVI. *An &*

pro-

propter pœnitentiam? XLVII. *Eum, qui vim facit, etiam aliis modis coërceri.* XLVIII. *An hoc* D. MARCI *decretum* moribus hodiernis *adhuc usum habeat?*

I. Porro sequuntur quædam D. MARCI *Decreta*. Quorum primum extat in *d. l.* 13. & *d. l.* 7. quarum Auctorem esse *Callistratum* ex inscriptione earum manifestum est. Qui floruit sub Severo, *l.* 2. §. 6. *D. de jur. fisc. l.* 38. *D. de LL.* Antonino ejus filio, *l. ult.* §. *ult. D. de off. proc. Cæs.* & Alexandro; Lamprid. *in Alexandr. c. ult.* & inter alia, quæ reliquit ingenii monumenta, conscripsit *de Cognitionibus Libros Sex*, v. Ind. *JC. Flor. l. ult.* §. *ult. D. de off. proc. Cæs.* ex quibus tum aliæ, uti supra Diss. IV. VIII. XXIV. jam vidimus, & paulo post monebitur plenius, tum *d. l.* 13. & *d. l.* 7. excerptæ sunt.

II. Quænam sit facti species, de qua controversia fuit, ex ipsa lege non difficulter intelligitur. *Marcianus* scil. creditor rem vel pecuniam *Titii* debitoris sibi debitam, invito debitore, propria auctoritate occupaverat: *Titius* de ea re questus erat. *Quæsitum*, quid juris? An teneatur Edicto Prætoris, *quod metus causa?* an vero *Lege Julia de vi.* Et quidem Paulus præcedente lege 12. §. *ult. Juliani* ea de re *Responsum* exhibuerat, eum *Edicto, quod metus causa*, non teneri, propter *naturam metus causa actionis*, quæ damnum exigit, quod, qui rem debitam accipit, intulisse dici nequit, sed eum in *Legem Juliam de vi* incidisse, & jus crediti amisisse. Cum autem per *Decretum Divi Marci* id constitutum esset, ipsum illud *Decretum* ex *Callistrato*, lege nostra 13. subjectum est, & hac ratione sub tit. *quod met. caus.* positum, sub tit. vero *ad Legem Jul. de vi priv. l.* 7. repetitum.

III. Est enim Lex *n.* 13. ex earum Legum numero, quæ *similes* dicuntur, i. e. quæ sæpius in jure positæ reperiuntur. Licet enim Imp. jusserit, *ne Leges similes in jure nostro pone-*

rentur, *l.* 1. §. 9. *C. de vet. jur. enucl.* præter opinionem tamen id ipsum contigit, ut idem agnoscit Imp. §. 14. *Const. de confirm. Dig. l.* 2. §. 14. *C. de vet. jur. enucl.* & res ipsa docet v. *l.* 11. & 14. *D. de pign act. l.* 6. *pr.* & *l.* 18. *D. de re jud.* Pancirol. *Thes. Var. Lect. L.* 1. *c.* 18. ubi in solis Digestis leges 138. similes enumerat. Harpr. *Decret. D. Marci Sect.* 1. §. 1.

IV. Ait autem Callistratus, *Extat enim Decretum* D. Marci: *Decretum* a *decernere* dictum esse, nemo non intelligit. Quod proprie est, quicquid causa cognita pronunciatum est; *l.* 1. *D de off. Ass. l.* 9. §. 1. verb. *Ubi Decretum. D. de off. Proc.* ut *decretum Patrum*, *l.* 17. §. 1. *D. ad municip.* vel *Senatus. l.* 32. §. 23. D. *de don. int. vir. & ux.* Quo sensu etiam idem est quod *sententia*, *l.* 1. *C. ut lit. pend. vel post prov.* & *decretum Præsidis* dicitur, *l.* 16. *D. de excus. Prætoris*, *l.* 75. *D. de jud.* nec non *Principum*. *l.* 7. *D. de J. & J. l.* 1. *D. ex quib. caus. maj.*

V. Sunt autem *Principum Decreta* species Constitutionum Principis, cum Princeps cognoscens decrevit, vel de plano interlocutus est; *l.* 1. §. 1. *D. de const. Princ.* §. 6. *I. de J. N. G. & C. l. f. C. de L L.* seu sententiæ Principum inter partes litigantes, causa cognita pronunciatæ. Quemadmodum enim primis temporibus Reges creati, ut sacra Diis facerent, bella pro populo gererent, & judicia æquabili jure exercerent; Arist. III. *Pol. c.* 10. sic Principes etiam Romani in causis gravioribus sæpenumero extra ordinem, i. e. extra locum, strepitum, formulasque judicii, judicabant, partibusque auditis sententiam pronunciabant. v. *l.* 3. *D. de his quæ in test. del. l.* 41. *D. de hered. inst.* §. *ult. I. de vulg. subst. inscr. l.* 1. *C. de appell. l.* 3. *C. de quæst. l.* 6. *C de usuc. pro emt.* v. Cuj. *L.* XVIII. *O.* 32. *Nov.* 88. *præf.* Unde & *cognitiones*, *l.* 22. *D. de appell.* & *extraordinariæ cognitiones*, dici solebant. v. Suet. *in Claud. c.* 15. Noodt *de Jurisd. L.* 1. *c.* 7.

VI. Qualium *Imperialium sententiarum, in cognitionibus prolatarum*, complures libros collegit *Paulus JC.* uti docent inscriptiones *l. ult. D. de jur. patr. l. ult. D. de. her. inst. l. ult.*

D.

D. ad SCt. Treb. l. 38. *D. de min. l.* 97. *D. de acq. vel om. her.* Diff. N. II. v. supr. *c.* 2. §. 13. 14. Ut & *Cognitionum Libros sex* noster *Callistratus*, qui in specie de Constitutionibus *Divorum Fratrum* & Divi Marci, ut eas colligeret, fuit sollicitus. vid. præter hanc *l.* 13. & *l.* 7. *D. ad L. Jul. de vi priv. l.* 36. *D. de jud.* & ad eam supr. Diff. N. IV. *l.* 3. §. 6. *D. de testib.* & ad eam Differt. N. VIII. *l.* 5. §. 6. *D. de jur. imm.* & ad eam Differt. N. XXIV. *l.* 3. *D. de his quæ in test. del.* & ad eam infr. Diff. XL.

VII. *In hæc verba:* quæ scil. maxime ad rem faciunt. Plenius enim verba exhibentur in *l.* 7. *D. ad L. Jul. de vi priv.* & quædam paulo aliter quam hoc loco, de quo suis locis postmodum monebitur.

VIII. *Optimum est, ut, si quas putas te habere petitiones, Actionibus experiaris.* Si quis statum Reip. consideret, facile intelliget, omnium Rerumpublicarum tres esse partes probe considerandas, iisque bene affectis Remp. quoque bene affectam esse. Quarum *Una* est, quæ de ipsa Rep. consultat, de bello scil. ac pace, de societatibus & fœderibus, ut & de Legibus earumque executione: *Altera*, quæ in Magistratibus cernitur: & *Tertia* denique, quæ in Judiciis; uti recte Arist. *Polit. L.* IV. *c.* 14. *Leges* enim fundamentum Cic. II. *de Rep.* & anima sunt Reip. Cic. *pro Cluent. c.* 53. Ut Resp. sine iis subsistere nequeat, iisque sublatis non tantum pereat, sed & vita hominum a ferarum immanitate nihil differat. Dinarch. *apud Plat. L.* IX. *de LL.* Quemadmodum vero Leges, sic *Magistratus* in civitate non minus sunt necessarii: parum esset jus in civitate esse, nisi sint, qui jura regere possunt, *l.* 2. §. 13. *D. de O. J.* quorumque auxilio Leges in effectum producantur. *d. l.* 2. §. 13. Quintil. *Declam.* 314. *Jus* autem & *Judicium* sic ex sese invicem apta & connexa sunt, ut, quemadmodum vis judiciorum a Legibus, sic vis Legum a *Judiciis* dependeat, Dem. *in Mid.* iisque jus omne contineatur, Cic. *Or.*

pro Cluent. c. 42. imo ipsa Reip. salus in iis sita sit. Demosth. Περὶ τῆς συντάξ.

IX. Nihil sane magis expedit Reip. quam ut assopiantur controversiæ civium, & litium aliquis sit finis, quibus turbatur & sæpe subvertitur tranquillitas & felicitas Reip. Ratio autem non patitur, ut quis suæ rei judex fiat, *l.* 17. *D. de jud. t. C. ne quis in sua caus. jud. vel sibi ipsi jus dic.* vel sibi ipsi jus dicat. Qui enim contendunt, plerumque propriis moventur affectibus, & impetu quodam, obnubilata mente, petunt vel denegant, sentiuntque citius, quæ sibi commoda videntur, quam ut rationem excutiant.

—— —— —— *Cæcus amor sui*
Et tollens vacuum plus nimio gloria verticem.

Hor. *L.* 1. *Od.* XVIII. ỳ. 14. Proinde medius aliquis, in componendis sine affectu litibus, intercedere debet, qui justa lance causam utriusque trutinet, suum cuique tribuat, & ita caveat, ne pertinacius contendentes a verbis ad verbera, ipsaque adeo homicidia, prolabantur. Secus enim si fieret, occasio daretur tumultus in Rep. *l.* 176. *D. de R. J.* nullus confusionum finis esset, societas inter homines turbaretur, nihilque aliud esset Civitas, quam status belli omnium inter omnes, & promiscuum latrocinium. v. Diss. N. *de Calcul. Minerv. p.* 5. *& seqq.*

X. Unde rectissime Legislatores cavendum censuerunt, ne quis in Rep. sibi suisque jus dicat, vel aliquid propria agat auctoritate. *Nos ideo Magistratus Legesque a majoribus nostris accepimus, ne sui quisque doloris vindex sit: & assiduæ scelerum causæ se refellant, si ultio crimen imitabitur. Damnum accepisti: erat Lex, forum, judex: nisi si vos jure vindicari pudet.* Quintil. *Decl.* 13. *p. m.* 235. *Hinc est quod Legum reperta est sacra reverentia, ut nihil manu, nihil proprio ageretur impulsu. Quid enim a bellica confusione pax tranquilla distabit, si per vim litigia terminentur?*

tur? Caſſiod. IV. *Variar.* 10. *Idcirco judiciorum vigor, jurisque publici tutela, in medio videtur conſtituta, ne quisquam ſibi ipſi permittere valeat ultionem. l.* 21. *C. Th. de Judæis. l.* 14. *C. Inſt. eod.* Negantes enim debitores non oportet armata vi terreri, ſed, petitore quidem non implente ſuam intentionem, vel exceptione ſubmoto, abſolvi: convictos autem condemnari, ac juris remediis ad ſolutionem urgeri convenit. *l.* 9. *C. de O. & A.* Et, ſi quis domum debitoris vi intraverit, vel ſignaculum ei impoſuerit, actione cadit, & alterum tantum inferre cogitur. *Nov.* 60. *c.* 1. *pr.* add. *d. N.* 60. *c.* 1. §. 1. *l.* 6. & *Auth. ſeq. C. de ſep. viol. N.* 115. *c* 5. §. 1. *N.* 52. *c.* 1. *N.* 134. *c.* 7. Quemadmodum & Jure Divino Deut. XXIV. ỳ. 10. 11. conſtitutum, ut creditor pignoris accipiendi cauſa non poſſit intrare domum debitoris, ſed extra domum manere debeat; v. Harpr. *d. Tr. S.* IX. §. 5. nec non 2. *F.* 27. §. 2. rapiens rem amittit, & pœna dupli punitur, & 2. *F.* 53. *ſecundum Leges*, i. e. civiles & hoc Decretum, coërcendus dicitur.

XI. Neque obſtat *t. C. quand. lic unicuique ſin jud. ſe vindic.* & *l.* 1. *l.* 2. *C. eod.* eſt enim ibi exceptio. Qualis etiam eſt in *l.* 3. *D. de J. & J. l.* 25. *pr. D. ad L. Jul. de adult. l.* 10. § 16. *D. quæ in fraud. cred. l.* 29. §. 1. *D. ad L. Aquil. l.* 4. §. 1. *D. eod. l. un. C. de rapt. virg.* Quibus convenienter egregie hic D. MARCUS: *Optimum eſt, ut, ſi quas putas te habere petitiones, Actionibus experiaris.*

XII. *Petitionis* verbum aliquando *ſpecialiter* ponitur pro *actione in rem. l.* 178. §. 2. *D. de V. S.* §. 2. *I. quib. mod. toll. obl.* Sed *in genere* acceptum omnem omnino actionem ſignificat, quemadmodum *petere* in genere eſt agere & judicio experiri; *l.* 12. §. *ult. D. rem rat. hab. l.* 1. *D. de cond. trit. l.* 50. *D. de ſol. l.* 112. *D. de V. O. Creditor*, cui ex quacunque cauſa debetur, *l.* 1. *l.* 12. *D. de V. S.* & *Debitor*, a quo invito pecunia exigi poteſt. *l.* 108. *D. eod.*

XIII. Quo ſenſu latiori *petitiones* hic intelligendæ, uti ex ver-

verbis sequentibus *h. l.* manifestum est, cum additur, *Actionibus experiaris.* Quæ *strictius* acceptæ Actiones tantum significant in personam, *l.* 178. §. 2. *D. de V. S.* sed *latiori* sensu omne omnino remedium, quo quis consequitur, quod sibi debetur; v. *l.* 37. *D. de O. & A. l. ult. C. de her. vel. act. vend. l.* 34. *D. de V. S.* & describitur, quod sit *jus persequendi in judicio, quod sibi debetur. pr. I. de act.*

XIV. Eoque pertinet *τὸ experiaris.* Auctoritate scil. judiciali, secundum *d. pr. I. de act.* Sic *experiri actione* etiam dicitur in *l.* 5. *D. de exc. rei jud. l.* 10 *D. de sep. viol. l.* 5. §. 1. *D. de exerc. act. l.* 5. §. 1. *l.* 9. §. 1. *D. de trib. l.* 8 *D. de proc. l.* 43. §. 1. *D. de R. J.* Nec non *experiri* simpliciter pro agere, seu Actionem contra aliquem instituere. §. *ult. I. de usuc. l.* 42. *D. de R. J. l.* 2. *l.* 21. *D. sol. matr.* Don. *ad. Ter. Adelp. A.* III. *Sc.* II. *ỳ.* 52.

XV. In *l.* 7. *D. ad. L. Jul. de vi priv.* subjicitur, *Interim ille in possessione debet morari. Tu petitor es.* Commodum enim possessionis inter alia in eo est, quod, etiamsi possessoris res non sit, si modo actor non potuerit suam esse probare, remanet in suo loco possessio, propter quam causam, cum obscura sunt utriusque jura, contra petitorem judicari solet. §. 4. *I. de interdict. l.* 2. *C. de prob.* Actori enim incumbit probatio, *l.* 2. *D. de prob. d. l.* 2. *C de prob.* Et res alienas possidens, licet justam tenendi causam nullam habeat, non nisi suam intentionem implenti, i. e. probanti, dominium restituere cogitur. *l. ult. C. de R. V.* Nam Actore non probante, qui convenitur, etsi nihil ipse præstat, obtinebit. *l.* 4. *C. de edend.* Cum in pari causa possessor potior haberi debeat, seu melior sit causa possidentis. *l.* 128. *pr. D. de V. S.*

XVI. *Tu petitor es;* i. e. *Tu actor es. l.* 31. *D. de judic. l.* 9. §. 1. *D. de furt. l.* 20. *D. jud. solv.* Sic *petitor* & *is, cum quo agitur*, opponuntur. *l.* 4. §. 13. *D. de dol. exc.* Uti & *petitor* & *reus. l* 2. §. 3. verb. *Quare. D. de eo quod cert. loc.* Alii habent *esse.* Sed nihil mutandum. Ratio enim, quare interim in possessione ma-

manere debeat, in eo sita est, quod qui Actor est probare debeat, & quamdiu non probavit Reus in possessione manere debeat, ut jam ostensum est.

XVII. *Cum* Marcianus *diceret*, *Vim nullam feci.* Scil. *Vis* varie accipitur. Et quidem I. Pro *efficacia ;* quo sensu *vis* dicitur *ingenii*, Cic. *de Amic. c.* 38. *vis conscientiæ*, Quintil. *L.* III. *c.* 5. *vis conventionis*, *l.* 12. *D. de precar. stipulationis*, *l.* 23. *D. de pact. dot. actionis*, *l.* 1. *D. ad exhib.* & similia. II. Pro *potestate ;* quo sensu *vis* ac *potestas* non raro conjunguntur, ut idem significent. v. §. 1. *I. de tutel. l.* 17. *D. de LL.* Ter. *Heaut. Act.* IV. *Sc.* II. *ỳ.* 32. Tac. II. *Hist.* 39. III. *Hist.* II. III. Cum quis rem propria auctoritate sine Judice occupat, & sibi ipsi in eam jus dicit. *l. h. n.* 13. & 7. IV. Pro *violentia;* quo sensu quis *vim facere* dicitur: Cic. *ad Att. L.* IV. *Ep.* II. *vim & manum alicui inferre:* Cic. I. *Catil. c.* 8. & describi solet, quod sit *necessitas imposita contraria voluntati*, *l.* 1. *D. quod met. caus.* seu *majoris rei impetus*, *qui repelli non potest. l.* 2. *D. eod.* Paul. I. *Sent. T.* VII. §. 7. add. *l. pen.* §. *ult. D. si ususfr. pet. l.* 3. §. 3. 28. *D. de vi & vi arm.*

XVIII. Quæ dividi solet I. in *Divinam*, quæ a Deo fit, & θεῦ βία dicitur in *l.* 25. §. 6. *D. loc. cond. l.* 24. §. 4. *D. de damn. inf.* & *Humanam*, quæ ab hominibus.

II. In *Justam*, quam quis jure licito infert, veluti Magistratus, *l.* 3. §. 1. *D. quod met. c. l.* 29. §. *pen. D. ad L. Aquil.* & Hostis, v. Grot. *de J. B. ac P. L.* III. *c.* IV. §. 1. 5. 6. *& seqq.* & *Injustam*, quæ non fit jure licito. *d. l.* 3. § 1.

III. In *Publicam* seu *Atrocem*, per quam securitas publica læditur, sive a persona publica fiat, *l.* 7. *D. ad. L. Jul. de vi publ.* sive personæ publicæ, *l.* 10. *pr. D. eod.* sive armis inferatur, *l.* 3. §. 2. 6 *D. eod.* §. 8. *I. de publ. jud.* & *Privatam*, seu *minus atrocem. t. D. ad L. Jul. de vi priv.*

IV. In *Armatam*, quæ armis infertur, i. e. quibuscunque instrumentis, quibus alicui noceri potest, v. Cic. *pro Cæcin. c.* 19.

19. *& seqq. l.* 3. *pr.* §. 2. *D. de vi & vi arm.* §. 6. *I. de interd.* §. 5. *I. de publ. jud. l.* 9. *D. ad L. Jul de vi publ. l.* 41. *D. de V. S.* & *non armatam*, quæ sine armis infertur.

v. In *Ablativam*, quando res per vim dolo malo alicui aufertur; quæ coërcetur *Actione Vi bonorum raptorum.* v. *pr.* §. 1. *I. de Vi bon. rapt.*

Turbativam, quando quis possessorem rei immobilis vel mobilis in possessione turbat, neque patitur eum re sua libere uti; quæ coërcetur *Interdicto Uti possidetis* & *Utrubi.* v. §. 4. *I. de interd.*

Compulsivam, quando quis aliquem per justum metum compulit ad aliquid tradendum; quæ coërcetur *Actione Quod metus causa. t. D. quod met caus.*

Expulsivam, quando quis aliquem de possessione rei immobilis dejecit & inde expulit; quæ coërcetur *Interdicto Unde vi.* v. §. 6. *I. de interd. t. D. de vi & vi arm.*

Nec non *Inquietativam*, quando quis coacto vel invito domino quid fecit in ejus solo; quæ coërcetur *Actione Quod vi aut clam* & *Injuriarum. l.* 19. §. *ult. D. de injur.*

Sed *vis Turbativa* & *Inquietativa* ab aliis confunduntur; quia de utraque & *Interdictum Uti possidetis*, & *Actio Injuriarum* competit. *l* 11. *D. de vi & vi arm. l.* 13. §. 6. *D. de injur.* Eckolt *ad Tit. D. de vi & vi arm.* & Suendend. ad *Eckolt ibid.*

XIX. Merito itaque D. MARCUS, cum Marcianus diceret, *Vim nullam feci*, reponit, *Tu vim putas esse solum, si homines vulnerentur*; Vis est & tunc, quoties quis id, quod deberi sibi putat, non per Judicem reposcit. *Cum* enim *de jure & Legitimis hominum controversiis*, quæ Legum Interdictorumque præceptis disceptantur, *loquimur, & in his rebus* vim *nominamus*, pertenuis, i. e. perexigua non atrox intelligi debet, Cic *pro Cæcin. c.* 16. quæ potest esse sine cæde, sine vulneratione, sine sanguine Cic. *d. c.* 16. *c.* 27.

XX. In *l.* 7. *D. ad L. Jul. de vi priv.* hic iterum subji-

jicitur: *Non puto autem nec verecundiæ, nec dignitati tuæ convenire, quicquam non jure facere.* Ex quibus non male colligitur, *Marcianum* non hominem privatum, sed in dignitate publica positum fuisse, quem a talibus vel maxime abstinere decebat. Valde enim inverecundum, & dignitati ejus, qui publico munere fungitur, contrarium est, sese Legibus & juri, in omnium utilitatem in Rep. constituto atque recepto, opponere, & contemtis legitimis remediis, illegitimo modo id, quod deberi sibi putat, acquirere velle, & sic jus in alterum statuere, quod ipse non pateretur, si impedire posset, contra Legem illam naturalem, omniumque hominum cordibus insitam, *quod tibi non vis fieri alteri ne feceris*, v. Matth. VII. ẏ. 12. Luc. VI. ẏ. 31. *l.* 1 §. 1. *D. quod quisq. jur. in alt. stat.*

XXI. Quibus præmissis, Decretum ipsum D. MARCUS ita pronunciat. *Quisquis igitur probatus mihi fuerit, rem ullam debitoris, vel pecuniam debitam, non ab ipso sibi sponte datam, sine ullo judice temere possidere, vel accepisse, isque sibi jus in eam rem dixisse, jus crediti non habebit.*

XXII. Ait *Quisquis*. Qui scil. vel creditor est ex quacunque causa, vel sibi rem aliquam vel pecuniam ab Adversario deberi putat. Articulo enim *Quisquis* omnes omnino significantur. *l.* 29. *D. de hered. inst.*

XXIII. Ac proinde non interest 1. Sive *Vir* sit, sive *Fœmina*. Verbum enim *si quis* tam masculos quam fœminas complectitur. *l.* 1. *D. de V. S. l.* 7. §. 1. *D. de jurisd.* Non equidem fœminæ propter sexus imbecillitatem tam facile vim facient quam viri; unde & alibi Imp. eas *minus ausuras*, v. *l.* 5. §. 3. *C. ad L. Jul. Maj.* magisque iis *indulgendum censet.* v. *l.* 23. *C. de nupt.* Quin tamen & illæ vim facere possint, manibusque sæpe non temperent, dubitare nos non sinit optima rerum magistra, experientia. Neque desunt exempla in jure nostro. *Album Prætoris* enim quædam etiam corrupisse debent; nam cæteroquin Ulp. in *l.* 7. §. 1. *D. de jurisd.* non

potuisset notare, Prætorem in Edicto *de Albo corrupto* verbis *si quis* utrumque sexum complexum esse, ac proinde non tantum marem, sed etiam fœminam, si album corruperit, in pœnam istius Edicti incidere. Imo *raptum* committere possunt, rapientibusque auxiliatrices manus præstare, pœnæque raptus sese reas facere. *l. un.* §. 2. *C. de rapt. virg.* Proinde si res sibi debitas auferant, quo minus in *hoc Decretum* D. Marci ejusque pœnam æque incidant, quam in alias, nulla dubitandi ratio est.

XXIV. Adeo, ut idem dicendum videatur, licet hæc jus D. Marci ignoraverit. Licet enim Juris ignorantia in multis juris articulis fœminis non noceat; *l* 8. *l*. 9. *pr. D. de jur. & fact. ign. l. ult C. eod.* id tamen indistincte non procedit, sed in *iis* tantum *causis* locum habet, in quibus hoc ipsis concessum est. *d. l.* 9. Cum itaque in hac causa de eo nihil cautum legatur, merito etiam hic exceptæ dici nequeunt. *Maxime* cum fœminæ, æque ac viri, ex sana ratione facile intelligant, sibi integrum non esse vim facere, & occasionem tumultus præstare in Rep. v. *l.* 2. *C. de in jus voc.* add. Harpr. *ad h. n. l.* 13. S. IV. §. 2.

XXV. II. Non interest, An *Rustici* sint, an *Cives*. Licet enim *Rusticitati* quandoque subveniatur; *l.* 7. §. 4. *D. de jurisd. l.* 1. §. *f. D. de edend. l.* 25. §. 1. *D. de prob. l.* 2. §. *ult. D. de jur. fi, c.* in illis tamen, quæ Legibus aperte prohibita sunt, Legum auctoritatem rusticitatis & imperitiæ velamentis circumveniri non oportere, Severus & Antoninus rescripserunt in *l.* 1. *C. de interd. matr.* *Maxime* si rustici sint sagaces, & copiam habeant consulendi peritiores: v. Choppin. *de Priv. Rust. L.* 1. *c.* 5. *n.* 6. & *c.* 6. *per. tot.* ne cæteroquin via apperiatur rapacibus rusticis, avaritiam suam impune exercendi, contra monitum Imp. §. 1. *I. de vi bon. rapt.* Harpr. *d. S.* IV. §. 4.

XXVI. III. Non interest, An *Milites* sint, an *Pagani*. *Militibus* sane propter nimiam imperitiam eorum, *pr. I. de test. mil.* quia

quia arma magis quam jura intelligunt, *l.* 22. *C. de jur. delib.* jura ignorare permissum est; *l.* 9. §. 1. *D. l.* 1. *C. de jur. & fact. ign.* sed hoc casu similiter minime ignoscendum videtur. Quanto majus enim periculum est turbationis quietis publicæ in militibus, qui vicinis suis, præsumtione cinguli militaris, sæpe graves sunt, *l.* 31. *C. loc. cond.* tanto magis, contra illorum violentas invasiones, debet esse Legum præsidium. Maxime cum hoc Decretum fundamentum habeat in Jure Naturæ, quod milites quoque norunt. v. *l.* 2. *C. de in jus voc.* Quod tum in primis procedit, si sint in præsidiis, quibus allegatio juris ignorantiæ non proficit, *l.* 17. §. *ult. D. de milit. test.* cum peritiores consulere queant. *l.* 9. §. 3. *D. de jur. & fact. ign.* Harpr *d. S.* IV. §. 3.

XXVII. IV. Nec denique interest, An *unus* vim fecerit, an *plures*, imo an *universitas*. *Universitas* enim etiam delinquere potest, & vim facere. *l.* 9. §. 1. *D. quod met. c. l.* 4. *D. de vi & vi arm.* *Auth. Item nulla communitas. Auth. Item quæcunque communitas. C. de Ep. & cler.* Ac proinde si vim fecerit, vel fieri curaverit, nulla ratio est, ob quam a pœna hujus Decreti excusari debeat. v. Menoch. *de recup. poss. rem.* v. *n.* 123. *& seq.* Harpr. ad *l. u.* 13. *Sect.* IV. §. 5.

XXVIII. Ait autem *Quisquis Probatus mihi fuerit.* Vim enim inferre & propria auctoritate aliquid auferre, facti est, quod probandum est; *l.* 18. §. 1. *D. de prob. l.* 6. *C. de dol. l.* 9. *C. de coll. l.* 13. §. 2. *D. de Public. in rem. act.* neque delicta præsumuntur, arg. *l.* 51. *pr. D. pro soc.* sed clarissime probanda sunt. *l. ult. C. de prob.*

XXIX. *Rem ullam debitoris, vel pecuniam debitam.* Posteriora verba, *vel pecuniam debitam*, non habentur in *l.* 7. *D. ad L. Jul. de vi priv.* sed ideo tamen non sunt delenda, commodum enim sensum habent. Ut scil. intelligatur, Decretum hoc pertinere ad *omnes res* a debitore possessas, sive revera sint creditoris, sive sit pecunia debita, sive res vel pe-

cuniam creditor ſibi deberi contendat. Qualiscunque itaque res ſit, quam creditor a debitore, qui eam poſſidet, aufert, nihil intereſt: ſive res ſint *corporales*, ſive *incorporales*. *l.* 1. *D. de R. C. l.* 23. *l.* 6. *D. de V. S.* Idemque ratione *pecuniæ* dicendum. *l.* 5. *D. de V. S. l.* 7. §. 8. *D. de Publ. in rem act.* Sive *Magnæ*, ſive *Parvæ*.

XXX. *Licet* enim minima non curet Prætor, *l.* 4. *D. de in int. reſt. l.* 9. §. 10. *l.* 10. *D. de dol.* & per conſequens multo minus Imp. imo circa ea dolus commiſſus non præſumatur; *c. pen. x. de crim. fals.* in multis tamen juris articulis etiam modica attendi docet Cuj. *L.* VII. *Reſp. Mod. ad l.* 72. *D de furt.* Ac proinde in rebus parvi momenti, ob juſtas rationes, etiam religioſi eſſe debemus, ut vel aſſueſcamus ſemper eſſe hujusmodi, uti idem inquit Cuj. ad *l.* 60. *in f. D. de furt.* Unde Julianus Epitomator in *N.* 69. quam optime ait: *Quamvis res, de qua agitur, minima videatur, Juſtitiæ tamen ratio non ex quantitate, ſed ex ſuis regulis debet æſtimari, nam quod aliis viliſſimum eſſe videtur, hoc aliis pretioſiſſimum eſt;* & quod modicum eſt diviti, multum eſt pauperi. arg. *l.* 5. §. 1. *D. de leg. tut.* Proinde hic non ad quantitatem rei attendendum, ſed ad qualitatem facti, an quis vim fecerit, & ſibi ipſi jus dixerit. v. *N.* 52. *c.* 1. *N.* 134. *c.* 7. Quemadmodum & alibi, ubi maxime ad atrocitatem facti reſpicimus, etiam ob rem minimam ordinaria pœna locum habet, uti in *furto*, v. §. 16. *I. de R. D. l.* 21. §. 5. *D. de furt. l.* 5. §. 6. *D. de A. R. D. c. ult. c.* 14. *Q.* 6. *rapina*, *pr. I. de vi bon. rapt.* & *auferente aliquid ex naufragio. l.* 3. §. *f. D. de incend. ruin. nauf.* Ut & creditor, qui minimam rem abſtulit, toto credito cadat. *Non obſt. l.* 6. *l.* 11. *D. de his quæ ut indign. l.* 1. §. 12. *D. quod legat. l.* 22. *C. de pœn.* ubi caſus diverſi ſunt. Aliud enim dicendum, ſi ob quietem & ſalutem Reip. a Legislatore aliud ſit conſtitutum, uti hic, quo caſu non quantitas damni, ſed qualitas facti attenditur.

XXXI.

XXXI. Sive jus creditoris *liquidum* sit, sive *dubium*. Cum ne *suam* quidem *rem* per vim auferre liceat. §. 1. *I. de vi bon. rapt.* arg. *l. 2. C. de jur. emph.*

XXXII. De illo quæsitum est, an *Decretum* D. Marci tantum ad *rem* vel pecuniam creditori *debitam*, an vero ad alias etiam res debitoris, creditori non debitas, pertineat? Et Accurs. quidem Bartolus, aliique ad *h. n. l.* 13. id tantum volunt pertinere ad *res debitas*, non alias; quia Imp. usus est duobus substantivis, *rei* scil. & *pecuniæ*, & deinde subjecit adjectivum *debitam*, ac proinde illud adjectivum venit ad debitum utriusque, seu uti Bart. loquitur, *quod adjectivum post duo substantiva positum illa determinat æqualiter.* Verum hanc interpretationem merito ridiculam pronunciat Cuj. ad *h. n. l.* 13. quia ex verbis Decreti manifestum est, id pertinere ad *omnes res* debitoris, quas possidet, sive creditor in ea re jus aliquod habeat, sive non. Certe ipsa *ratio* Legis, ejusque causa impellens generalis est, ne quis scil. propria auctoritate sibi jus dicat; ac proinde dispositio ejus etiam generalis esse debet. arg. *l.* 9. §. 6. *D. de jur. & fact. ign. l.* 38. §. 3. *D. de leg.* 3. Accedit, quod facilius occupari possint res, quæ obligatæ non sunt; quoniam sub arctiori custodia res obligatæ custodiri solent. Neque melioris conditionis debet esse occupans non obligata, quam obligata; cum in obligatis color aliquis subesse videatur, & justa ratio ad excusandum.

XXXIII. Nec dicat quis, Leges pœnales, qualis hæc est, non esse extendendas, *l. pen. D. de pœn. l.* 155. §. *ult. l.* 56. *D. de R. J. c.* 15. *x. de R. J. in* 6. cum & in aliis constitutionibus hoc de casu jam ante provisum sit, & proinde creditorem jus tantum, quod in re debita habuit, amittere. Nulla enim alia, ante hanc D. Marci, constitutio de eo extitit. Neque extendi Lex dici potest, quæ aperte de eo, de quo quæritur, loquitur, idque expresse complectitur. Quin

Quin & denique in ipsis pœnalibus extensio non plane est prohibita, sed ex justis causis etiam admittitur. Ut & in iis magis ad mentem Legislatoris, quam ad verba respiciendum sit. v. *l.* 32. *pr. D. ad L. Aquil. l.* 9. *D. de jurisd. l.* 3. *D. ad L. Pomp. de parr. l.* 59. *l.* 64. *D. de re jud.* Ut negari nequeat, *Decretum* hoc D. MARCI ad *omnes* res debitoris pertinere, quas debitor possedit, neque sponte creditori tradidit. Ait enim D. MARCUS: *Quisquis igitur probatus mihi fuerit rem ullam debitoris, vel pecuniam debitam, non ab ipso sibi sponte datam, sine ullo Judice possidere vel accepisse.*

XXXIV. *Debitorem* eum supra in genere diximus esse, a quo invito pecunia exigi potest. *l.* 108. *D. de V. S.* Adeoque non interest I. An Masculus sit an Fœmina? arg. *l.* 1. *D. de V. S. l.* 62. *D. de leg.* 3. *l.* 7. §. 1. *D. de jurisd. l.* 4. *C. de lib. praet.* maxime cum mulieres magis sint infirmæ, *l.* 2. §. 2. *D. ad SCt. Vellej. l.* 9. *pr. D. de jur. & fact. ign. l.* 1. §. 10. *D. ad SCt. Turp.* ac proinde magis timidæ, & violentiis expositæ.

II. An Dives & in dignitate positus, an Pauper? qui vi & injuriis magis est expositus.

III. An Vera sit persona, an Mystica? puta civitas, aliudve corpus, vel collegium licitum; v. *l.* 3. §. 1. *D. de coll.* quæ personæ vicem subeunt, *l.* 10. §. 4. *D. de in jus voc. l.* 23. *D. de fidej.* & ex contractibus, v. *l.* 27. *D. de R. C. l.* 15. *D. ad SCt. Maced.* & delictis obligari possunt, *l.* 9. §. 1. *D. quod met. caus.* adeoque non deterioris conditionis esse debent, quam personæ aliæ. v. Stryck *de Civ. obær. c.* IV. *n.* 132. Harpr. *ad l. h. n.* 13. *Sect.* IV. §. 1. *& seqq.*

XXXV. Qualis autem vis debeat esse illata, ex dictis verbis simul non difficulter intelligitur. Ut vis sit *publica* vel *armata* non requiritur. Sufficit vim talem esse, ut a creditore propria auctoritate occupetur, & sine Judice possideatur. Ac proinde vis in primis huc pertinet, quæ dici solet *Ablativa, Expulsiva*, & *Compulsiva*. Nam verba illa *rem ullam* jun-

juncto verbo *possedisse* rem immobilem occupatam ostendunt, in qua vis *expulsiva* vere convenit: illa vero verba *pecuniam debitam* juncto verbo *accepisse* rem mobilem ablatam significant, ac proinde vim *ablativam*: illa vero verba *non ab ipso sponte datam* vim *compulsivam* demonstrant; quod & Tit. *Quod met. caus. gest. er.* sub quo hoc Decretum positum est, confirmat.

XXXVI. An autem hoc Decretum etiam comprehendat vim *Turbativam*, & *Inquietativam*, dubium est. In *Turbativa* id plerique cessare statuunt. Si quis enim damnum alicui dat, non hoc *Decreto* tenetur, sed *Lege Aquilia;* & multo minus si quis aliquem tantum turbat, qui tenetur *Interdicto ti possidetis*. Tum & Decretum hoc nostrum tantum locum habet, cum creditor per vim rem debitoris occupat, ut possideat; quod, si debitor tantum in possessione turbetur, factum dici nequit. Idemque de *Inquietativa* dicendum videtur; quia inter vim *Turbativam* & *Inquietativam* non multum interest, & per *Inquietativam* etiam debitor possessione non privatur. v. Cuj. *ad l. h. n.* 13. Menoch. *Rem. v. Recup. poss. n.* 65.

XXXVII. Neque in contrarium nos movet, quod ratio hujus Decreti generalis sit, ne quis sibi ipsi jus dicat. Hæc enim in ipsa lege restringitur ad casum, quo quis rem, quam debitor possidet, occupat, & possessionem in se transfert. Neque aliud volunt *l.* 12. §. 2 *D quod met caus.* junct. *l.* 6. *D. ad L. Jul. de vi priv. l.* 3. *D. ad L. Jul. de vi publ. l.* 9. *C. de O. & A.* qui enim vim facit, incidit in *L. Juliam de Vi*, licet possessio non sit translata, *dd. ll.* sed non incidit in *hoc Decretum*. Neque aliud habetur in *d. l.* 12. §. 2. Nam ibi vis dicitur adhibita debitori *ut solveret;* quam adhibens & in *L. Jul. de Vi* incidit, & in *Decretum* D MARCI, quia qui solvit debitum tradit, ejusque possessionem & dominium transfert. §. *ult. I. quib. alien. lic. l.* 9. §. 2. *D. de auct. tut.* Neque deni-

que ipse Imp. in *Nov.* 60. *c.* 1. ubi sub pœna amissionis debiti prohibet creditorem domum debitoris ascendere, domui molestiam facere, & signacula imponere: v. *t. C. ut nem. lic. sin. jud. sign. reb. alien. impon.* & addit, *sicut & Marcus Philosophus in suis conscripsit Legibus;* ut rei ablatio non videatur necessaria. Singulari enim jure id ibi constitutum est ab Imp. Justiniano; dicta autem verba, *sicut & Marcus Philosophus in suis conscripsit Legibus*, vel sic accipienda, ut sensus sit, Justinianum id ad imitationem Marci constituisse: vel notandum verba illa subjecta esse pœnæ confiscationis tertiæ partis bonorum, de qua forte alia quædam Lex fuit D. Marci: vel dicendum, Imp. id non satis accurate tradere, sed errorem commisisse historicum. In *l.* 7. enim *D. ad L. Jul. de vi priv.* ad quam plerique censent Justinianum ibi respicere, pœnæ confiscationis nulla fit mentio. v. Cuj. ad *d. Nov.* 60. nec non *l. h. n.* 13. ubi & alia removet. Qualem errorem etiam commisit in *Nov.* 78. *c.* 5. dum dicit, Antoninum, *Pium* cognominatum, jus Romanæ Civitatis omnibus in commune subjectis donasse; cum tamen hoc non Antoninum Pium, sed Antoninum Caracallam, fecisse constet, uti demonstravit Ez. Spanheim. Diss. 11. *ad l.* 17. *D. de stat. hom. c.* 6.

XXXVIII. Quod si itaque ita vis illata est, ut possessio rei vel pecuniæ a debitore possessæ in creditorem vim facientem translata sit, seu ut D. Marcus ait, *probetur creditor rem vel pecuniam debitam, non ab ipso* debitore *sibi sponte datam*, seu *traditam*, uti habetur in *l.* 7. *D. ad L. Jul. de vi priv. sine ullo Judice*, i. e. sine ulla judicis, (competentis scil. v. *l. ult. D. de jurisd. t. C. si a non comp. jud.*) auctoritate, *temere*, i. e. sine justa causa, v. *l.* 29. *pr. l.* 39. §. 1. *D. de lib. caus. l.* 79. *D. de jud.* Virg. IX. *Æn.* ỷ. 375. & ibid. Serv. *possidere vel accepisse*, (quod in *d. l.* 7. quidem non habetur, sed recte nihilominus in *l. h. n.* 13. additur, ut scil. ad res mobiles, uti supra dictum, referatur) *isque* (in *d. l.* 7. legitur *eumque*) *sibi jus in*

eam

eam rem dixisse, i. e. propria auctoritate occupando quasi suam, in usum suum transtulisse, *jus crediti non habebit*.

XXXIX. Quae ultima verba idem significant, ac si dixisset, *jus crediti amittet*, uti extat in *l.* 12. §. 2. *D. quod met. caus.* seu *actione cadet*, uti habetur *N.* 60. *c.* 1. *pr.* vel. *debito*, uti dicitur *N.* 134. *c.* 7. ut deinde, licet verum ac justum fuisset debitum, nihil amplius exigere possit. Neque obstat, uti quibusdam visum est, *l.* 48. *pr. D. de furt.* ubi illi, qui vas furtivum furi abstulerat, adversus furem Actio in duplum conceditur, nec is jure suo privatur. *Auferre* enim ibi non significat per vim auferre, vel propria auctoritate recuperare, sed judicio auferre, & legitimis remediis, seu per sententiam recipere. arg. *l.* 54. §. 3. *D. eod.* Cuj. *ad l. h. n.* 13. Tum & loquitur de fure, qui cum vase, quod abstulerat, aufugit; quo casu debitorem sistere, eique rem debitam auferre licet. *l.* 10. §. 16. *D. quae in fraud. cred.* Qua ratione scrupulus, qui ex *d. l.* 10. §. 16. quoque injici solet, similiter facile eximitur. Neque contrarium probant *l.* 2. *C. de jur. emph. l.* 54. §. 1. *D. loc. cond. l.* 3. *C. eod.* ubi domino emphyteuseos conceditur emphyteutam, canonem intra triennium non solventem, expellere, & locatori integrum est, ob pensionem non solutam, conductorem sive colonum fundo dejicere. Verba enim *expellendi* vel *dejiciendi* ad juris intellectum & ordinem, uti jam monitum, referenda, ut expulsionem legitimam, non eam, quae fit per vim & propria auctoritate, significet. Quemadmodum & aliud ex *l.* 1. §. 21. *D. quod legat.* inferri nequit: ubi legatarius, qui propria auctoritate legata occupavit, tenetur quidem *Interdicto Quod legatorum*, sed ipsa legata tamen non amittit. Licet enim ea propria auctoritate occupaverit, non tamen heredi, qui ea necdum possederat, nec hereditati, per vim ablata sunt, quia hereditas non possidet. *l.* 1. §. 15. *D. si is qui test. lib.* v. Cuj. *ad l. n.* 13. Buf. *ibid. n.* 3.

XL. Sed quomodo hoc casu creditor creditum amittit, An ipso jure, an vero *sententia* judicis ad hoc opus est? Et verius est, creditum *ipso jure* amitti, neque judicis sententia opus esse; idque in ipso decreto satis aperte significari videtur, in verbis jam exhibitis, *jus crediti non habebit*, uti constat ex præcedente *l.* 12. §. 2. *D. quod met. caus.* ubi Ulp. refert, Julianum docere, eum, qui vim adhibuit debitori suo, ut ei solveret, Edicto *Quod metus causa non teneri*, propter naturam *metus causa actionis*, quæ damnum exigit: quamvis negari non possit, in *Juliam* eum *de vi incidisse*, & *jus crediti amisisse*, & proinde ipso jure, cum verba illa non sint temporis futuri, sed præteriti, & id, quod vi juris contigerat, significent. Quemadmodum & ipso jure dominium amittit, qui rem, quam suam existimabat, invasit; *l.* 7. *C. unde vi.* & Emphyteuta emphyteusin, si in mora sit solvendi canonis per triennium; *l.* 2. *C. de jur. emph.* nec non creditum ille, qui cadaver debitoris vexavit. *N.* 60. *c.* 1. Dummodo constet, creditorem vim fecisse, rem propria auctoritate occupando, neque creditor id neget. Si enim negat, vim a se factam esse, Judici de facto non nisi per probationes constare potest, & proinde judicium dabit, sed, simul ac viderit vim factam esse, pronunciabit, vim sibi factam videri, & proinde jus crediti amisisse.

XLI. Quibus non contrariatur, quod ait Ulp. in *l.* 29. *pr. D. de jur. fisc. oportet constare prius, & de crimine pronunciare*: quodque ipse D. MARCUS in Decreto requirere videtur in verbis, *quisquis probatus erit*. Distinguendum enim, uti jam monitum, An dubium sit, vim a creditore esse factam, & creditor id neget? quo casu judicio & probatione opus est; an vero de eo constet? quo casu creditum ipso jure amittitur. Neque aliud vult MARCUS in verbis *Jus crediti non habebit*, quæ temporis sunt futuri: quibus si lex utatur, effectus ipso jure locum non habet, sed ad præcedentem sententiam in-

interlocutoriam. Gloss. ad *l.* 14. §. 2. verb. *Privetur. C de SS. Eccl.* Quis enim sensus illorum verborum sit, docet (uti jam vidimus) Ulp. in præcedente *l.* 12. §. 2. *D. quod met. caus.* quemadmodum & alias verbum temporis futuri præsens significat, uti docet Paulus in *l.* 8. *D. de V. S.* nec non Ulp. in *l.* 7. §. 5. *D. de jurisd.* Quantum vero ad *l.* 14. *D. de publican.* attinet, tantum abest, ut sententiam nostram subvertat, ut potius eam aperte confirmare videatur; dum ait Ulp. *quod commissum est, statim desinit ejus esse, qui crimen contraxit, dominiumque rei vectigali* (i. e. juri vectigali seu Fisco) *acquiritur.* Licet in commissi persecutione, adversus heredem vel possessorem instituenda, dum forte negat rem commissam esse, (quod & in ipso defraudatore secundum ante dicta locum habere potest,) quandoque fieri possit, ut sententia declaratoria opus sit.

XLII. Quod si autem judicio opus sit, quo remedio agendum sit, similiter non convenit. Et quidem *condictio indebiti* non competit; quia in casu veri debiti id, quod debitum erat, solutum est, & proinde cessat. *l.* 19. §. 1. *l.* 44. *D. de cond. indeb.* Nec *condictio sine causa;* qua agitur cum sine causa aliquid solutum est: *l.* 1. *pr.* §. 1. *D. de condict. sin. caus.* hic autem dicto casu suberat causa debiti. Neque actio *de vi bonorum raptorum;* quia illa tantum competit, si res mobilis ablata sit, in qua furtum fieri potest. §. 1. *I. de vi bon. rapt.* Ut adeo vel singulare sit remedium recuperandæ possessionis, uti vult Menoch. *Remed. v. Recup. poss. n.* 4. vel locum habeat condictio ex lege. arg. *l. un. D. de cond. ex leg.* Bart. *ad h. l. n.* 13. Menoch. *d. l.*

XLIII. Illud etiam quæsitum, An talis debitor, qui utitur jure hujus Decreti, tutus sit in conscientia? Quod affirmandum videtur; dummodo in eo, qui vim infert, verus sit dolus, & contemtus Magistratus. v. Brunnem. *ad h. n. l.* 13. *n.* 7.

XLIV. Plane non desunt casus, quibus Decretum hoc D. MARCI cessat. Nam I. locum non habet, si debitor rem sponte dederit, vel creditor eam volente & consentiente debitore occupaverit. *l. h. n.* 13. *l.* 3. *C. de pign. l. pen. C. de pign. act. l.* 30. *D. eod.* Lucrum enim invito non addicitur, cum invito non fiat beneficium, *l.* 69. *D. de R. J.* neque volenti fiat injuria. *l.* 1. §. 5. *D. de injur.* Sola enim conventio, ut creditori rem debitam propria auctoritate occupare liceat, non sufficit, si postea contradicat & resistat; quia, ut debitori contradicenti vis fiat, nulla pactione effici potest. *d. l.* 3. *C. de pign.* arg. *l. ult. D. ad L. Jul. de vi priv. d. l.* 30. *D. de pign. act. l.* 116. *D. de R. J. l.* 5. *D. de pact. dot. l.* 6. *C. de pact.* Non obst. *d. l. pen. C. de pign. act.* in verb. *Citra conventionem vel præsidialem jussionem.* ubi particula disjunctiva *vel.* videtur posita pro conjunctiva *&*. secundum *l.* 53. *D. de V. S.* & expositionem Græcorum, qui dicta verba sic exprimunt: χωρὶς συμφώνου καὶ ἀρχικῆς κελεύσεως. Basil. *L.* XXV. *T.* 1. *n.* 53. Licet & verbum *conventionis* de voluntate debitoris perseverante accipi possit, secundum *d. l.* 30. *D. de pign. act.*

XLV. Porro II. cessat, si auctore Judice competente res ablata sit. *h. n. l.* 13. *d. l.* 3. *C. de pign. d. l. pen. C. de pign. act.*

III. Si quis rem suam propria auctoritate abstulerit debitori fugienti. *l.* 10. §. 16. *D. quæ in fraud. cred.* Est enim in mora periculum, neque aliunde sibi consultum habet creditor.

IV. Si legatarius rem sibi legatam, & ab herede nondum possessam, propria auctoritate occupaverit. *l.* 1. §. 2. *D. quod legator.* Licet enim hoc casu *Interdictum Quod legatorum* contra eum locum habeat, *d. l.* 1. § 2. dominium tamen rei legatæ ob hoc, uti jam dictum, non amittit. *d.* §. 2.

V. Si quis alicui rem per vim auferat, qui alteri prius vim intulit. arg. *l.* 12. §. 1. *D. quod met. caus.* Bus. *ad h. l. n.* 13. *n.* 2.

VI. Si remedium hujus Decreti XXX. annorum ſpatio præſcribi paſſus ſit. *l.* 3. *C. de præſcr.* 30. *ann.*

XLVI. Addunt quidam *Pœnitentiam*. Sed male, uti conſtat ex *l.* 65. *D. de furt.* ubi de *fure* reſpondet Ulp. eum, qui mutato conſilio rem contrectatam domino reddidit, nihilominus furem eſſe, quia *nemo tali peccato pœnitentia ſua nocens eſſe deſiit*. Quemadmodum de *raptore* Gajus in *l.* 5. *D. de vi bon. rapt.* non prodeſſe ei, qui vi rapit, ad evitandam pœnam, ſi ante judicium reſtituat rem, quam rapuit. Niſi aliquid intercedat, per quod debitor, cui res ablata eſt, dici poſſit, pœnam & jus ſuum remiſiſſe. arg. *l.* 11. §. 1. *l.* 17. §. 6. *D. de injur.*

XLVII. Plane, qui vim alicui infert, & ſibi jus dicit, non tantum incidit in hoc noſtrum *Decretum* D. MARCI, ſed inſuper & aliis modis coërcetur; concurrit enim cum hoc Decreto ejusque remedio I. *Actio de Vi bonorum raptorum* in quadruplum. *pr. &* §. 1. *I. de vi bon. rapt.*

II. *Actio Injuriarum æſtimatoria*, quæ competit contra perſonam, vel bona alicujus detinentes, §. 1. *I. de injur.* *l.* 1. §. 6. *l.* 15. §. 31. *D. de injur.* *l.* 31. §. 5. *D. de reb. auct. jud. poſſ.* uſum rei propriæ impedientes, *l.* 13. §. *ult. D. de injur.* & inviti alicujus domum ingredientes, *l.* 23. *D. eod.* ut & *Actio ex L. Cornelia*, propter injuriam, manu vel violento ingreſſu in domum alicujus factam, ſive domus ſit propria, ſive conducta. *l.* 5. §. 2. *D. de injur.* junct. §. 8. *I. eod.*

III. *Interdictum Unde vi.* v. §. 6. *I. de interdict. t. D. de vi & vi arm.*

IV. Remedium ſeu condictio ex *l.* 6 *l.* 7. *l. f. C. unde vi.*

V. Remedium *l.* 4. *C. fin. reg.*

VI. Remedium *l. un. C. de ſuffrag.* v. Diſſ. N. IV. *de Cauſ. Obl. c.* III. § 5. *& ſeqq.*

VII. Remedium *l.* 7. *C. de pagan.* v. Harpr. *ad h. n. l.* 13. *Sect.* VIII. §. 1.

XLVIII.

XLVIII. Illud supereſt, ut de *uſu Decreti* D. MARCI videamus, An moribus hodiernis adhuc ſervetur, an vero abrogatum ſit? Et quidem poſterius ſtatuunt Groeneweg. ad *h. l.* 13. Covarruv. *L.* III. *Reſol.* 16. *n.* 7. aliique, qui rigorem ejus totius Chriſtiani Orbis uſu antiquatum eſſe tradunt. Sed Decretum noſtrum per deſuetudinem non eſſe ſublatum, aſſerunt Brunnem. *ad h. l. n.* 13. Schilter. *Exerc. ad Pand.* XI. §. 13. Stryck. *Uſu mod. Pand. ad t. D. quod met. cauſ.* Licet enim quidam tali jure non utantur, ideo tamen ſtatim abrogatum dici nequit. v. Diſſert. N. *de Jur. Rhadam. p.* 60. Et ſane idem fere apud *Wiſi-Gothos* conſtitutum fuiſſe, apparet ex *Leg. Wiſi-Gothic. L.* VIII. *Tit.* 2. nec non apud *Oſtro Gothos*, ex *Edict. Theodorici* Regis, *c.* 10. 65. & Caſſiod. *L.* IV. *Var. Ep.* v. Schilt. *d. l.* Grot. *de J. B. ac P. L.* I. *c.* 3. §. I. Quemadmodum Legem *Valentiniani*, quæ eſt in *l.* 7. *C unde vi.* confirmavit Rex *Athalaricus*, *Conſt.* 40. apud Goldaſt. *Conſt Imp. p.* 108. Idemque receptum apud *Longobardos* apparet ex 2. *Feud.* 27. §. 2. & 2. *F.* 53. *pr.* (ubi damni ſecundum *Leges* reſarciendi ſit mentio) & Edicto Regis *Guidonis* apud Goldaſt. *d. Tr. p.* 272. qui circa A C. 891. de invaſionibus ita ſtatuit: *Si quis ipſas res ſine Lege invaſerit, non ſolum ipſas res amittat, ſed inſuper ban-num noſtrum componat.* Idemque confirmavit *Carolus* V. Imp in *Ordinat. Cam. Imp.* zu Worms A. C. 1521. auffgericht/ *tit.* Wie es in Irrung der Poſſeſſion und derſelben Entſetzung halben gehalten werden ſoll. §. 2. & in declaratione Pacis Publicæ. *Tit.* 8. Quod diſerte repetitur *Receſſ. Imp. de A.* 1532. ſub rubr. Cammer-Gericht betreffende. §. 15. Atque id ipſum de *Praxi Cameræ Imp.* atteſtantur Harpr. ad *t. I. de vi bon. rapt. n* 4. Frantzk. & Heig. ad §. 2. *I. de interd.* & §. 8. *I. de jud. publ.* & paſſim obtinet in Germania. v. Harpr. ad *l. h. n.* 13. *Sect.* IX §. 7. *& ſeqq.* Idemque fere de *Uſu Hiſpaniæ, Galliæ, Italiæ*, tradunt Bertazoll. *Conſult. Deciſiv. L.* II. *Conſ.* 401. *n.* 2. Gutierez *L.* I. *Pract. Q.* 77 *n.* 4. P. Greg. Tholoſ. *Synt. L.* XXII. *c.* 5.

*c.*5. *n.* 2. 3. Menoch. *Rem. Recup. Poſſ.* IX. *n.* 8. vid. Harp. ad *l. h. n.* 13. *Sect.* X. §. 12. Et licet in Belgio talis creditor jus crediti non amittat, tamen ad id, quod intereſt, adverſario vim paſſo tenetur, & inſuper, pro modo violentiæ, arbitrio Judicis coërcetur. v. Inſtruct. Cur. Holl. *art.* 48. Groenew. *ad* §. 1. *de vi bon. rapt.* Waſſen. *Pract. Jud. c.* XIV. *n.* 15. 16. Voet *ad t. D. quod met. cauſ. n.* 17. *in f.*



DISSERTATIO QUADRAGESIMA.

Marcellus *Libro vicensimo nono Digestorum.*

Proxime in cognitione Principis, cum quidam heredum nomina induxisset, & bona ejus ut caduca a Fisco vindicarentur, diu de Legatis dubitatum est, & maxime de his [Legatis] quæ adscripta erant his, quorum institutio fuerat inducta. Plerique etiam legatarios excludendos existimabant: quod sane sequendum ajebam, si omnem scripturam testamenti cancellasset: nonnullos opinari, id ipso jure perimi, quod inductum sit; cætera omnia valitura. Quid ergo? Non & illud interdum, credi potest, eum qui heredum nomina induxerat, satis se consecuturum putasse, ut intestati exitum faceret? Sed in re dubia benigniorem interpretationem sequi, non minus justius est, quam tutius. Sententia Imperatoris Antonini Augusti, Pudente & Pollione Consulibus. *Cum* Valerius Nepos, *mutata voluntate* [*&*] *inciderit testamentum suum, & heredum nomina induxerit, hereditas ejus, secundum Divi Patris mei constitutionem, ad eos, qui scripti fuerint, pertinere non videtur.* Et Advocatis Fisci dixit: *vos habetis Judices vestros.* Vivius Zeno dixit: *Rogo, Domine Imperator, audias me patienter: de legatis quid statues?* Antoninus Cæsar dixit: *videtur tibi voluisse testamentum valere, qui nomina heredum induxit?* Cornelius Priscianus Advocatus Leonis dixit: *Nomina heredum tantum induxit.* Calpurnius Longinus Advocatus Fisci dixit: *non potest ullum testamentum valere, quod heredem non habet.* Priscianus dixit: *manumisit quosdam, & legata dedit.* Antoninus Cæsar, remotis omnibus cum deliberasset, & admitti rursus eosdem jussisset, dixit: *Causa præsens admittere videtur humaniorem interpretationem: ut ea duntaxat*

taxat existimemus, Nepotem *irrita esse voluisse*, *quæ induxit.* Nomen servi, quem liberum esse jusserat, induxit. Antoninus rescripsit, liberum eum nihilominus fore. Quod videlicet favore constituit libertatis. *l. 3. D. de his quæ in testam. del.*

I. *Auctorem* h. n l. 3. Ulpium Marcellum esse, *eumque floruisse sub Antonino Pio & Divis Fratribus, & egregium fuisse JCtum, magnæque auctoritatis.* II. *Quænam sit facti species?* III. *Id, quod testator sanæ mentis consulto in testamento delevit & induxit, non valere.* IV. *An, si heredis nomen inductum sit, legata debeantur? dubitatum esse.* V. *Quænam sententia probata sit?* VI. *Eamque confirmatam esse in cognitione Principis.* VII. *Quid sit* cognoscere, *& quid* Principis cognitio? VIII. *Quid Fiscus dicto casu fecerit? Et quænam sint* caduca? IX. *Quibusque ea cesserint? ubi & de Lege* Julia *&* Papia. X. *An Fiscus bona bene vindicaverit? Et quid de Legatis placuerit?* XI. *Per Antoninum Imp. in* h. n. l. 3. MARCUM ANTONINUM *intelligendum esse.* XII. *Sententia* MARCI. XIII. *Quænam sit* Constitutio, *ad quam Imp. provocat?* XIV. XV. XVI. XVII XVIII. XIX. XX. *Formula Disputationis partium & Advocatorum coram Principe.* XXI. *Quid præmissum Decreto?* XXII. *Ipsum Imp.* MARCI *nostri Decretum.* XXIII. τὸ videtur *hic vim affirmandi habere.* XXIV. *An hoc Decretum Jure novo adhuc obtineat, & ad similia extendi possit?* XXV. *Quid juris, si testator nomen servi, cui libertatem & legata dederat, induxerit?*

I. Auctorem *h. l. n.* 3. *Marcellum* esse ex inscriptione manifestum est. Qui plene dictus est *Ulpius Marcellus*, v. Capit. *in Antonin. Pio, c.* 12. & floruit sub Antonino Pio, cui & a consiliis fuit,* Capit. *d. l.* & Divis Fratribus, nec non

solo Marco nostro; *l. 19. §. 1. D. de testam. tut. l. h. n. 3.* JCtus egregius, magnæ auctoritatis, ut & Ulp. ejus auctoritate ad firmandam suam sententiam usus sit; *l. 17. §. ult. D. mand. l. 10. C. de condict. indeb.* scriptisque illustris, inter quos celebres sunt *Libri Digestorum* ejus XXXI. uti habetur in *Indice JCtor. Pand. Flor.* vel XXXIX. uti in *inscr. l. 2. D. de captiv.* ex quorum XXIX. Lex *n.* 3. excerpta est.

II. Ait autem Marcellus: *Proxime in cognitione Principis, cum quidam heredum nomina induxisset, & bona ejus ut caduca a Fisco vindicarentur, diu de legatis dubitatum est, & maxime de his legatis, quæ adscripta erant his, quorum institutio erat inducta.* Species scil. facti hæc est. *Valerius Nepos* fecit testamentum, in quo heredes scripsit, & varia legata reliquit. Post consummationem nomina heredum delevit. Fiscus bona ut caduca sibi vindicat. Quæsitum est, An Legata relicta valeant?

III. Quod ut eo rectius intelligatur, præmittendum est, ea, quæ a testatore sanæ mentis, v. *l. ult. D. de injust. rupt. irr. testam.* in testamento consummato, consulto deleta & inducta sunt, non valere: *l. 1. pr. §. 3. D. de his quæ in testam. del. l. 12. l. pen. C. de testam.* ut, si totum testamentum deletum, inductum, cancellatum, vel quacunque ratione corruptum sit, totum infirmetur, nec hereditas, nec legata, nec fideicommissa ex eo peti possint; *d. l. 1. §. 3. l. n. 3. D. de his quæ in testam. del. l. 2. §. 7. l. 8. §. 3. D. de bon. poss.* si vero pars dispositionis, ordinario pars illa tantum, quæ deleta vel corrupta est. arg. *dd. ll.*

IV. Ut adeo dicto casu merito quæsitum sit, An Legata relicta valeant, & præstanda sint? Et quidem de iis diu dubitatum esse monet Marcellus. Plerique enim Legatarios excludendos existimabant; illa haud dubie ratione, quod testamentum, heredis institutione destitutum, non subsistat, & proinde nec legata valeant: §. 34. *I. de legat.* quodque eo ipso,

ipso, dum heredum nomina induxit, satis ostenderit, sese intestatum velle decedere, quod & concedit Marcellus, si omnem testamenti scripturam cancellasset, quin & (quod forte alios movit) scriptis heredibus tanquam indignis hereditatem ademisse. Nonnulli vero opinabantur, id ipso jure perimi, quod inductum est, cætera omnia valitura, & proinde, quia legata non sunt inducta, ea salva mansisse. Neque, quod de indignis monitum, difficultatem videtur movisse, quia testator nomina heredum non delevit cum elogio, quod eos tanquam male meritos indignos judicaverit; quod præsupponi nequit.

V. Quam posteriorem sententiam, & quidem summa ratione Marcellus probat, dum subjicit: *Sed in re dubia benigniorem interpretationem sequi, non minus justius est, quam tutius.* Quæ aurea regula repetitur ex eodem Marcelli Libro in *l.* 192. §. 1. *D. de R. J.* & a Gajo in *l.* 56. *D. eod.* dum ait: *semper in dubiis benigniora præferenda sunt;* nec non Ulp. in *l.* 10. §. 1. *D. de reb. dub.* dum inquit: *in ambiguis rebus humaniorem sententiam sequi oportet*; aliisque confirmatur. v. *l.* 168. *D. de R. J. l.* 155. *D. eod.* Cum semper, uti idem docet Ulp. in obscuris id, quod minimum est, sequi oporteat; *l.* 9. *D. eod.* & in dubio contra Fiscum pronunciandum sit, *l.* 10. *D. de reb. dub.* cujus mala non solet esse causa, nisi sub bono Principe. Plin. *Paneg. c.* 36.

VI. Et ne ullus scrupulus superesset, sententiam Marci nostri ita decernentis simul exhibet. Cum enim pro sententiis dissentientium utrimque rationes non deessent, res tanti momenti visa est, ut de eo actum sit in *cognitione Principis*, maxime cum concurreret causa Fisci. *l. n.* 3. *pr.*

VII. *Cognoscere* in genere dicitur, qui rem causamque cognoscit: v Cic. *Ep. ad Fam. L.* 111. *Ep.* 2. *l.* 3. *C. si a non comp. jud.* sive privatus sit, sive Judex datus, sive Magistratus, sive Princeps. *l.* 8. *l.* 9. *D. de off. Præf.* Suet. *in Claud. c.* 15. *l.*

4. §. 1. *D. de eo quod cert. loc. l.* 35. *de her. inst. l.* 5. §. 8. *D. de agn. lib. l.* 6. *pr.* §. 2. *C. de appell.* Sed aliquando *cognitiones* in specie dicuntur, quæ juris non sunt ordinarii, sed extra ordinem fiunt, cum scil. ipse Prætor aliusve Magistratus, sine Judice dato, vel Princeps de causa cognoscit, & sententiam pronunciat. v. *l.* 178. §. 2. *D. de V. S.* Suet. *in Claud. d. c.* 15. Quæ aliquando *cognitiones*, Suet. *d. l. l.* 20. *D. de appell.* & plenius *extraordinariæ cognitiones* vocantur. *t. D. de extraordin. cogn.* Princeps enim in causis gravioribus sæpenumero extra ordinem, i. e. extra locum, strepitum, formulasque judicii judicabat, partibusque auditis sententiam pronunciabat; quæ inde *cognitionalis sententia*, *l. un. C. de sent. Præf. Præt. l.* 13. *C. de sent. & interl.* seu *Imperialis sententia in cognitione prolata*, (quarum complures libros collegit Paulus) dici solet. v. supr. Diss. 11. *c.* 11. §. 14. & Diss. xxxix. §. 5.

VIII. Quantum autem ad Fiscum attinet, Fiscus bona *Valerii Nepotis* ut *caduca* vindicaverat. Quæ qualia fuerint paucis videndum. Scilicet *caducum* in genere est, quod fragile est & facile cadere potest, v. Cic. *de Amic. c.* 27. vel quod jam cecidit. v. Hor. 11. *Od.* xiii. ỳ. 11. Colum *de R. R. L.* xii. *c.* 50. *l.* 30. *D. de V. S.* In Jure vero nostro *caduca* maxime sunt bona, quæ in Fiscum cadunt; *l.* 9. *l.* 20. *D. de SCto Silan.* in specie vero, quod quis sibi testamento relictum, ita ut jure civili capere posset, aliqua ex causa non ceperit, veluti cecidit ab eo: verbi gratia, si cœlibi vel Latino Juniano legatum fuerit, nec intra dies centum, vel cœlebs legi paruerit, vel Latinus jus Quiritium consecutus sit; aut si ex parte heres scriptus, vel legatarius, ante apertas tabulas decesserit, vel pereger factus sit. Ulp. *Fragm. T.* xvii. ubi vid. Cuj. ut & Parat. *ad T. C. de caduc.* nec non Cl. Schult. ad *Ulp. d. l.*

IX. Qualia primum Ærario deferebantur, sed deinceps sublato discrimine inter Ærarium & Fiscum, ex Lege *Julia*

&

& *Papia*, cadebant in Fiscum. Quæ, exhausto bellis civilibus Ærario, ei augendo inventa est ab Augusto, & lata M. Papio Mutilo & Q. Poppæo Consulibus, sc. suffectis, A.U.C.762. post N.C.9. vid. Tacit. *Ann. L.* III *c.* 25. Dio Cass. *L.* LVI. *p.* 578. Ulp. *d.l.l.un. pr. C. de cad toll.* sed postmodum tum per JCtos, tum per alios Impp. tum maxime per Justinianum restricta, & novissime per Justinianum Imp. abrogata est. *d. l. un.*

X. Sed an dicta bona Fiscus jure vindicaverit, porro dubium est. Et quidem omnia bona Fisco adjudicata esse satis non constat. Licet improbabile non videatur, Fiscum dicto casu bona vindicasse tanquam indignis ademta, quæ secundum *l.* 4. *C. de his quæ ut indign.* Fisco cedunt: cum cæteroquin ea, quæ in testamento delentur, ordinario non Fisco, sed heredibus legitimis competant. *l. ult. D. de his quæ in testam. del. l. pen. C. de testam. l.* 1. §. *ult. D. si tab. null. extab.* Quantum vero ad Legata attinet, quid placuerit, Marcellus clare subjicit, & Marci nostri de eo sententiam exhibet, dum pergit: *Sententia Imperatoris* Antonini Augusti, *Pudente & Pollione Consulibus.*

XI. Licet enim solius *Antonini* Augusti fiat mentio, nullus tamen alius ex Antoninis Impp. intelligi potest, quam Marcus Aurelius Antoninus noster., uti apparet ex Consulibus subjectis. Pudens enim & M. Vitrasius Pollio Consules fuere sub Imp. Marco, A U. C. 918. post N. C. 167. & porro manifestum ex *l.* 12. & *l.* 16. §. *ult. D. de his quib. ut indign.* quemadmodum & alibi Marcus Imp. tantum Antoninus dicitur. v. supr. Diss. 1. §. 18.

XII. Porro pergit: *Cum* Valerius Nepos, *mutata voluntate* [&] *inciderit testamentum suum, & heredum nomina induxerit, hereditas ejus, secundum Divi Patris mei constitutionem, ad eos, qui scripti fuerint, pertinere non videtur.* Qui enim testamentum incidit, & nomina heredum inducit, re:

ipsa

ipsa scriptis heredibus hereditatem adimit, & contrariam voluntatem, se sic scil. nolle testatum, declarat. *l.* 16 *D. de adim. leg. h. n. l.* 3.

XIII. Provocat autem ad Constitutionem *Patris sui;* per quam intelligere videtur *Antoninum Pium*, a quo adoptatus erat. v. Cuj. ad *h: n. l.* 3. supr. Diss. 1. §. 8. Quemadmodum & Justinianus *Justinum* Imp. *patrem suum* vocat, §. 3. *I. de don.* §. 4. *I. quib. non est permiss. fac. test.* cum tamen pater Justiniani non Naturalis, sed tantum Adoptivus esset. Quæ tamen Constitutio non amplius superest.

XIV. Ut vero de omni re eo plenius constet, exhibetur elegantissima formula Disputationis partium & Advocatorum, coram Principe.

XV. Sequitur enim: *Et Advocatis Fisci dixit*, vos *habetis Judices vestros.* Quasi vellet dicere, non est necesse, vos ea de re adire Imp. cum habeatis Judices proprios & singulares, qui de rebus Fisci cognoscere solent: qui primis temporibus & in Urbe Quæstores seu Præfecti Ærarii erant, *l.* 12. *D. de his quæ ut indign. l.* 2. §. 4. *D. ne quis in loc. publ. l.* 15. §. *ult. l.* 42. D. *de jur. fisc. l.* 8. §. 19. *D. de transact.* postmodum vero in Provinciis Procurator Cæsaris seu Rationalis, v. *l.* 1. *l.* 2. *l.* 5. *C. ubi caus. Fisc.* ita tamen, ut Præses non excludatur. *dd. ll.*

XVI. *Vivius Zeno* dixit: (qui unus videtur fuisse ex legatariis) *rogo, Domine Imperator, audias me patienter, de legatis quid statues?* Si quis enim coram Imperatore compareat, eumque alloquatur, summa cum reverentia & submissione id fieri debere res ipsa loquitur. Licet enim Augustus nomen *Domini* aspernatus sit, imo ut maledictum exhorruerit, Dio Cass. *L.* LIII. *p.* 507. Suet. *in Aug. c.* 52. 53. Tacit. *Ann. L.* III. *c.* 56. successu temporis tamen, cum firmatum jam satis esset solium Imperatorium, Principibus majores tituli dari cœperunt, ut non tantum *Domini*, sed

&

& *Reges*, quales revera erant, vocarentur. v. *l.* 9. *D. ad L. Rhod. de jact.* Quin & nomen *Domini* paulatim commune quasi factum, ut & ipsi privati, mariti scil. *l.* 25. *D. de usu & usufruct.* *l.* 57. *D. de don. int. vir. & ux.* *l.* 88. §. 2. *D. de leg.* 2. uxores, *l.* 41. *D. de leg.* 3. *l. ult.* §. 1. *l.* 19. §. 1. *D. de aur. arg. leg.* familiares, & qui salutabantur, v. *l.* 22. *D. ad L. Falcid.* *l.* 26. *D. de pec. const.* Mart. II. *Epigram.* 68. VI. *Epigr.* 88. obvii ignoti, Sen. *Epist.* 111. Mart. I. *Epigr.* 113. imo ipsi quoque servi, Mart. V. *Epigr.* 57. Menag. *Amœn. c.* 25. sic salutati sint.

XVII. *Antoninus Cæsar* dixit: *Videtur tibi testamentum valere, qui nomina heredum induxit?* Interrogative, uti & alibi. v. *l.* 97. *D. de leg.* 3. Quæ interrogationes aliquando ita fiunt, ut vim habeant affirmandi: v. Virg. *Ecl.* III. ℣. 17. *& seqq.* *Ecl.* II. ℣. 14. 15. aliquando vero, ut vim habeant negandi, uti hic. Non enim videri potest velle testamentum valere, qui nomina heredum induxit; cum notum sit, testamenta vim ex institutione heredis accipere, §. 34. *I. de legat.* *l. ult. D. de jur. codicil.* cumque, qui id, quod scriptum est, inducit, adimere. *l.* 16. *D. de adim. leg.* Quo sensu & interrogandi modo usus est Cic. *pro Archia Poeta. c.* 9. *Nos hunc virum, qui & voluntate & legibus noster est, repudiabimus?* quod utique nihil aliud vult, quam *nullo modo repudiabimus.* add. Voss. *Rhet. L.* IV. *c* 21. §. 22.

XVIII. *Cornelius Priscianus* Advocatus Leonis (alterius scil. legatarii) dixit: *Nomina heredum tantum induxit;* id autem tantum perimitur, quod inductum, cætera omnia valent. Uti non sine ratione ratiocinati sunt (uti supra monitum) & alii.

XIX. *Calpurnius Longinus* Advocatus Fisci dixit: *Non potest ullum testamentum valere, quod heredem non habet.* v. d. §. 34. *I. de legat.* *l. ult. D. de jur. codicill.*

XX. *Priscianus* dixit: *Manumisit quosdam*, i.e. libertate dona-

vit, *& legata dedit;* ut & libertatis & legati habenda sit ratio.

XXI. *Antoninus* Cæsar, *remotis omnibus cum deliberasset, & admitti rursus eosdem jussisset, dixit.* Ut enim recte pronuncietur sententia, solitus judiciorum ordo & forma servari debent, & proinde, priusquam sententia pronuncietur, causæ cognitio & deliberatio merito præcedere. *l.* 4. *l.* 7. *C. de sent. & interloc.* Quæ ut commode fieri possint, removendi sunt omnes, i. e. dimittendæ sunt partes eorumque Advocati, (quos consilio interesse non patitur ratio Justitiæ) iisque remotis & absentibus, de causa cognoscendum, vel a solo Principe, Prætore, vel Præside, vel ab eo, qui judicio præest, & Assessoribus. Ubi vero de causa deliberatum est, partes eorumque Advocati rursus admittuntur, & sententia pronunciatur. add. *l.* 6. *C. de usuc. pro emt.* Act. Apost. *c.* XXV. ỳ. 12. Quæ pronunciatio significatur per verbum *dixit.* Uti & sæpe alibi. v. *l.* 1. *C. de appell. & consl. l.* 3. *C. de quæst. l.* 6. *C. de usuc. pro emt.* Cuj. *Obs. L.* XVIII. *c.* 32.


XXII. Dixit autem, seu pronunciavit circa legata: *Causa præsens admittere videtur humaniorem interpretationem, ut ea duntaxat existimemus* Nepotem *irrita esse voluisse, quæ induxit.* Per interpretationem enim *humaniorem*, benigniorem & æquiorem, intelligendam esse, ostensum supra. add. supr. Diss. IV. ỳ. 3. Qualis est, quæ actum magis sustinet quam subvertit, *l.* 12. *D. de reb. dub.* quæ contra Fiscum respondet, *l.* 10. *D. de jur. Fisc.* quæ libertati favet, *l.* 20. *l.* 179. *D. de R. J.* & similes.

XXIII. Et quidem non simpliciter dixit, causam præsentem humaniorem interpretationem admittere, sed *admittere videri.* Non quasi hæsitet, sed ut τὸ *videtur* hic vel maxime affirmet. Ea enim Antiquorum erat modestia, ut non temere aliquid affirmarent vel negarent, sed ita *sibi videri* dicerent. Sic sane JCti de Jure respondentes dicere solebant, *sibi videri*, vel *non videri. l.* 31. *D. de jurej. l.* 5. *pr. D. ad L. Aquil.*

quil. l. ult: §.45. *D. de lib. leg. l.4. D. de ventr. insp. l.41.* §.15. *D. de fideic. lib.* Sic arbitri, *l.* 21. §. 1. *D. de recept.* Judices & Magistratus sententiam dicentes, *l.* 27. §. 1. *D. de liber al. caus. l.* 1. §. 5. *D. ad SCt. Turp.* etiam in gravioribus, *l.* 20. *D. de his qui not. infam.* Fest. in voc. *Parum cavisse.* nec non Principes in Constitutionibus & Decretis. *l. h. n.* 3. *l.* 14. *C. de Jud. l.* 2. *C. de rec. arb.* add. Cuj. *O. L.* 11. *c.* 26.

XXIV. Cum itaque Decretum hoc D. Marci in humanitate seu æquitate, & præsumta voluntate testatoris, habeat fundamentum, neque usquam abrogatum sit, (lege enim 30. *C. de testam.* de diverso casu agitur) quominus Jure novo adhuc obtineat, & ad similes casus extendi possit, nihil obstare videtur. *l.* 32. *pr. D. ad L. Aquil. l.* 10. *l.* 12. *D. de LL.* Laut. Disputat. *de Cancell. th.* 47. Brunnem. *ad h. l.* 3. *n.* 2. *& seqq.*

XXV. Quantum autem ad servum attinet, quem testator manumiserat, & legatis honoraverat, ultimo loco monet Marcellus, *Antoninum* rescripsisse, liberum eum nihilominus fore, idque eum libertatis favore constituisse, cujus favore & multa alia introduxit. v. §. 1. *I. de eo cui lib. caus. bon. addic.* supr. Diss. xxxviii. §. 2. Nisi forte appareat, testatorem libertatem adimere voluisse, quo casu aliud dicendum docet Ulp. in *l.* 14. *D. de leg.* 2. *l.* 10. §. 1. *D. de man. vind.*



DISSERTATIO QUADRAGESIMA PRIMA.

Ulpianus *Libro sexagesimo tertio ad Edictum.*

Divus MARCUS ita edixit: *Creditor, qui ob restitutionem ædificiorum crediderit, in pecunia, quæ credita erit, privilegium exigendi habebit.* Quod ad eum quoque pertinet, qui redemtori, domino mandante, pecuniam subministravit. *l. 24. §. 1. D. de reb. auct. jud. poss.*

I. *Ex* Edictis D. MARCI *superesse* Edictum, *quo privilegium datur creditoribus, qui crediderunt pecuniam in restitutionem ædificiorum, notatum ab* Ulpiano *in* l. h. n. 24. §. 1. II. *Quid sint* Edicta? III. *Quis sit* Creditor? *& quid* restituere? IV. *Quid* Pecunia? V. *Quid* Privilegium? VI. Quotuplicia *sint privilegia?* VII. *Quænam sint* causæ *seu* realia? VIII. *Quænam* personæ *seu* personalia? IX. *Quænam hujus privilegii sit* ratio? X. *Ob eandem rationem id extendi ad eum, qui* redemtori, *domino mandante, pecuniam subministravit.* XI. *Quis sit* Redemtor? XII. *An talis creditor jus etiam habeat* pignoris taciti? XIII. *An jus taciti pignoris etiam ei competat, qui credidit in novum ædificium exstruendum, vel emendum, vel navem reficiendam?* XIV. XV. *Dubia removentur.* XVI. *Quid moribus obtineat?*

I. Ex *Edictis* D. MARCI superest Edictum celebre, quo privilegium datum est creditori, qui in restitutionem credidit ædificii. Quod notatu dignum putavit Ulp. qui & varia *Divorum Fratrum*, & ipsius MARCI, Rescripta collegit.

V.

v. fupr. Diff. v. §. 14. *l.* 39. *D. de adopt.* fupr. Diff. xxix. *l.* 5. §. 14. *D. de agn. & al. lib.* Diff. xxxi. *l.* 37. *D. de fideic. lib.* Diff. xxxii. *l.* 1. §. 7. *D. quand. appell.* infr. Diff. xlii.

II. Ait Ulp. Divus Marcus *ita edixit.* Inter fpecies Conftitutionum Principum fuiffe etiam *Edicta*, quibus fcil. Princeps motu proprio, in utilitatem fubditorum, aliquid conftituebat, monitum fupr. Diff. ii. §. 17. & 18. Ex quibus folum, quod quidem dubio caret, (plura enim eum promulgaffe, cura tanti Principis dubitare non patitur, & docet §. 9. *I. de ufucap.*) fupereft *Edictum*, quod Ulp. exhibet in *l. h. n.* 24. §. 1.

III. *Creditor, qui ob reftitutionem ædificiorum crediderit;* Quemadmodum *creditor* in genere is dicitur, cui ex quacunque caufa debetur, *l.* 10. *& feqq. D. de V. S. l.* 1. *D. de R. C.* in fpecie vero, qui mutuum & pecuniam mutuam credidit; v. *l.* 2. §. 1. *l.* 41. *D. de R. C. l.* 9. *pr. D. de auct. tut. l.* 3. §. 3. *D. ad SCt. Maced.* fic & τὸ *reftituere*, & *reftitutionem*, fenfu, modo latiori, modo ftrictiori, accipi notum eft. In *genere reftituere* nihil aliud eft, quam in priftinum ftatum reftituere; v. Cic. *in Verr. L.* ii. *c.* 4. *t. D. de in integr. reft.* in *fpecie* vero de variis rebus accipitur, quæ reftituuntur, uti hic de *reftitutione ædificiorum.* Quo fenfu etiam *reftitui ædes* dixit Cic. *Top. c.* 3. quæ corruerunt, nec non Ulp. in *l.* 10. §. 1. *D. quib. mod. ufusfr. am.* & *ædificii reftitutionem* Papin. *l.* 1. *D. in quib. cauf. pign. vel hyp. tac. contr.*

IV. *In pecunia, quæ credita erit; Pecuniæ* verbum quoque πολύσημον eft: vel enim pro pecunia numerata accipitur; *l.* 7. §. 7. *D. ad SCt. Maced.* vel pro aliis rebus fungibilibus; *l.* 30. *D. de leg.* i. *l.* 2. §. 3. *D. de reb. cred.* vel latiffime pro omnibus rebus, quæ in patrimonio funt, quæve in ftipulatum deduci poffunt. *l.* 2. *C. de pec. conft.* v. *l.* 5. *l.* 23. *l* 178. *l.* 222. *D. de V. S.* Quemadmodum hic latiori fenfu videtur pofitum, ut fcil. non tantum nummos, fed omnem materiam fignifi-

cet, ad restitutionem ædium necessariam. Datum est enim privilegium ob caussam, non vero ob qualitatem rei creditæ. Unde & ei, qui cessante domino suis impensis ædificium restituit, post quatuor menses, per eundem MARCUM ipsum dominium concessum est. *l.* 52. §. 10. *D. pro soc.*

V. *Privilegium exigendi habebit;* quod idem etiam docet Ulp. in *l.* 25. *D. de R. C. l.* 1. *D. de cess. bon. Privilegia* (quæ quasi *privæ leges* dictæ sunt) autem Constitutiones Principum singulares esse, certæ personæ vel caussæ contemplatione præter jus commune constitutas, *l.* 1. §. 2. *D. de const. Princ.* §. 5. *I. de Jur. Nat. Gent. & Civ. l.* 16. *D. de leg.* monitum jam supr. Diss. 11. *c.* 3. §. 1. *& seqq.*

VI. Quæ varie dividuntur. Inter quas divisiones celebris est, qua dividuntur in privilegia *caussæ* vel *personæ*, seu *realia* & *personalia*. *l.* 196. *D. de R. J. l.* 1. §. 43. *D. de aq. quot. & æstiv.*

VII. *Privilegia caussæ* seu *realia* sunt, quæ caussæ vel rei concessa sunt, & cum ea ad heredes aliosque successores, etiam singulares, transeunt; d. *l.* 196. *l.* 1. §. 43. *D. de aq. quot. & æstiv.* qualis est immunitas prædiis concessa, *l.* 3. §. 1. *D. de censib. l.* 4. *D. de jur. immun.* & similia.

VIII. *Personæ* vero seu *personalia*, quæ personæ concessa cum eadem exstinguuntur; *d. l.* 196. *l* 68. *D. de R. J. l.* 1. §. 43. *D. de aq. quot.* qualia sunt beneficium competentiæ, *l.* 12. *l.* 18. *pr. D. sol. matr. l.* 63. §. 1. *D. pro soc.* dotis, *l. un. C. de priv. dot. l.* 12. §. 1. *C. qui pot. in pign.* privilegium Fori, v. *l.* 2. *l.* 4. *pr.* & §. 1. *D. de in jus voc. t. D. si quis in jus voc. non ier.* legatorum, *l. ult. D. de legation.* militum, *l.* 40. *D. de admin. & peric. tut.* pupillorum, *l.* 42. *l.* 44. *D. eod.* minorum, Professorum, studiosorum, nec non creditorum, qui pecuniam in restitutionem ædificiorum crediderunt. *h. l.* 24. §. 1. Quæ nonnunquam & κατ' ἐξοχὴν *privilegia*, ut scil. jus prælationis & prærogativæ inter personales actiones significent, dicuntur, *l.* 74. *D.*

D. de jur. dot. l. 10. *D. ad munic. l.* 10. *D. de cess. bon. l.* 58. §. *ult. D. mand.* ubi *privilegium* & *pignus*, tanquam diversa, sibi opponuntur, ut & *l. h. n.* 24. §. 1.

IX. Neque sine justa ratione id privilegium huic creditori concessum est; ratio enim sita est in utilitate publica, ne scil. ruinis publicus Urbis deformetur aspectus, cujus maximam curam habuere Romani. v. *l.* 2. §. 17. *l. ult. D. ne quid in loc. publ. l.* 2. *C. de ædif. priv. l.* 20. §. 10. *D. de op. nov. nunc.* Diss. N. VI. *de C. O. c.* 1. §. 18. *& seqq.*

X. Ob quam rationem id privilegium etiam extenditur ad eum, qui Redemtori, domino mandante, pecuniam subministravit. Subjicit enim Ulp. *Quod ad eum quoque pertinet, qui redemtori, domino mandante, pecuniam subministravit.* Ubi enim eadem est ratio, ibi idem jus æstimari debet. *l.* 32. *in f. D. ad L. Aquil.* add. *l.* 10. *l.* 12. *D. de LL.*

XI. Est autem hoc loco *Redemtor*, qui quid a Fisco vel privato conduxit. Fest. in voc. *Redemtores. Redemtores proprie atque antiqua consuetudine dicebantur, qui, cum quid publice faciendum aut præbendum conduxerant effeceruntque, tum demum pecuniam accipiebant. Nam antiquitus emere pro accipere ponebatur. At ii nunc dicuntur* Redemtores, *qui conduxerunt præbendum utendumve.* Eodemque sensu *redemtores operum* dicuntur, qui opera facienda conduxerunt, *l.* 17. §. 2. *D. de usur. l.* 2. §. 11. *l. ult. D. de adm. rer. ad civ. pert. l.* 2. §. 1. *D. de op. publ.* & *redemtores* simpliciter, uti hic, & in *l.* 1. *D. in quib. caus. pign. vel hyp. tac. contrah.*

XII. Sed dictis contrarium videtur, quod tradit Papinianus in *l.* 1. *D. in quib. caus. pign. vel hyp. tac. contr.* D. MARCUM scil. tali creditori non privilegium personale, sed jus tacitæ hypothecæ tribuisse, dum ait: *Senatusconsulto, quod sub* MARCO *Imp. factum est, pignus insulæ creditori datum ei, qui pecuniam ob restitutionem ædificii exstruendi mutuam dedit, ad eum quoque pertinebit, qui redemtori, domino mandante,*

dante nummos ministravit. Verum non continuo contrariantur sibi leges, quarum una minus, altera vero plus dicit. Scil. distinguendum inter tempora. D. MARCUS primum *Edicto* privilegium personale dedit creditori, qui credidit in restitutionem ædificii, *l. h. n.* 24. §. 1. sed idem Imp. *Senatusconsulto,* quod deinceps conditum est, ut complures invenirentur, qui in eam causam pecuniam credere vellent, constituit, ut ipsa quoque *insula* seu ædificium, v. *l.* 3. §. 2. *D. de off. Præf. Vig. l.* 11. *D. de peric. & comm. rei vend.* etiam tacite pignori esset obligatum. Neque in eo iterum sibi ipsi contrarius putandus idem Ulp. qui in *l.* 52. §. 10. *D. pro soc.* videtur tradere privilegium personale, *Oratione* D. MARCI seu *SCto* introductum; casus enim, de quo ibi agitur, diversus est. Ut dicendum videatur, vel dicti SCti diversa fuisse capita, v. Cuj. *O. L.* XIX. *O.* 20. vel, quod magis videtur, de eo casu diversum etiam conditum fuisse Senatusconsultum. Absonum sane non est, *privilegium* & *hypothecam* aliquando concurrere; ut apparet ex eo, quod de privilegio Fisci dicitur, *l.* 34. *D. de reb. auct. jud. poss.* & pupillorum, *l.* 19. *& seqq. D. eod.* qui tamen & hypothecam habent. Bachov. *de pign. L.* 1. *c.* 12.

XIII. Qua occasione ulterius quæsitum est, An jus illud taciti pignoris, SCto concessum, etiam ei competat, qui credidit in novum ædificium exstruendum, vel emendum, vel navem reficiendam? Quod negandum videtur; Senatusconsultum enim de insula tantum seu ædificio restituendo, non vero de aliis causis loquitur. Jura autem singularia non producuntur ad consequentias: *l.* 14. *D. de LL.* tum & illi, qui in novum ædificium exstruendum, vel emendum, vel navem reficiendam, pecuniam crediderunt, tum demum jus pignoris habent, si expresse sibi de hypotheca prospexerint. *l.* 17. *C. de pign. l.* 7. *D. qui pot. in pign. N.* 136. *c.* 3. Quo ipso tacitum pignus utique satis excluditur.

XIV.

XIV. Neque obstant *l.* 26. *l.* 34. *D. de reb. auctor. judic. possid.* quandoquidem illæ leges de privilegio personali, non vero de tacito pignore, loquuntur. Non etiam 11. *l.* 5. *l.* 6. *D. qui pot. in pign.* quæ agunt de casu, quo de pignore expresse convenit, *d. l.* 17. *C. de pign.* quod & ex ipsa *l.* 5. apparet, in verb. *obligata.* quia τὸ *obligare*, pro *expresse pignori obligare*, v. *l.* 5. *D. de O. & A. l.* 13. §. 11. *D. loc. cond.* & *res obligata*, pro expresse pignori obligata, non semel ponitur: v. *l.* 57. *D. de leg.* 1. *l.* 33. *D. ad L. Falcid. l. ult. D. de leg.* 2. tum & dd. leges positæ sunt sub tit. *qui pot. in pign.* in quo non quæritur, quo modo pignus constituatur, sed quis constituti pignoris sit effectus, & quinam in eo potiores sint. v. Vinn. 11. *Q.* 4. Cl. Noodt ad *d. t. qui pot. in pign.* Neque 111. *N.* 97. *c.* 3. quæ similiter de pignore loquitur expresso, non vero tacito, quod per legem datum est.

XV. Sed majorem difficultatem habere videtur, quod urgent Diss. eandem in navibus, imo majorem esse rationem, cum in navium exercitio summa consistat Reip. *l.* 1. §. 20. *D. de exerc. act.* ac proinde idem jus statuendum esse. *l.* 32. *pr. D. ad L. Aquil.* Quod certe colorem habet, ubi vero paulo propius consideratur, etiam ultro evanescit. Romani enim, ut jam monitum, non tanti fecerunt navium exercitium, quam publicum urbis aspectum. Imo licet eadem vel major ratio esset in refectione navium, ex paritate tamen rationis pignus tacitum a JCtis introduci non posset; quia id solius Legis & Legislatoris est, ut ultra casus lege expressos a privatis id extendi nequeat. *l.* 6. §. 4. *C. de bon. quæ lib.*

XVI. Plane cum quibusdam in locis, uti Belgio, aliisque, plurimum conferant ad utilitatem publicam ipsamque salutem Reip. navium exercitium & commercia, in iis quoad naves aliud receptum esse, nemo mirabitur. vid. Grot. *Introd.*

L. II. *p.* 48. *n.* 14. A. Matth. *de Auct. L.* I. *c.* 19. *n.* 35. S. van Leeuw. *Cens. For. P.* I. *L.* IV. *c.* 9. *n.* 5. Voet ad *d. t. in quib. caus. pign. vel hyp. tac. contr. n.* 29. Hub. ad *d. t. n.* 8.



DIS-

DISSERTATIO QUADRAGESIMA SECUNDA.

Ulpianus *Libro* I. *de Appellationibus.*

Dies autem istos, quibus appellandum est, utiles esse, *Oratio* D. MARCI voluit, si forte ejus, a quo provocatur, copia non fuerit, ut ei libelli dentur. Ait enim: *Is dies servabitur, quo primo adeundi facultas erit.* Quare si forte, post sententiam statim dictam, copiam sui non fecerit is, qui pronunciavit, ut fieri adsolet, dicendum est, nihil nocere appellatori. Nam ubi primum copiam ejus habuerit, poterit provocare. Ergo si statim se subduxit, similiter subveniendum est. *l.* I. §. 7. *D. quand. appelland.*

I. *Ex Orationibus* D. MARCI, *seu SCtis eas secutis, pauca verba notata esse ab eodem* Ulp. *in* l. I. §. 7. D. quand. appell. II. *Ut Appellatio effectum habeat, tempora appellationum observanda esse, & quænam sint illa?* III. *Quodnam tempus sit* Appellationis interponendæ? IV. *Dies alios* utiles *esse, alios* continuos. V. *Quales hic dies intelligendi?* VI. *Quare dicatur* ad aliquid utiles? VII. *Quando videatur* adeundi facultas *fuisse?* VIII. *Non interesse, an facultas adeundi sit ejus Judicis, a quo appellatum, an ejus, ad quem appellatum est.* IX. Aditio *illa quomodo facta fuerit?*

I. Ex *Orationibus* vero D. MARCI seu *SCtis* eas secutis, vid. supr. Diss. II. *c.* II. §. 20. 21. pauca tantum verba idem notavit Ulp. in *l.* I. §. 7. *D. de appell.*

II. Scil. Quemadmodum usus Appellationum frequens est & necessarius, *l.* I. *pr. D. de appell.* v. supr. Diss. XIX. §. I. *& seqq.* sic tamen non omnis Appellatio effectum habet, sed

tum demum, si legitime, & in specie intra tempora legitima, appellatum sit. Varia enim sunt tempora appellandi seu Appellatoria, v. *t. C. de temp. appell. l.* 5. §. *ult. D. de appell. recip. l.* 6. *pr. D. de his qui not. inf.* quæ *fatalia* seu *fatales dies* dici solent. v. *l.* 2. *l. ult.* §. 1. *& seqq. C. de temp. app. l.* 32. *pr. C. de appell. Interponendæ* scil. *Introducendæ*, & *Prosequendæ*. v. Pr. N. *ad t. D. quand. appell.* §. 1. 2.

III. Et olim quidem tempus fatale *Interponendæ* appellationis a sententia *biduum* erat in causa propria, *triduum* vero in causa aliena. *l.* 5. §. *ult. l.* 20. §. 1. *D. l.* 6. §. 1. *C. de appell. l.* 1. §. 5. 11. *D. quand. app. l.* 3. *D. de appell.* Sed jure novo ex constitutione Justiniani Imp. decendium, *N.* 23. *c.* 1. *Auth. Hodie. C. de appell.* ex tempore pronunciatæ sententiæ, si præsens fuerit condemnatus, vel ex tempore scientiæ, si absens erit, computandum. *l.* 1. §. *ult. D. quand. appell. d. N.* 23. *c.* 1. *Auth. Hodie. C. de appell.* Quod & jure Canonico probatum, *c.* 8. *de appell. in* 6. *c.* 15. *x. de sent. & interloc.* & in plerisque hodie locis observatur. v. Recess. Imp. noviss. *de Anno* 1554. §. 115. Ord. Cam. *P.* 2. *T.* 29. §. 1. Instr. Cur. Holl. §. 98. 116. Mynf. 5. *O.* 95. Umm. Proc. *D.* XIX *th.* 44 Carpz. *Resp* 114. Voet. *ad h. t. n.* 2.

IV. Quales autem dies intelligendi sint, dubitatum videtur; sunt enim dies alii *utiles*, alii *continui*. §. 16. *I. de excus. l.* 1. *D. de div. temp. præscr. l. ult. C. de temp. in integr. rest. Utiles*, quibus experiundi potestas est, & jus dicitur; *d. l.* 1. *D. de div. temp. præscr. l.* 55. *D. de Æd. Ed. l.* 10. §. *ult. D. ad SCt. Turp. continui*, qui *continuo* & sine interruptione currunt. *l.* 7. *D. quemadm. serv. am. l.* 4. §. 1. *D. de stat. lib. l. ult. C. de temp. in integr. rest.* v. Pr. N. *ad t. D. de fer.* §. 34. *& seqq.*

V. Cum itaque quæsitum esset, quales dies intelligendi essent? D. MARCUS *Oratione* seu *SCto* dubium illud sustulit, & voluit, ut dies illi sint *utiles*. Ait enim Ulp. *Dies autem istos, quibus appellandum est, ad aliquid utiles esse, Oratio* D. MARCI *voluit, si forte ejus, a quo provocatur, copia non fuerit, ut ei libelli den-*

dentur. Ait enim: *Is dies servabitur, quo primo adeundi facultas erit.*

VI. Non autem simpliciter dies intelligendi sunt *utiles*, sed *ad aliquid*, uti recte monet Ulp. Qui scil. tales sunt ratione scientiæ, uti jam monitum, *l.* 1. §. *ult. D. quand. app. N.* 23. *c.* 1. & ratione facultatis adeundi, adeoque ratione *initii*; ratione *decursus* enim sunt *continui*, ut ab hora scil. pronunciationis currant. Quale exemplum etiam est in *l.* 13. §. 9. *D. de excus.* §. 16. *I. eod. l.* 31. *D. ad L. Jul. de adult.*


VII. Quando autem videatur *adeundi facultas fuisse*, porro docet Ulp. dum subjicit: *d. l.* 1. §. 9. *Adeundi* autem *facultatem semper accipimus, si in publico sui copiam fecit:* cæterum si non fecit, an imputetur alicui, quod ad domum ejus non venerit, quodque in hortos non accesserit, & ulterius quod ad villam suburbanam? magisque est, ut non debeat imputari. Quare si in publico ejus adeundi facultas non fuit, melius dicetur, facultatem non fuisse adeundi.

VIII. Sed quid dicendum, si, qui appellavit, ipsius quidem a quo appellavit adeundi facultatem non habuit, ejus autem quem appellavit habeat copiam, an ei præscribi poterit, quod eum non adierit? & hoc jure utimur, ait Ulp. *d. l.* 1. §. 10. ut, si alterutrius adeundi fuit copia, præscriptio locum habeat. add. Voet. *h. t. n.* 2.

IX. Quomodo autem aditio illa facta fuerit, idem quoque monet Ulp. *d. l.* 1. §. 7. per *libellos* scil. *appellatorios.* v. *l.* 1. §. *ult. l.* 5. §. *ult. l.* 7. *D. de appell. l.* 12. *l.* 20. *C. eod.* Moris enim erat, ut illi, quorum intererat adire Magistratus, vel pro tribunali eos adirent, *l.* 5. §. 16. *D. ut in poss. leg. l.* 2. *C. quemadm. test. ap.* vel per *libellos. d. l.* 2. *l. h. n.* 1. §. 7. Non indistincte & pro lubitu, sed ita, ut quæcunque causæ cognitionem & decretum desiderant, per libellos non possent expediri; *l.* 71. *D. de R. J. l.* 9. §. 1. *D. de off. Proconf.* si vero causæ cognitio non esset necessaria, uti in interponenda appellatione, magistratus per libellum adiri posset.

Zz 3 *dd. ll.*

dd. ll. Quo quidem etiam opus eſt, ſi quis non ſtatim, ubi ſententia pronunciata eſt, appellet, (quo caſu id fieri poteſt *viva voce* apud acta, *l.* 2. *l.* 5. §. 4. *D. l.* 14. *C. de appell.*) ſed ex intervallo, quo caſu ſine libello amplius appellari nequit. *d. l.* 5. §. 4. *d. l.* 14. quæ vult viva voce *illico* eſſe appellandum, Prætore ſcil. adhuc coram tribunali ſedente, priusquam ad alios actus divertit. v. Hahn. *ad Weſenb. ad t. de Appell. n.* 11. Quod & ipſum hodie fere ſic obtinet. v. Ord. Cam. *Imp. P.* 2. *T.* 29. §. 3. Mynſ. 3. *O.* 15.



DIS-

DISSERTATIO QUADRAGESIMA TERTIA.

Macer *L.* II. *de Judiciis Publicis.*

DIVUS MARCUS & COMMODUS Scapulæ Tertyllo rescripserunt in hæc verba: *Si tibi liquido compertum est,* Ælium Priscum *in eo furore esse, ut continua mentis alienatione omni intellectu careat: nec subest ulla suspicio, matrem ab eo simulatione dementiæ occisam, potes de modo pœnæ ejus dissimulare, cum satis furore ipso puniatur, & tamen diligentius custodiendus erit, ac, si putabis, etiam vinculo coërcendus: quoniam tam ad pœnam, quam ad tutelam & securitatem proximorum pertinebit. Si vero, ut plerumque adsolet, intervallis quibusdam sensu saniore, non forte eo momento scelus admiserit, nec morbo ejus danda est venia, diligenter explorabis: & si quid tale compereris, consules nos, ut æstimemus, an per immanitatem facinoris, si, cum posset videri sentire, commiserit, supplicio adficiendus sit. Cum autem ex literis tuis cognoverimus, tali eum loco atque ordine esse, ut a suis, vel etiam in propria villa custodiatur: recte facturus nobis videris, si eos, a quibus illo tempore observatus esset, vocaveris, & causam tantæ negligentiæ excusseris: & in unumquemque eorum, prout tibi levari, vel onerari culpa ejus videbitur, constitueris. Nam custodes furiosis non ad hoc solum adhibentur, ne quid perniciosius ipsi in se moliantur, sed ne aliis quoque exitio sint. Quod si committatur, non immerito culpæ eorum adscribendum est, qui negligentiores in officio fuerint. l. 14. D. de off. Præs.*

I. *Transitus ad Rescripta* DIVI MARCI & COMMODI. II. *Auctorem h. l. esse* Æmilium Macrum. III. *Qui vixit & floruit sub* Imp. Alexandro, *scriptisque clarus fuit.* IV. *Quis sit* Scapula Tertyllus? V. *Quænam facti species?* VI. *Quis sit* Furiosus? & *quis*

quis demens? VII. *Furiosorum duo genera esse.* VIII. *Quænam furoris indicia?* IX. *Furorem aliquando simulari.* X. *Furiosum ob commissum aliquod puniri non posse?* XI. I. *Quia nihil intelligit.* XII. II. *Quia ipso furore satis punitur.* XIII. *Idemque juris esse, licet postea sanæ mentis factus fuerit.* XIV. *Imo licet sanæ mentis esset, cum delinqueret, & furor supervenerit.* XV. *Posse tamen furiosum diligentius custodiri, & vinculis coërceri.* XVI. XVII. *Si furiosi dilucida habeant intervalla, An tum puniri possint?* XVIII. *Eos, qui furiosis præpositi sunt, illos bene custodire debere.* XIX. *Cæteroquin coërceri posse.*

I. Et hæc quidem, quantum ad Constitutiones solius MARCI attinet, etiam sufficere videntur. Quemadmodum autem Imp. MARCUS sibi circa finem vitæ filium suum *Commodum Antoninum* Imperii consortem adscivit, sic & quædam Constitutiones sub nominibus D. MARCI & COMMODI nec non *Antonini* & *Commodi* filii occurrunt, uti monitum supr. Differt. 1. §. 19. 20. Inter quas celebre est rescriptum D. MARCI & COMMODI, quod nobis reliquum fecit diligentia JC. Macri, in *l. h. n.* 14.

II. Qui plene dictus est *Æmilius Macer*, *l.* 13. *D. de transact. l.* 68. *D. ad L. Falcid.* & floruit sub Imp. Alexandro, arg. *l* 1. *pr. D. si pend. appell. l.* 61. *D. de acq. her.* scriptisque clarus fuit; inter quæ in *Ind. Pand.* memorantur *Libri* ejus II. *Publicorum*, seu de *Publicis Judiciis*, ex quorum *secundo* hæc *n. l.* 14. excerpta est.

III. Ait autem JC. Macer, DIVUS MARCUS & COMMODUS *Scapulæ Tertyllo rescripserunt in hæc verba.* Quidam pro verbis *& Commodus* legendum censent *& Verus*, eo quod videantur verba esse Rescripti, quod a Divis Fratribus profectum dicitur, *l.* 13. §. *ult. D. de off. Præf. l.* 9. §. 2. *D. de Leg. Pomp. de parric.* Hæsitanter tamen. Neque est a ratione alienum,

num, ut diversi Imperatores de eadem re, & posteriores plenius rescripserint. Uti Divum Pium de eadem causa furiosi, ut scil. carcere contineri possit, rescripsisse, ex eodem §. *ult.* manifestum est. Ut nihil mutandum videatur, maxime cum hæc constans sit omnium codicum lectio.

IV. Rescriptum vero hoc datum est ad consultationem *Scapulæ Tertylli* (in aliis codicibus mentio fit *Tertyllii*, nec non *Tertulli*), qui forte idem est, qui in Fastis ad A. U. C. 947. post N. C. 196. vocatur *Q. Flavius Tertullus*, & Consul fuit cum *Flavio Clemente.* Quemadmodum *Tertulli* & *Clementis* sub *Severo* fit mentio in *l.* 1. §. 1. *D. de reb. eor. qui sub tut. sunt sin. decr. non al.* & apud Grut. *Inscr. p.* 1027. *n.* 4. Licet in quibusdam habeatur *Scapuleo Tertullo* & *Tineo Clemente Coss.* & ita legendum censeat Noris *Epist. Consf.* v. Cl. Almelov. *Fast. p.* 257.

V. Quænam sit facti species, ex ipsa *L. n.* 14. facile colligitur. Contigerat scil. ut *Ælius Priscus* furiosus, qui a suis in villa custodiebatur, matrem occideret. Consuluit itaque *Scapula Tertullus* Imperatores MARCUM & COMMODUM, An & qua pœna *Ælius Priscus* afficiendus esset? Qui respondent distinguendo.

VI. Ajunt Impp. Si *tibi liquido compertum est*, Ælium Priscum *in eo furore esse, ut continua mentis alienatione omni intellectu careat. Furiosum* (qui Græcis μανιώδης dicitur) proprie esse, qui furore, seu μανία, i. e. diuturna mentis alienatione, cum audacia & ferocia, sine febre, laborat, v. Aret. *de caus. & sign. diuturn. morb. c.* 6. Cæl. Aurelian. *de Morb. Chron. L.* 1. *c.* 5. Sennert. *Med. Pract. L.* 1. *P.* 11. *c.* 15. *Inst. L.* 11. *P.* 111. *S.* 1. *c.* 5. *L.* 11. *P.* 111. *S.* 11. *c.* 4. B. de Moor *Pathol. cereb. c.* VI. Fromman. *de Jur. Furios. n.* 9. ex ipsa voce ultro intelligitur, & a *demente* seu *mente capto* (qui Græce ἄνους seu ἀνόητος vocari solet) plerumque (quandoque enim confunduntur, *l.* 7. §. 1. *D. de cur. fur. l.* 32. §. 6. *D. de usu & usufr. leg. l.* 2. *D. de*

de inoff. test. l. 5. *D. de R. J. l.* 18. *C. de Ep. aud. l.* 25. *C. de nupt.*) quemadmodum & *furor* a *dementia* distinguitur, *l.* 8. §. 1. *D. de tut. & cur. dat. l.* 6. *D. de cur. fur.* separari manifestum est ex Cic. *Tusc. Q.* L. 111. *c.* 5. *in Pis. c.* 20. *l.* 2. *D. de inoff. test. l.* 27. §. 5. *de recept. l. ult.* §. 1. *D. de adm tut.* §. 3. 4. *I. de curat.* *Furiosus* enim est, qui in totum mente alienatus est, ut omni intellectu careat, quam alienationem mentis ad omnia cœcitatem vocat Cic. *d. L.* 111. *Tusc. Q. c.* 5. *Demens* vero seu *mente captus*, qui, licet sanitate & integritate mentis careat, mediocritatem tamen officiorum & vitæ cultum communem tuetur, uti loquitur Cic. *d. l.* *Furiosus*, uti alii malunt, rabie quadam animi agitur. *Demens* seu *mente captus* magis in quiete est, nec fere signa ostendit extrinsecus, quod vitium plerumque naturale & perpetuum est. v. Vinn. ad §. 4. *I. de curat.* Zach. *Q. Med. Leg. L.* 11. *T.* 1. *Q.* IX. *n.* 3. 11. *& seqq.*

VII. Furiosorum autem in specie duo sunt genera. Aut enim continua mentis alienatione omni intellectu carent, quales nullum negotium gerere possunt; *l.* 5. *D. de R. J.* cum absentium, *l.* 1. §. 3. *D. de acq. poss.* & quiescentium, *d. l.* 1. §. 4. *l.* 1. §. 3. *D. de jur. codicil. l.* 209. *D de V. S.* imo mortuorum, *l.* 14. *D. loc. cond. l.* 8. §. 2. *D. de opt. leg. l.* 2. §. 5. *D. de don. l.* 24. *l.* 1. *D. rem rat. hab.* loco habeantur. Aut dilucida habent intervalla, *h. n. l.* 14. *l.* 9. *C. qui testam. fac. poss.* (quæ *confinia* dicuntur *furoris* & *sanitatis*, *l.* 6. *C. de cur. fur. d. l.* 9. ut & *intermissio*, *l.* 20. §. 4. *D. qui test fac. poss.*) & in conspectu sunt adumbratæ quietis, uti loquitur Celsus in *l.* 18. §. 1. *D. de acq. poss.* (quod genus loquendi alibi se non legisse dicit Cuj. ad *d.* §. 1.) qui eo tempore actus utiliter exercere possunt. *d. l.* 9. §. 1. *d.* §. 1. *I. quib. non est permiss. fac. testam.*

VIII. Quæ distinctio ex circumstantiis non difficulter intelligitur. Sunt enim ipsius furoris tria fere indicia. Aut enim verbis arguitur, v. *l.* 4. §. 1. *D. de Æd. ed. l.* 22. §. 7. *D. sol.*

matr.

matr. aut ſcriptura, *l.* 27. *D. de cond. inſt.* aut actionibus. Veluti ſi quis ſaxa in plateis jactet, ſimilive furoris genere graſſetur. v. *l.* 3. *C. de Judæis.* Cic. *de Haruſp. Reſp. c.* 18. Zach. *Quæſt. Med. Leg. L.* II. *T.* I. *Q.* III. *n.* 2. 4. 5. 24. 36.

IX. *Nec ulla ſubeſt ſuſpicio matrem ab eo ſimulatione dementiæ eſſe occiſam.* Nonnulli enim, etiam ſapientes & ſummi ingenii viri, ut ſeſe periculis ſubducerent, aliasve ob cauſas, furorem & dementiam ſimularunt, uti David, v. 1. *Sam.* XXI. ℣. 13. *& ſeqq.* Ulyſſes, v. Cic. *de Off. L.* III. *c.* 26. L. J. Brutus, v. Liv. *L.* I. *c.* 26. Solon, v. Plutarch. & Diog. Laërt. *in Solon.* Juſtin. *L.* II. *c.* 7. Eunus Syrus, v. Flor. *L.* III. *c.* 19. aliique. v. *l.* 6. *D. de cur. fur.*

X. *Potes de modo pœnæ diſſimulare*, i. e. ratione pœnæ, alias ejus facinori debitæ, diſſimulare, vel fingere te neſcire, quod ſcias. Non. Marcel. *c.* v. §. 72. Feltm. *ad h. n. l. n.* I. Cum enim furioſus mente & intellectu careat, §. 1. *I. quib. non eſt permiſſ. fac. teſtam.* ac proinde nulla ipſius ſit voluntas, *l.* 1. §. 3. *D. de acq. poſſ. l.* 40. *D. de R. J.* neque delinquere, neque pœna affici poteſt.

XI. Nihil enim furioſi cum effectu agere poſſunt. *d. l.* 5. *D. de R. J.* Ac proinde nec teſtamentum facere, *l.* 9. *C. qui teſtam. fac. poſſ.* §. 1. *I. quib. non eſt permiſſ. fac. teſt.* nec codicillos, *l.* 2. §. 3. *D. de jur. codicill.* nec ſponſalia contrahere, *l.* 8. *D. de ſponſal.* nec matrimonium, *l.* 16. §. 2. *D. de rit. nupt.* nec ſtipulationem, §. 8. *I. de inut. ſtip. l.* 2. *D. de proc.* nec emtionem venditionem, *l.* 2. *C. de contr. emt.* nec locationem conductionem, *l.* 14. *D. loc. cond.* neque teſtes eſſe, *l.* 20. §. 4. *D. qui teſtam. fac. poſſ.* neque Judices, *l.* 12. §. 2. *D. de Jud.* neque tutores, *l.* 11. *D. de tut.* ac proinde multo minus doli poſſunt eſſe capaces, vel delictum committere, ſive delictum privatum ſit, v. *l.* 2. *D. de cond. furt.* §. 7. *de obl. quæ ex delict.* §. 3. *I. de uſuc.* junct. *l.* 7. §. 9. *D. quib. ex cauſ. in poſſ. l.* 3. §. 1. *D. de injur.* ſive publicum, & factum ſit atrocius; v. Spart. *in Hadr. c.* 12. *l. un. C.*

si quis Imp. maled. l. 13. §. 1. *D. de off. Praef. l.* 9. §. 2. *D. ad L. Pomp. de parric. l.* 12. *D. ad L. Corn. de sic. l.* 2. *C. qui test. fac. poss. l.* 1. *C. de bon. eor. qui ant. sent.* quod casu contigisse videtur, *l.* 5. §. 2. *D. ad L. Aquil. l. ult.* §. *ult. D. de adm. tut. l.* 1. *C. ad L. Corn de sic.* quia delictum sine dolo malo, *d. l.* 1. *C. ad L. Corn. de sic.* & voluntate delinquentis committi nequit, *l.* 1. §. 3 *l.* 7. *l.* 19. *D. ad L. Corn de sic. l.* 53. *D. de furt. l.* 3. §. 1. *D. de injur.* Diss. N. v. *de caus. obl. c.* IV. §. 19. *& seqq.* neque ullo modo peccatum est, nisi sit voluntarium. *c.* 1. *caus.* 15. *Q.* 1. Ubi autem delictum non est, ibi nec poenae locus esse potest. *d. l.* 12. *D. ad L. Corn. de sic. l.* 9. § 2. *D. ad L. Pomp. de parric. l.* 61. *D. de adm. tut. l.* 41. *D. de poen. l.* 131. *D. de V. S.*

XII. Quibus alia accedit ratio, quam reddunt Impp. in verbis: *cum satis furore ipso puniatur.* add. *l.* 9. §. 2. *D. ad L. Pomp. de parr. l.* 12. *D. ad L. Corn. de sic.* Egregie Cic. *de Harusp. Resp. c.* 18. *A Diis immortalibus quae potest homini major esse poena furore atque dementia ?* Afflictis autem non est addenda afflictio Gl. *h.* v. Auth. *Navigia. C. de furt. l.* 28. *C. de Ep. aud.* Ut & ob hanc causam talis a poena excusandus sit. v. Carpz. *Prax. crim. Q.* 195. Heig. *P.* 11. *Q.* 3. Brunnem. *h. n. l.* Neque obstat, quod ob homicidium etiam brutum animal occidatur. Genes. IX. ỳ. 5. Exod. XXI. ỳ. 28. Nam alia causa est bruti, alia hominis, qui ad sanam mentem redire potest. v. Bach. ad *h. l. n.* 14. Feltm. *h. n. n.* 5. Brunnem. *h. n. l.* Neque Impp. in sequentibus sibi ipsis sunt contrarii, dum subjiciunt: *nec morbo danda est venia ;* dicta verba enim ad eos pertinent, qui dilucida habent intervalla, & pro *nec* legendum *num*, uti in aliis habetur codicibus, & statim plenius videbimus. Ut defendi nequeat, quod refert Bodin. *de Rep. L.* II. *c.* 5. *p.* 329. Capitonem hominem furiosissimum capitis poenas dedisse, cum Henricum Francisci Regis Filium occidere velle videretur, & in eum ensem exeruisset. Aliudque simile, quod memorat J. Clar. v. *Sent.* §. *f. p.* 60. Serenissimam

simam Castellæ Reginam punivisse hominem furiosum, qui vulnus inflixerat Marito suo *Ferdinando.* add. Wiss. ad *l.* 40. *D. de R. J.* A. Matth. *de crim. prol. c.* 2. *n.* 5. *& seqq.*

XIII. Idque procedit, licet furiosus postea sanæ mentis factus fuerit. Ne plus furor quam mors operetur; quæ si intercesserit, pœna exstinguitur. *l.* 6. *D. de publ. jud.* Nihil in contrarium faciente, *l.* 1 *pr. D. de pœn.* quæ non de furioso, sed de casu plane diverso loquitur. Nam quæstio ibi est de modo pœnæ; an scil quando quæritur, qua pœna afficiendus sit sententiam passus, consideranda sit ejus conditio, quæ fuit tempore delicti commissi? an, quæ fuit tempore latæ sententiæ? Quæ quæstio cum hac controversia nihil commune habet. Non enim hic quæritur, quomodo is, qui in furore deliquit, puniendus sit, sed an puniendus sit? v. Sand. *ad l.* 5. *D. de R. J. in f.*

XIV. Imo licet quis sanæ mentis esset cum delinqueret, tamen si furor supervenerit, talis ob furorem supervenientem non erit puniendus: tum quia non intelligit sese puniri, §. 8. *I. de inut. stip.* tum quia ipso furore satis punitur, *h. n. l.* 14. *l.* 12. *D. ad L. Corn. de sic.* tum quia furiosus pro absente habetur; *l.* 124. §. 1. *D. de R. J.* in absentem autem sententia ferri nequit. A. Matth. de *crim. proleg. c.* IV. *n.* 7. Neque aliud iterum inferri potest ex *l. h. n.* 14. & *d. l.* 1. *D. de pœn.* uti jam vidimus & porro videbimus Neque *l. ult.* §. 5. *C. de cur. fur.* unde colligitur, Patrem filium furiosum ob causam ante furorem commissam exheredare, ac proinde etiam punire posse. Prius enim ibi aperte non habetur, potestque exheredatio etiam bona mente fieri, *l.* 12. §. 2. *D. de bon. libert.* præterquam quod a diversis non procedat illatio. A. Matth. *d. l. n* 7. Sand. ad *d. l.* 5. *D. de R. J.*

XV. Pergunt Impp. *Et tamen diligentius custodiendus erit, ac, si putabis, etiam vinculis coërcendus*, i. e. in carcere continendus, *l.* 13. §. 1. *D. de off. Præf. quoniam tam ad*

pœnam, quam ad tutelam ejus, & securitatem proximorum pertinebit. add. *l.* 9. §. 2. *D. ad L. Pomp. de parr.* Vincula enim & carcer licet proprie non sint pœna, sed ad custodiendos & continendos reos adhibeantur, *l.* 8. *§. ult. l.* 35. *D. de pœn.* quin tamen speciem quandam pœnæ habeant, pœnisque quandoque annumerentur, dubitari nequit. Aperte Cic. *de Rep. L.* III. *His* pœnis, *quas etiam stultissimi sentiunt, egestate, exilio, vinculis, verberibus, elabuntur sæpe privati:* nec non III. in Verr. *c.* 24. *Mitto vincula, carcerem, verbera* &c. ut & *de Off. L.* III. *c.* 5. *Eos morte, exiliis, vinculis, damno, coërcent:* nec non Ulp. dum *pœnam carceris* aliquando ante supplicium sustineri ait. *l.* 3. *D. de custod. reor.* Quemadmodum & *quæstio*, seu *tortura*, quæ inquirendæ & indagandæ veritatis ergo aliquando adhibetur, Cic. *de Part. Orat. c.* 34. *Top. c.* 20. *pro Cluent. c.* 65. Paul. *L.* v. *Sent. T.* XIV. XVI. *l.* 1. *pr. D. de quæst. Pœnæ* nomine venit in *l.* 16. *C. de pœn.* Quæ ad defendendam Lectionem Florentinam sufficiunt. Licet Lectio, quæ exhibetur ab Accursio: *quoniam non tam ad pœnam, quam ad tutelam ejus, & securitatem proximorum pertinebit;* nec non Ruffardo: *quod non tam ad pœnam, quam ad tutelam ejus & securitatem proximorum pertinebit* (quæ magis ad similitudinem literarum accedit, & concinnior est), commodum etiam sensum habeant.

XVI. *Si vero, ut plerumque adsolet, intervallis quibusdam sensu saniore, non forte eo momento scelus admiserit, nec morbo ejus danda est venia, diligenter explorabis: & si quid tale compereris, consules nos, ut æstimemus, an per immanitatem facinoris, si, cum posset videri sentire, commiserit, supplicio adficiendus sit.* Quorum verborum non satis commodum sensum esse nemo non videt. Editio vulgata habet: *sensu saniore, num forte &c.* In aliis & rectius legitur: *si vero, ut plerumque adsolet, intervallis quibusdam sensu sanior est* (pro quo E. Leon. Em. *L.* III. *c.* 17. *n.* 16. mavult *lenior*), *num forte eo momento*

to scelus admiserit, nec morbo ejus danda sit venia, diligenter explorabis; quam Lectionem etiam probant Feltm. *h. n.* 3. nec non Bach. *h. l.* qui tamen addit, sententiam rectius sese habere, si verba: *nec morbo ejus danda est venia*, deleantur. Sed illa quidem Medicina nimis violenta videtur. Sententia Impp. si dicto modo legatur, non videtur obscura. Scil. volunt, inquirendum esse, An *Ælius Priscus* dilucida intervalla habuerit, & tempore intermissionis parricidium commiserit? non vero eo momento, quod ipsum intervallum præcedebat, eaque de re ad se referendum esse.

XVII. Non absolvendum eum simpliciter statuunt, neque etiam supplicio afficiendum, sed circumstantias probe considerandas, an possit videri sensisse seu compos mentis fuisse, cum facinus commisit, veluti si dilucidum intervallum longius duraverit, & tanquam plene restitutus aliquo tempore sana ratione usus fuerit, eoque prævio se æstimaturum, an supplicio adficiendus sit? Ubi in primis eum, eo tempore, quo factum perpetravit, furiosum non fuisse probandum est: arg. *l.* 22. *D. l.* 2. *C. de prob.* quia, qui semel furiosus esse probatus est, talis etiam in posterum esse præsumitur. v. *c. ult. x. de success. ab intest.* Licet enim ordinario quis sanæ mentis præsumatur, aliud tamen dicendum, si liquido appareat; aliquem furiosum fuisse. Quo casu, etiam tum cum intermissio intercedit, in dubio, quod factum est potius furoris, quam sanæ mentis seu intervalli tempore gestum præsumitur, & proinde, qui intervalli tempore aliquid gestum affirmat, id probare debet. v. Gomes III. *Resol.* 1. *n.* 71. Menoch. *de Præs.* L. VI. *Præs.* XLV. *n* 63. *& seqq.* A. Matth. *de Crim. prol. c.* 2. *n.* 6. Carpz. *Pr. crim. P.* III. *Q.* XLV. *n.* 33. *& seqq.* Wiss. ad *l* 40. *D. de R. J. th.* 4.

XVIII. Quantum autem ad custodes attinet, Impp. subjiciunt: *Cum autem ex literis tuis cognoverimus, tali eum loco atque ordine esse, ut a suis vel etiam in propria villa custodiatur: recte facturus nobis videris, si eos, a quibus illo tempore*

pore

pore observatus esset, vocaveris, & causam tantæ negligentiæ excusseris: & in unumquemque eorum, prout tibi levari, vel onerari culpa ejus videbitur, constitueris. Nam custodes furiosis non ad hoc solum adhibentur, ne quid perniciosius ipsi in se moliantur, sed ne aliis quoque exitio sint. Quod si committatur, non immerito culpæ eorum adscribendum est, qui negligentiores in officio fuerint. Quemadmodum enim consilio & opera curatoris furiosi *tueri* (quod ibi ut & alia similia passive ponitur. v. Diss. x. §. 7.) debet non solum patrimonium, sed & corpus ac salus furiosi, *l. 12. pr. D. de curat. fur.* sic, & quidem multo magis ad officium eorum, qui custodiæ furiosi præpositi sunt, pertinet, custodiam fidelem & diligentem præstare, ne furiosus sibi vel aliis noceat.

XIX. Contra si committatur, culpæ non tantum reus est, sed & pro qualitate negligentiæ gravius coërceri potest; *h. n. l. 14. l. 3. C. de off. Præf. Prætor.* maxime si auctoritate publica custodiæ sit præpositus. *l. 4. D. de custod. reor.* Feltm. ad *h. l. h. n.* 8.



DIS-

DISSERTATIO QUADRAGESIMA QUARTA.

Papinianus *Libro trigesimo sexto Quæstionum.*

Imperator MARCUS ANTONINUS & COMMODUS Filius rescripserunt: *Si maritus uxorem in adulterio deprehensam, impetu tractus doloris, interfecerit, non utique Legis Corneliæ de sicariis pœnam excipiet. Namque & D.* Pius *in hæc verba rescripsit* Apollonio: [*Ei*] *qui uxorem suam in adulterio deprehensam occidisse se non negat, ultimum supplicium remitti potest, cum sit difficillimum justum dolorem temperare; & quia plus fecerit, quam quia vindicare se non debuerit, puniendus sit: Sufficit igitur, si humilis loci sit, in opus perpetuum eum tradi: si qui honestior in insulam relegari. l.* 38. §. 8. *D. ad Leg. Jul. de adult.*

I. *Rescriptum etiam notabile* D. MARCI & COMMODI *extare in* l. 38. §. 8. D. ad L. Jul. de adult. II. *Per* D. COMMODUM D. MARCI *filium intelligendum.* III. *Delictis pœnam deberi naturalem docere rationem, & in Rep. utilitatem exigere publicam. Posse tamen pœnam, quemadmodum aliquando exasperatur; sic & justa ex causa mitigari & remitti.* IV. V. *Quas inter* Ira *refertur, &* Justus dolor. VI. VII. *Iram furori similem esse.* VIII. *Ut & justum dolorem.* IX. X. *In specie, si quis uxorem in adulterio deprehensam interfecerit.* XI. *Adulterium crimen esse gravissimum. Doloremque mariti justissimum.* XII. *Eique proinde ignoscendum. Non quidem, ut pœna in totum remittatur, sed lenior irrogetur, Deportationis sc. vel Relegationis.* XIII. *Idque Rescripto* D. Pii *confirmari. Quod simul exponitur,* XIV. XV. *Et dubia removentur.* XVI. *Quid constitutum Nov.* Majoriani *& quid moribus obtineat.*

I. Rescriptum etiam notabile D. MARCI & COMMODI est, quod exhibet *Lib.* XXXVI. *Quæst.* JCtus Papinianus in *l.* 38. §. 8. *D. ad L. Jul. de adult.*

II. Id enim D. MARCI & COMMODI Impp. esse, non aliorum, apertum est ex eo, quod additur, hunc COMMODUM MARCI *filium* fuisse. Ut vix excusandus error hic commissus sit ab Accursio, dum monet, D. MARCUM & COMMODUM alibi *Divos Fratres* dici, *l.* scil. 4. *D. de man.* & *l.* 2. *C. si mancip. ita fuerit alienat.* Cum ex historia Romana & jure nostro notissimum sit, MARCUM & COMMODUM non fuisse *Fratres*, sed *Patrem* & *filium*, neque in *dd. ll.* vel alibi sic vocari, sed per *Divos Fratres* intelligi D. MARCUM & L. AELIUM VERUM, uti jam monitum & ostensum supr. Diss. I. §. 13. 19. *& seqq.*

III. Egregie & prudenter Marcianus in *l.* 11. *pr. D. de pœn; Perspiciendum est judicanti, ne quid aut durius, aut remissius constituatur, quam causa deposcit: nec enim aut severitatis aut clementiæ gloria affectanda est: sed perpenso judicio, prout quæque res expostulat, statuendum est. Plane in levioribus causis proniores ad lenitatem Judices esse debent, in gravioribus pœnis severitatem legis, cum aliquo temperamento benignitatis subsequi.* Licet enim naturalis ratio doceat delinquentibus pœnas deberi, v. Genes. IX. ℣. 6. Act. XXVIII. ℣. 4. Puffend. *de Jur. Nat. Gent. L.* VIII. *c.* 3. *n.* 2. Diss. N. II. *de caus. obl. c.* IV. §. 2. *& seqq.* & constitutis Rebuspublicis publica utilitas exigat, ne delicta maneant impunita; *l.* 51. §. 2. *D. ad L. Aquil.* non tamen hoc impedit, quo minus pœna, uti ex justa causa exasperari, sic & quandoque mitigari, imo in totum remitti possit. v. *d. l.* 11. §. 2. *l.* 18. §. 1. *& seqq. D. de pœn. l.* 2. *C. ad L. Corn. de sic. l.* 4. *l.* 45. §. 4. *D. ad. L. Aquil. l.* 7. §. *ult. D. ad L. Jul. rep. l.* 7. §. 3. *D. ad L. Jul. Maj. l.* 6. §. 7. *D de re mil.* Tiraq. *Tr. sing. de pœn. temp. aut remitt.* Carpz. *Pr. crim. P.* III. *Q.* I. XLVII. *& seqq.*

IV. Et

IV. Et quidem quantum ad mitigationem pœnarum attinet, inter causas mitigationis in primis refertur *Ira*, & qui sæpe concurrit *Justus dolor*.

V. Quæ enim ob Iram aliasque animi perturbationes committuntur, injuste quidem fiunt, sed nondum tamen qui faciunt in totum injusti vel pravi sunt. v. Arist. II. *Eth. ad Nicomach.* c. 8. Sapienter Cic. *de Off. L.* I. c. 8. *In omni injustitia permultum interest, utrum perturbatione aliqua animi, quæ plerumque brevis est & ad tempus, an consulto, & cogitato fiat injuria. Leviora enim sunt, quæ repentino aliquo motu accidunt, quam ea, quæ meditata & præparata inferuntur.* Nec non ipse MARCUS noster, *de reb. suis. L.* II. §. 10. *Philosophice* Theophrastus, *in peccatis inter se conferendis, prout vulgo conferri solent, dicit, graviora esse, quæ per cupidinem, quam quæ per iram admittuntur. Etenim qui irascitur cum dolore quodam & contractione animi occulta a rationis tramite declinare videtur, qui vero per cupidinem delinquit, quia voluptate vincitur, intemperantior quodammodo & in peccando effeminatior videtur. Recte igitur nec indigne Philosopho pronunciavit, amplioris esse criminis, quod cum voluptate, quam quod cum dolore admittitur. Atque omnino alter similior ei existit, qui prior læsus doloris ratione ad irascendum adigitur: cum is sponte sua ad lædendum feratur, qui ad perpetrandum quicquam cupidine ducitur.* add. Plat. *de Leg. Dial.* IX. Cl. Noodt *Prob. L.* IV. c. 8.

VI. Ut *Ira* insaniæ dicatur initium, Cic. *Tusc. Quæst. L.* IV. c. 23. imo furor, licet brevis, Hor. *L.* I. *Ep.* 2. ℣. 62. & iracundus furioso similis, v. Sen. *de Ira L.* I. c. I. II. c. 35. 36. *L.* III. c. 4. & extra mentem esse. Ter. Adelph. *A.* V. *Sc.* III. ℣. 8.

Tandem reprime iracundiam, atque ad te redi.

Furiosus autem a pœna excusatur, uti vidimus supra Diss. XLIII. §. 10. 11.

VII. Unde in Jure nostro, quicquid in calore iracundiæ

vel fit, vel dicitur, non prius ratum est, quam si perseverantia apparuit judicium animi fuisse, *l.* 48. *D. de R. J.* & qui in rixa gladio seu ferro aliquem percussit, non tamen occidendi animo, leniendam pœnam ejus, qui causa magis quam voluntate homicidium admisit, Hadrianus rescripsit *l.* 1. §. 3. *D. ad L. Corn. de sic.* dummodo quis in rixa fortuita & improvisa, vel alia occasione subito impetu sine consilio saltem integro in continenti interfecerit. Cæteroquin enim omnia fere homicidia obtentu iræ excusari possent. Gail. 11. *O.* x. *n.* 35. Carpz. *Prax. crim. P.* 111. *Q.* 147. *n.* 4. 2-56. *& seqq.*

VIII. Idemque locum habet, si justus dolor commisso causam dedit, ut scil. pœna non quidem plane remittatur, sed lenior irrogetur; quia justus quoque dolor factum elevat. Eoque pertinet *Lex n.* 38. §. 8.

IX. Ajunt Impp. *Si maritus uxorem in adulterio deprehensam impetu tractus* (alii malunt *tactus* sine necessitate) *doloris interfecerit, non utique* Legis Corneliæ de sicariis *pœnam excipiet.* Adulterum in adulterio deprehensum occidere quibusdam permissum est, veluti patri uxoris mariti, qui adulterum cum filia, quam in potestate habet, domi suæ vel generi, in turpitudine deprehensum, in continenti interficere potest; *l.* 20. *l.* 22. §. 2. *l.* 23. §. 1. 2. 4. *ad L. Jul. de adult.* nec non marito: verum non quemlibet, sed tantum vilem domi suæ inventum, *l.* 24. *D. eod.* Paul. 11. *Sent.* §. 4. & ita quidem, ut uxorem sine mora dimittat. *l.* 34. *pr.* §. 2. *D. eod.* Ut & jure novo, si maritus aliquem, post trinam denunciationem testato factam, ut abstineret a mulieris consortio, domi suæ vel alibi cum uxore sua versantem inveniat. *N.* 117. *c.* 15. Auth. *Si quis. C. ad L. Jul. de adult.* Sed uxorem, quantumvis in adulterio deprehensam, neci dare permissum non est. Licet enim Lege Romuli, si uxor peccasset, (in quibus maxime erat violata pudicitia, & si vinum bibisse deprehensa esset) pœnam, etiam capitalem, lueret ex mariti arbitrio:

Dion.

Dion. Hal. *L.* II. *c.* 26. Plin. *L.* XIV. *c.* 13. Val. Max. *L.* VI. *c.* 3. §. 9. Gell. *L.* X. *c.* 23. Diss. N. VIII. *de causs. obl. c.* 11. §. 8. postea tamen aliud placuit, & plus patri concessum quam marito; ob elegantem rationem, quam reddit Ulp. dum ait: *Ideo autem patri, non marito mulierem, & omnem adulterum permissum est occidere, quod plerumque pietas paterni nominis consilium pro liberis capit. Cæterum mariti calor & impetus facile decernentis fuit refrænandus. l.* 22. §. 4. *D. ad L. Jul. de adult.*

X. Quod si tamen maritus uxorem in adulterio deprehensam interfecerit, quia impatientia justi doloris hoc admisit, non quidem eum plane absolvendum, sed lenius puniri simul placuit. v. Paul. *L.* II. *Sent. T.* XXVI. § 5. Coll. Leg. Mos. & Rom. *T.* IV. §. *ult. l. n* 38. §. 8.

XI. Quemadmodum enim adulterium crimen est gravissimum, *c.* 16. *c.* 32. *Q.* 7. quod reliquis criminibus fœdius & detestabilius merito censetur, cum primam corrumpat vitæ societatem, quæ est in conjugio, sinceritatem & certitudinem sobolis, in quo fundamentum est civitatis, & plurimorum aliorum delictorum, injuriæ, perjurii, violentiæ, ipsiusque homicidii fons sit ac scaturigo, imo scelus, quod ipsam terram polluit, v. Job. XXXI. ℣. 9. *& seqq.* Ecclesiastic. XXIII. ℣. 29. *& seqq.* & totam familiam conspurcat; *l.* 30. *C. ad L Jul. de adult.* Sic dolor mariti non potest non maximus esse, ut nullus majorem ex eo concipiat, ne quidem ipse pater, v. *l.* 2. §. 8. *D. ad L. Jul. de adult.* imo maritus gravius ferat uxoris adulterium quam filii interitum, & libentius uxorem interfici audiat quam pollui. v. Hieron. ad Amos. c. 7. Verissime sapientissimus Regum Salomon Prov. VI. ℣. 30. *& seqq. Adulterans mulierem est demens, perditurus se ipsum. Ipse faciet illud. Plagam & ignominiam consequetur, probrumque ejus non delebitur. Nam Zelotypiæ mest æstus viri: ideo non utitur clementia die ultionis. Non habet rationem ullius redemtionis, neque acquiescit, quamvis multa adhibeas munera.* Nec non Juv. *Sat.* X. ℣. 314.

Exigit autem
Interdum ille dolor plus quam Lex ulla dolori
Concessit.

XII. Ob justissimum itaque dolorem DIVUS MARCUS & COMMODUS maritum ab ordinaria pœna Legis Corneliæ de sicariis excusant, dum dicunt: *Non utique pœnam Legis Corneliæ de sicariis excipiet* seu sustinebit, & in tantum ei ignoscunt. *l.* 3. §. 3. *D. ad SCt. Silan.* Quæ pœna primum fuit Deportatio & omnium bonorum ademtio, sed deinceps capitis seu gladii, nisi honestiori loco quis positus esset. *l.* 3. §. 5. *D. ad L. Corn. de sic. l.* 8. *C. eod.* §. 5. *I. de publ. jud.* Sed difficultatem parit, qua ratione ibi mentio fiat pœnæ *Legis Corneliæ de sicariis*, cum uxorem occidere, non simplex homicidium sit, sed *parricidium. l.* 1. *D. ad L. Pomp. de parricid.* Non improbabile videtur, *d.* §. 8. non *Legis Corneliæ de sicariis* sed de *parricidiis* scriptum fuisse, uti in *d. l.* 1. *D. ad L. Pomp. de parric.* legendum videtur, v. Cl. Noodt 1. *Prob. c.* 11. vel id ita accipiendum, ut intelligatur de *Lege Cornelia de sicariis*, quatenus ad *parricidas* pertinet, seu *capite Legis Corneliæ*, quo *de parricidio* actum est. Non tantum enim L. Cornelium Syllam, *de sicariis*, sed & ante Legem Pompejam, *de parricidio* Legem tulisse constat ex *l.* 2. §. 32. *D. de O. J.* Et *Legis Corneliæ de sicariis* plura fuisse capita apparet ex *l.* 1. *pr.* §. 1. *l.* 3. *pr. D. ad L. Corn. de sic.* §. 5. *de publ. jud.* A. Matth. *de Crim. L.* XLVIII. *T.* VI. *c.* 11. *n.* 2. Cl. Schulting. ad Paul. *sent. L.* V. *T.* 24.

XIII. Idque confirmatur per *Rescriptum D. Pii*, qui in hæc verba rescripsit Apollonio; [*Ei*] *qui uxorem suam in adulterio deprehensam occidisse se non negat, ultimum supplicium remitti potest. Cum sit difficillimum justum dolorem temperare; & quia plus fecerit, quam quia vindicare se non debuerit, puniendus sit.*

ſit. Sufficit igitur, ſi humilis loci ſit, in opus perpetuum eum tradi, ſi quis honeſtior, in inſulam relegari. Senſu obſcuro & incommodo. In Ed. vulgata habetur: *Difficillimum enim eſt, juſtum dolorem temperare, & magis, quia plus fecerit, quam quia ſe vindicare non debuerit, puniendus ſit.* Sed nec ſic ſenſus conſtat. Forte ſcriptum eſt: *Cum ſit difficillimum juſtum dolorem temperare, & quia plus fecerit, quam vindicare ſe debuerit, puniendus ſit*; quem ſenſum res ipſa exigere videtur. Non enim omnis vindicta privata ſimpliciter eſt prohibita, ſed ſunt caſus, quibus ſine judice, etiam cum nece alterius, ſe vindicare licet, uti docet *tit. & l. un. C. quand. lic. unicuique ſin. jud. ſe vind.* Et quidem in ſpecie marito, qui *genialis tori vindex* dicitur, v. *l.* 30. *C. ad L. Jul. de adult.* non omnis vindicta negatur, uti ex dictis manifeſtum eſt, dummodo modum non excedat, & non plus faciat, quam licet. Quod ſi vero plus fecerit, quam vindicare ſe debuit, puniendus eſt, ſed lenius, opere publico ſcil. vel relegatione; v. quantum ad hunc ſenſum attinet, Cuj. *ad h. n.* §. 8.


XIV. Neque dictis contrariatur Ulp. in *l.* 1. §. 3. *D. ad L. Corn. de ſic.* dum ait: D. Pium reſcripſiſſe, *hoc caſu leviorem pœnam irrogandam eſſe*, & *humili loco poſitum in exilium perpetuum dari juſſiſſe, in aliqua dignitate poſitum ad tempus relegari.* Papinianus enim in *d.* §. 8. ipſa Reſcripti D. Pii verba memoriæ mandavit, ſed Ulpianus ſenſum eorum exhibuit, in opus enim perpetuum damnati re ipſa non diſſimilis conditionis ſunt ab his, qui in inſulam deportantur. *l.* 1. *C. de pœn.*

XV. Neque aliud putandum voluiſſe Alexandrum in *l.* 4. *C. ad L. Jul. de adult.* uxorem ſcil. in adulterio deprehenſam impune interfici poſſe. Non enim loquitur de *adultera* occiſa, ſed de *adultero* in adulterio deprehenſo, qui, uti vidimus, aliquando lege permittente interfici poterat. Alium ſi occiderit, quem ſecundum Leges perimere non licebat, impe-

tu

tu tractus doloris, quamvis homicidium perpetratum sit, quia & nox & dolor ejus factum elevat, similiter in exilium dandum statuit.

XVI. Aliud quidem postea iterum placuisse *Majorano* seu *Majoriano*, ut scil. maritus, si adulterum cum uxore invenit, ita ut unum sint & se commisceant, liberum arbitrium habeat utrumque uno ictu ferire, jure veteri revocato, tradit Papian. *Libr. Resp. T.* XXVI. Quin & moribus hodiernis marito licere uxorem in adulterio deprehensam una cum adultero interficere, censet Grot. *Introd. ad Jurisp. Holl. L.* III. *p.* 33. *n.* 34. Sed de hoc jure veteri mariti revocato in ipsa Nov. Majoriani nunc nihil occurrit. v. Cl. Schulting. ad Papian. *d. l.* Neque id receptum videtur, neque Jure Justinianeo usquam probatum reperitur. Et quantum ad mores attinet, aliud docent A. Matth. *de Crim. ad L.* XLVIII. *T.* III. *c.* VII. *n.* 15. Voet. ad *T. D. Jul. de adult. n.* 13.



DIS-

DISSERTATIO QUADRAGESIMA QUINTA.

Paulus *Libro singulari ad Orationem* DIVI ANTONINI & COMMODI.

Quamvis *verbis Orationis* cautum sit, *Ne uxorem tutor pupillam suam ducat*, tamen intelligendum est, nè desponderi quidem posse. Nam cum qua nuptiæ contrahi non possunt, hæc plerumque nequidem desponderi potest: Nam quæ duci potest, jure despondetur. *l.* 60. §. 5. *D. de rit. nupt.*

I. *Superesse Fragmentum* Orationis DIVI COMMODI & ANTONINI *in l.* 60. §. 5. *D. de R. N.* II. *Quænam sint justæ nuptiæ?* III. *Inter nuptias prohibitas esse Nuptias inter* Tutorem, *ejusque* filium *&* pupillam, Curatorem, *ejusque* filium *&* adultam. IV. *Easque interdictas esse* Oratione D. MARCI & COMMODI, *seu SCto eam orationem secuto.* V. *Licet solius* MARCI *aliquando fiat mentio.* VI. VII. VIII. IX. *Qui nomine* Tutoris *veniant?* X. *Quænam nomine* Pupillæ? XI. *Qualitatem Pupillæ non attendi.* XII. *Prohiberi Tutorem non tantum ipsum pupillam ducere, sed &* Filio *collocare, cujuscunque sit conditionis.* XIII. *An sub nomine* filii *etiam* Nepos *contineatur?* XIV. *An tutor pupillam collocare possit patri suo, vel fratri, qui cum eo in eadem est potestate?* XV. *An mater, cujus arbitrio id pater reliquit, maritum tutorem eligere possit?* XVI. *Idem, quod in* Tutore, *ejus* filio *&* pupilla, *juris esse in* Curatore, *ejusque* filio *&* adulta. XVII. XVIII. *Quænam utriusque prohibitionis sit ratio?* XIX. *Non tantum nuptias inter dictas personas prohiberi, sed etiam Sponsalia.* XX. *Si quid contra* SCtum *fiat, quid juris?* XXI. *An, & quæ pœnæ locum habeant?* XXII. *An rusticitas vel imperitia*

a pœna excuset? XXIII. *Varios casus esse, quibus SCtum limitationem admittit: & quidem* 1. *Si pupilla a patre sit desponsa.* XXIV. 2. *Si rationes sint redditæ.* XXV. 3. *Si quis pro tutore vel curatore gesserit.* XXVI. 4. *Si avus tutelam gesserit neptis ex filio emancipato natæ, eamque nepoti ex altero filio nato collocare velit.* XXVII. 5. *Si pupilla ante rationes redditas decesserit, filia herede relicta, eamque tutor filio collocaverit.* XXVIII. 6. *Si mater pupillæ tutori nubat.* XXIX. 7. *Si tutores pupillis, vel curatores adultis, filias suas vel neptes nuptum dent.* XXX. 8. *Si quis ejus, quam in matrimonio jam habebat, absens tutor vel curator constitutus sit.* XXXI. 9. *Si tutor vel curator id matrimonium per beneficium Principis specialiter impetraverit.* XXXII. *Quid de jure Canonico dicendum?* XXXIII. *Quid moribus obtineat?*

I. Supereft Fragmentum Orationis Divi Antonini & Commodi, quod notatu dignum visum eft Paulo *Libro Singulari* ad dictam *Orationem* in *d. l.* 60. §. 5.

II. Justas nuptias defcribi, quæ fecundum præcepta Legum contrahuntur; & contra, fi adverfus Leges quid fiat, neque virum, neque uxorem, neque nuptias, neque matrimonium effe, notum eft ex *pr. &* §. 12. *l. de nupt.*

III. Inter nuptias autem variis ex caufis prohibitas, occurrunt etiam nuptiæ inter *Tutorem*, ejusque *filium* & *pupillam*, nec non inter *Curatorem*, ejusque *filium* & *adultam*, uti tum ex *l. n.* 60. §. 5. tum ex *l.* 36. *l.* 59. *D. de rit. nupt.* tum denique ex *t. C. de interd. matr. int. pupill. & tut. seu curat. filiosque eor.* aliisque locis manifeftum eft.

IV. Quæ nuptiæ interdictæ funt *Oratione* D. Marci & Commodi, feu *SCto* eam Orationem fecuto. *l.* 59. *D. de R. N. d. t. C. de interd. matr.* Uti fieri folebat, ut Orationes Principum, in Senatu habitas, Senatusconfulta ejusdem fenten-

tentiæ sequerentur. v. *l.* 16. *pr. D. eod.* supr. *Differt.* 1. *c.* 11. §. 20. 21. Brouw. *de Jur. comm. L.* 11. *c.* 20. *n.* 2. Ad quam ***Orationem Singularem Librum*** scripsit Paulus, uti constat ex Epigraphe *d. l.* 60. *de R. N.* aliaque alibi notavit, v. *l.* 36. *l.* 59. *l.* 66. *pr. &* §. 1. *D. eod.* nec non Papinianus, v. *l.* 61. *l.* 62. *l.* 63. *D. eod.* Callistratus, *l.* 64. *D. eod.* Tryphoninus, *l.* 67. *D. eod.* aliique. v. *l.* 16. *D. de sponsal. l.* 7. *D. ad L. Jul. de adult. l. ult. D. de leg.*

V. Licet enim D. MARCO illam Orationem adscribat Tryphoninus, *l.* 67. §. 3. *D. de R. N.* nihil tamen in eo difficultatis est, quandoquidem Constitutiones, quæ inscriptionem D. MARCI habent & COMMODI, re ipsa ad solum D. MARCUM pertinent, ut monitum supra Differt. 1. §. 34.

VI. ***Tutorem*** proprie esse, qui, ad defendendum pupillum jure datus, res ejus administrat, ex §. 1. 2. *I. de tutel.* non difficulter intelligitur.

VII. Quin & ille ***tutor*** est, qui legitime datus in administratione ***cessat***, quia perinde tenetur, ac si gessisset. *l.* 60. §. 3. *D. de R. N.*

VIII. Quid ergo, si quis ***honoris*** tantum causa tutor datus sit, an & ille huc pertinet? & ratio id quoque exigere videtur; cum dictum sit, honorarium tutorem periculum solere pati, si male passus sit tutelam administrari. *d. l.* 60. §. 2.

IX. Imo omnes sententia Orationis continentur, ad quos periculum tutelæ pertinet; veluti si pupilla ab hostibus capta fuerit, aut falsis allegationibus se excusaverit, ut ex sacris Constitutionibus periculum ad eum pertineat. *d. l.* 60. *pr. t. C. si tut. vel cur. fals. alleg. excus. sit.* §. *ult. I. de exc. tut.* Et proinde etiam tutoris heredes extranei, quia rationes reddere debent; *d. l.* 64. §. *ult.* nec non libertus, qui in obsequio patroni est, res pupillæ administrantis. *l.* 37. *l.* 66. §. 1. *D. de R. N.*

X. Prohibetur autem tutor ***pupillam*** suam uxorem ducere. *d. l.* 60. §. 5. Ubi per ***Pupillam*** non est intelligenda, quæ con-

tracti vel contrahendi matrimonii tempore adhuc *pupilla* est, i. e. *minor annis duodecim*, cum ea ætate non tantum non cum tutore, sed & nullo alio, quippe quæ nondum viripotens est, nuptias contrahere possit, *pr. I. de nupt. pr. I. quib. mod. tut. fin.* sed quæ aliquando impubes &c. sub potestate tutoris fuit. *l 7. C. de interd. matr. l. 62. §. ult. D. de R. N.* Quemadmodum & alibi *pupilla* minorem, *l. 1. D. de reb. eor. qui sub. tut. sunt sin. decret non alien. l. 4. C. de in lit. jur.* & adultam, *l. 20. D. de R. N.* & *tutor* curatorem significat. *l. 2. D. de tut. dat. l. 61. §. 2. D. de cond. & dem.*

XI. Qualis autem sit *pupilla*, an virgo, an mater, ex alio matrimonio facta, non interest. *l. 62. §. ult. D. de R. N.*

XII. Et non tantum ipse tutor prohibetur pupillam ducere, sed & *Filio* nuptum collocare: *l. 59. D. de R. N. l. 1. C. de interd matr.* sive sui juris sit, sive in potestate patris; *l. 66. D. de R. N.* sive naturalis, sive in adoptionem datus, quamdiu constat adoptio, v. *l. 55. §. 1. l. 60. §. 7. D. de R. N. l. 4. C. de interd. matr.* sive pater vivat, sive sit mortuus. *l. 67. D. eod.* Nec interest, an extiterit ei heres filius, an abstinuerit paterna hereditate; nec an heres fuit forte exheredatus, aut præteritus, *vel* emancipatus, uti legit Hal. vel *suus vel* emancipatus, uti probabiliter restituit Cl. Noodt *ad t. D. de R. N.*

XIII. Quid si *Nepos sit?* SCto etiam continetur. Licet enim secundum propriam verborum significationem alii sint *filii*, alii *nepotes*, *§. ult. I. qui testam. tut. dar. poss.* cum tamen in *nepote* hic eadem ratio sit, quæ in *filio*, SCto etiam *nepos* significatur. *l. 59. D. de R. N. l. 220. D. de V. S. l. 32. pr. in f. D. ad L. Aquil.*

XIV. Non etiam filiusfamilias tutor puellæ pupillam nuptum dare potest patri suo, fratrive, qui in ejusdem patris potestate est; *l. 67. §. 2. D. de R. N. l. 2. D. de tut. & rat. distr. l. 37. D. de adm. tut.* quia patriæ potestatis vinculo pro una eademque persona habentur. §. 4. *I. de inut. stip. l. 38. D. de cond.*

cond. indeb. l. ult. C. de impub. & al. subst.

XV. Adeo ut, quamvis in arbitrio matris pater esse voluerit, cui nuptum filia communis collocaretur, non tamen ea tutorem ejus eligere possit. Neque enim intelligitur pater de persona tutoris cogitasse, ait Papinianus, cum ideo maxime matrem prætulit, ne filiæ nuptias tutori committeret. *l. 62. pr. D. de R. N.*

XVI. Neque interdictum tantum matrimonium est inter *tutorem* ejusque *filium* & *pupillam*, sed & inter *Curatorem* ejusque *filium* & *adultam*. *l. 36. l. 66. pr. D. de R. N. l. 7. C. de interdict. matr.* Licet curator ventri bonisque datus sit. *l. 67. §. 4. D. de R. N.*

XVII. Cujus prohibitionis ratio non est naturalis pudor, non publica honestas, nec civilis aliqua, sed publica utilitas, ne scil. fraus a tutore fiat pupillæ, vel curatore adultæ, circa rationes reddendas, quas palam proferri Reip. expedit. *l. 64. §. 1. l. 67. §. 1. & 3. D. de R. N. l. 7. C. de interd. matr.* Quam ipsam continuisse *Orationem* Triphoninus testatur, nempe ne velamento domestico matrimonii ratio tutelæ reddendæ cohibeatur, *l. 67. §. 3. D. eod.* Briss. *de Jur. Conn. p. 204. & seq.* restitutio impediatur, *l. 6. C. de interd. matr.* vel ut Callistratus, ne pupillæ in re familiari circumscribantur ab his, qui rationes gestæ tutelæ reddere compelluntur. *l. 64. §. 1. D. eod.* Videbant enim Romani facile futurum, ut is tutor, qui bona pupillæ dilapidasset, ne illorum post tutelam rationem reddere cogeretur, puellam sollicitaret ad conjugium, quo impetrato liberaretur a rationibus reddendis. Quo nomine Cicero, alio qui gravis, male audiit: cum enim multo ære alieno esset obstrictus, post repudiatam Terentiam duxit pupillam *Publiliam*, ἵνα ἐκ τῆς οὐσίας δανείσματα ἀποτίσῃ, *ut illius facultatibus se ære alieno liberaret.* v. Dion. Cass. *L.* XLVI. *p.* 303. Plutarch. *in vit. Cic.* Quintil. *Inst. orat. L.* VI. *c.* 4.

XVIII. Licet etiam non aliæ desint rationes, quæ addi

solent ab interpretibus, neque suo carent momento. Qualis est, ne in constituenda dote, quam pro arbitrio suo moderabatur tutor, arg. *l.* 69. §. 5. *D. de jur. dot.* circumscriberentur pupillæ, cum quisque sibi nimius amicus & indulgens esse soleat. Nec non, ne persuasione & auctoritate tutoris, vel nimia erga eum reverentia, liberrima matrimonii electio turbaretur. v. Brouw. *de Jur. conn. L.* 11. *c.* 20. *n.* 5. Perez. *ad t. C. de interd. matr. n.* 3.

XIX. Non tantum autem verbis dictæ Orationis cautum, *ne tutor pupillam suam ducat*, sed & secundum sententiam ejus id ita intelligendum, ut ne eam despondere quidem possit. Nam cum qua nuptiæ contrahi non possunt, hæc plerumque ne desponderi quidem potest. Nam quæ duci potest jure despondetur: *d. l.* 60. §. 5. *D. de R. N.* si scil. in sponsalibus & nuptiis eadem sit prohibendi ratio, uti hic, & in *l.* 16. *D. de sponsal.* cæteroquin secus est. Sic enim inter Præsidem & Provincialem prohibitæ sunt nuptiæ, non vero sponsalia; *l.* 38. *D. de R. N.* quemadmodum & mulier intra annum luctus non potest nubere, quam tamen sponsam fuisse non nocet. *l.* 10. §. 1. *D. de his qui not. infam.*

XX. Quod si vero contra Senatusconsultum factum fuerit, nec vir, nec uxor, nec nuptiæ, nec matrimonium, nec dos intelligitur, nec liberi, qui ex tali conjunctione nascuntur, in potestate patris sunt, sed tales sunt, quos mater vulgo concepit, §. 12. *I. de nupt.* & matrimonium ipso jure nullum est. *l.* 5. *C. de LL.* Ac proinde exactioni dotis non tantum locus non est, sed & uxori, seu quæ ducta, condictio dotis competit, *l.* 2. *D. de jur. dot. l.* 2. *C. de interd. matr.* & ob res, constante hujusmodi quali quali conjunctione, discidii consilio susceptas, *rerum amotarum* Actio denegatur. *l.* 17. *D. rer. amot.* Quod si vero donatio inter illos facta sit, donatio quidem effectum non habet, *l.* 32. §. *ult. D. de don. int. vir. & ux.* sed donata fisco vindicantur. *d.* §. *ult. l.* 3. §. 1. *D. eod.*

Licet

Licet testamento tutoris relicta pupilla (non vice versa) capere possit. *l. ult. D. de leg. l. 1. l. 2. D. de his quae ut indign.* v. Briss. *de Jur. connub. p.* 210. *& seqq.*

XXI. Quin & , qui prohibitas hasce nuptias contrahunt, & alias poenas patiuntur, quae sacris Constitutionibus continentur. Tutor enim, qui hujusmodi vetitas nuptias copulaverit, constituitur infamis, & extra ordinem coërcetur; *l. 4. C. de excus. tut. & cur. l.66. D. de R.N. l. 7. C. de interd. matr.* incidit in L. Juliam de adulteriis; *l. 7. D. ad L. Jul. de adult.* & si pupillam stupraverit deportatur, omniaque bona fisco vindicantur; *l. un. C. si quis eam cujus tut. fuer. corrup.* si vero libertus idemque tutor pupillae patronae suae, eam in matrimonium collocaverit vel sibi vel filio suo, Senatus eum relegandum censuit. *l. 64. pr. D. de R. N.*

XXII. Adeo ut rusticitas vel imperitia à poena non excuset; *l. 1. C. de interd. matr.* quemadmodum in his, quae malo more, nefarieque geruntur, rusticitatis excusatio non admittitur: *l. 2. C. de in jus voc.* cui in his demum, quae ex meri juris Civilis praeceptis pendent, parci solet. *l. 7. D. de jurisd. l. 2. D. si quis in jus voc. non ier. l. ult. C. de testam.*

XXIII. Plane non pauci sunt casus, quibus dicta Oratio seu SCtum limitationem admittit. Et quidem in primis SCtum cessat, si pupilla a patre desponsa, vel testamento destinata sit. *l.66. pr. D. de R. N.* Ex qua *l.66.* in *l.36. D. de R.N.* secundum priorem emendationem Cuj. XVI. *Obs.* 33. quam probat Cl. Noodt. *t. D. de R. N.* legendum videtur: *Tutor vel curator adultam uxorem ducere non potest, nisi à patre desponsa, destinatave testamento, nominata conditione* (i. e. nominato viro, cui filiam destinat pater, seu demonstrata persona viri, cui filiam nubere cupit post mortem suam, ut *l. 101. pr. D. de cond. & dem. l. 6. C. de interd. matr.*) *nuptias secuta fuerit;* licet ipse Cuj. legere malit ex *l. 7. D. ad L. Jul. de adult. Nisi à patre desponsa, destinatave, testamentove nominata con-*

di-

ditionem nuptiarum secuta fuerit. Hanc enim patris voluntatem, quem hujusmodi conditionem filiæ quæsiisse, spectata prius, pleneque perspecta ac cognita futuri generi integritate atque fide, ad exitum perduci SCtum non impedit. *d. l. 6.*

XXIV. II. Si tutor vel curator rationes reddiderit, & id tempus effluxerit, quo in integrum restitutionem pupilla impetrare potest. *l. 62. §. 2. D. de R. N.* Quod olim, ex Edicto Prætoris, annus erat utilis; *l. 66. pr. D. de R. N. l. 7. D. ad L. Jul. de adult. l. 28. §. 3. D. de lib. & post. l. 6. C. de interd. matr.* sed a Justiniano mutatum in quadriennium continuum. *l. ult. C. de in integr. rest.* Ut Papinianum *in d. l. 62. §. 2.* dum ait: *Tutor, qui rationes curatori reddidit, pupillam suam, ante constitutum tempus ætatis ejus, uxorem ducere, nec matrem ex alio matrimonio factam, potest*, interpolatum esse, non sine ratione moneat Cl. Noodt. *ad t. D. de R. N.*

XXV. III. Si quis, tutoris & curatoris nomine usurpato, pro tutore, curatoreve, negotiorumve gestore, res pupillæ administraverit, eamque sibi filiove suo copulaverit: licet enim ad eos etiam periculum tutelæ pertineat, revera tamen tutores & curatores non sunt, *l. 1. §. 6. l. 2. D. de eo qui pro tut.* multæque inter eos sunt differentiæ; & cæteroquin paulatim quisquis rationibus reddendis esset obnoxius, prohiberetur sibi vel filio suo conjungere eam, cui obligatus esset. *l. 67. §. 5. D. de R. N.* Cuj. *parat.* Perez. *ad tit. C. de interd. matr. n. 4.* Quemadmodum & fidejussores nominatoresque tutorum, & magistratus, qui eos dederunt, SCto non continentur. *l. 65. §. 1. D. de R. N.* vid. Briss. de *Jur. conn. p. 206.* Brouw. *de Jur. conn. L. 11. c. 20.*

XXVI. IV. Si avus tutelam gesserit neptis ex filio emancipato, eamque nepoti ex altero filio collocare velit. *l. 67. §. 1. D. de R. N.* Etsi enim SCtum stricto jure contra omnes tutores nititur, attamen summo affectionis avitæ intuitu hujusmodi nuptiæ concedendæ, *quia par affectionis causa suspi-*

cio.

cionem fraudis amovet, quam rationem, loco suo motam, hoc loco & modo restituendam censet Cl. Noodt. *ad d. l. 67. §. 1.*

XXVII. v. Si pupillæ tutelam Titius administravit, vel curator negotia gessit, eaque nondum recepta ratione, filia herede relicta, filiam illam heredem filio suo collocaverit; quia ratio hereditaria est, & simplex debitum: alioquin omnis debitor, uti jam monitum, eam, cui obligatus esset ex aliqua ratione, prohiberetur sibi filioque suo conjungere. *l. 67. §. ult. D. de R. N.*

XXVIII. vi. Mater etiam pupillæ cum tutore nuptias contrahere non prohibetur. *l. 2. C. de interd. matr.*

XXIX. vii. Sed nec tutores pupillis suis, nec curatores adultis suis, filias suas neptesve nuptum dare prohibentur; *l. 64. D. de R. N. l. 5. C. de interd. matr.* cessat enim suspicio, quæ in pupilla vel adulta locum habet. Hæc enim cum subjecta sit marito, facile remitteret rationes; at maritus, cum præsit uxori, nec socero sit subjectus, ab eo ejusque heredibus, sine ullo metu potest rationes exigere. Perez. *ad tit. C. de interd. matr. n. 3.* Brouw. de *Jur. conn. L. 11. c. 20. n. 8.*

XXX. viii. Item qui ejus, quam in matrimonio jam habebat, absens & ignorans curator constitutus est, non desinit maritus esse; *l. 4. C. de excus. tut. l. 3. D. de interd. matr.* matrimonium enim legitime contractum, nulla ex causa ex post facto dissolvi, aut retractari debet: *l. 3. C. de interd. matr.* Perez. *ad d. t. n. 3.* dum tamen alius in ejus locum substituatur, *d. l. 3.* ne maritorum ignorantia fraus amplissimi ordinis consulto quæratur. *d. l. 4. C. de excus.* Quanquam enim curæ datio non teneat, propterea quod uxori suæ maritus curator creari non possit, *l. 2. C. qui dar. tut. l. 14. C. de cur. fur.* tamen satagere ille debet, ut alius ei curator detur. Nam & qui non jure tutores curatoresve dantur, curare de-

 bent,

bent, ut alii in eorum locum sufficiantur, *l.* 1. §. *ult. D. de eo qui pro tut. l.* 39. §. 2. *D. de adm. tut.* aut certe pupilli propinquos aut necessarios certiores facere, ut alium ei tutorem petant, ne pupilli utilitates & negotia deserantur. Briss. *de Jur. conn. L.* 11. *p.* 214.

XXXI. IX. Denique cessat SCtum, si Tutor vel Curator, ut pupillam vel adultam quondam suam ducere, vel filio suo in matrimonium collocare liceret, per Principale beneficium specialiter impetraverit. *l.* 7. *C. de interd. matr.* Eo enim efficitur, ut matrimonium teneat, dos data repeti nequeat, neve maritus infamia notetur, & ut filii ejus reddantur capaces successionis. *d. l.* 7. Perez. *ad l. n. n.* 3.

XXXII. Quantum ad *Jus Canonicum* attinet, de interdicto hoc matrimonio inter Tutorem ejusque filium & pupillam, & Curatorem ejusque filium & adultam, nominatim nihil scriptum reperitur: ex qua taciturnitate tamen non recte infertur, prohibitionem illam Juris Civilis *Jure Canonico* sublatam esse; cum potius contrarium ex ea colligere liceat, quod scilicet non reperitur mutatum, cur stare prohibeatur? *l.* 27. *C. de testam.* maxime cum Canones alibi, & in specie in causa matrimonii, venerandas Leges Romanas sequi non vereantur. v. *C.* 1. *caus.* 30. *Q.* 3. Wiss. *ad tit. C. de interd. matr.* Brouw. *de Jure conn. L.* 11. *c.* 20. *n.* 11.

XXXIII. Ast *Moribus hodiernis*, in plerisque regionibus, dicta Oratio seu SCtum, ejusque prohibitio cessat. Tum quia tanta solennitate nunc celebrantur nuptiæ, ut imponendi pupillæ vix tutori relinquatur locus. Groenew. *ad t. C. de interd. matr.* Tum quod a simplicitate nostrorum morum alienum est, prohibere nuptias, quæ jus sanguinis & naturalem pudorem non lædunt. Tum quod Jus Divinum, cujus merito summa etiam habetur ratio, v. Zepper. *de Leg. Mosaic. L.* IV. *c.* 19. matrimonium illud nusquam prohibuit. Tum quia, ob introductam moribus fere communionem bonorum, ratio

SCti

SCti cessat. Tum denique quia maritus moribus hodiernis legitimus Curator est uxoris, ejusque bona administrat: neque sine ratione; nam æquum justumque visum est, ut patiatur mulier, absque ullo fraudis metu, bona administrari ab eo, cui se suumque corpus & vitam committit. arg. *l.* 8. *C. de pact. conv. l.* 2. *C. ne fidej. vel mand. dot. dent.* v. Bugn. *de LL. Abrog. Sat.* 251. Gudelin. de *Jure Noviss. L.* 1. *c.* 9. Groenew. *ad t. C. de interd. matr.* Carpz. IV. *Const.* 20. *def. ult.* Brouw. *de Jure conn. L.* 11. *c.* 20. *n.* 12.

F I N I S.



INDEX LEGUM,

ad quas

Singulæ DISSERTATIONES conſcriptæ

ſunt.

I N-

INDEX AUCTORUM
IN DISSERTATIONIBUS
allegatorum.

D.

E.

F.

G.

H.

Ho-

INDEX AUCTORUM.

Moor

INDEX AUCTORUM.

Tren-

INDEX LEGUM LOCORUMQUE

Ex Corpore Justiniani, Codice Theodosiano, Fragmentis JCtorum Veterum, Basilicis, & Jure Canonico allegatorum.

EX INSTITUTIONIBUS.

INDEX LEGUM.

E DIGESTIS.

L.

INDEX LEGUM.

L.

L.

L.

INDEX LEGUM.

EX CODICE.

L.

L.

INDEX LEGUM.

EX NOVELLIS.

EX FEUDORUM LIBRIS.

INDEX LEGUM.

EX

EX CODICE THEODOSIANO.

EX

EX

EX

EX COLLATIONE LL. MOSAICARUM ET ROMANARUM.

INDEX LEGUM.

EX BASILICIS.

EX JURE CANONICO.



IN-

INDEX
RERUM & VERBORUM.

A.

Cen-

re

D.

D.

I.

I.

Λει-

INDEX RERUM ET VERBORUM.

N.

ira

 fuit

Q.

Ser-

T.

FINIS.



CATALOGUS LIBRORUM,

Qui apud JANSSONIOS VANDER AA, Bibliopolas Lugduni Batavorum, venales proſtant.

Bellorii Mauſolea Veterum, fol.
——— idem, charta majori, fol.
—— Lucernæ ſepulchrales. fol.
——— idem, charta majori, fol.
Bois Geographie moderne, naturelle, hiſtorique & politique, 4. 4 voll.
Cinnamus, Gr. & Lat. fol. Pariſiis, Typis Regiis.
Les Ceſars de l'Empereur Julien, par Mr. Spanheim. 4.
Chapelain la Pucelle d'Orleans, fol.
Colombiere Hommes Illuſtres, fol.
Caſſiodori Opera omnia, fol. 2 voll.
Corpus Inſtitutorum Societatis Jeſu, 4. 2 voll.
Le Curieux Antiquaire, 8. 3 *voll. av. fig.*
Deſchalis Opera Mathematica, fol. 4 voll.
Les Delices de la Grande Bretagne, & d'Irlande, 8. 8 *voll. nouvelle Edition.*
Audiffret Geographie, 4. *Paris*, 3 *voll.*
Nouvel Atlas de 103 *Cartes, par Meſſrs de l'Academie Royale des Sciences, fol.*
Baluzii Miſcellanea, 8. 7 voll.
Begeri Theſaurus Brandenburgicus, fol. 3 voll.
—— Bellum Trojanum, 4.
—— de Alceſtide, fol.
Dictionaire de Mathematique, par Ozanam, 4.
—— *univerſel, par A. Furetiere, fol.* 4 *voll.*
—— *univerſel Geographique & Hiſtorique, par Corneille, fol.* 3 *voll.*
Divers Ouvrages de belles Figures de Carats, Reni, Corregio, Callot & autres, fol.

Gratiani Hiſtoriæ Venetæ, 4. 2 voll.
Grotius de Jure Belli ac Pacis, per Zieglerum, 8.
—— per Boeclerum, 8.
—— per Jagerum, 8.
Hubner Geographie, 8. 2 *voll.*
Iſtorici delle Coſe Veneziane, i quali hanno Scritto per pubblico Decreto: cioe' M. A. Sabellico, P. Bembo, P. Paruta, A. Moroſini, B. Nani, M. Foſcarini, 4. 10 *voll.*
Hiſtoire des Juifs, par Basnage, depuis Jeſus Chriſt jusqu'a preſent, 12. 7 *voll.*
—— *de Louis XIII, par du Pin*, 12. 8 *voll.*
—— *de Louis XIV, par Larrey*, 12. 9 *voll.*
Imhof grand Theatre hiſtorique, fol. 2 *voll. grand papier.*
Lucrece en François, 12. 2 *voll.*
Marca de Concordia Sacerd. & Imperii, fol.
—— Hiſpanica, fol.
La Magnificence de France, fol. 2 *voll.*
Recueil des Vues & des Maiſons de France, avec le Supplement, fol. Paris.
Martyrologium Hiſpanicum, per J. T. Salazar, fol. 6 voll.
Menckenii Scriptores Rerum Germanicarum, fol. 3 voll.
Marmi eruditi del Conte S. Orſato, 4.
Aretæus Cappadox, de Cauſis, Signis & Curatione acutorum & diuturnorum Morborum, Gr. & Lat. cum Commentariis, Notis, Obſervationibus & Emendatis P. Petiti, J. Wiggani, Mattairii & D. W.

W. Trilleri, Editionem curavit H. Boerhaave, fol.
—— fol. charta majori.
Ovidii Opera omnia, cum notis Variorum & P. Burmanni, 4. 4 voll.
Havercamp de Alexandri Magni Numismate, ut & de Nummis contorniatis, 4.
Panegyrici veteres in Usum Delphini, 4 2 voll.
Parutæ Siciliæ Numismata, fol. 3 voll.
Pirri Sicilia facra, fol. 2 voll.
Scheuchzeri Herbarium Diluvianum, fol.
—— Itinera Alpina novem, 4. Charta majori.
Plaute Comedies, par Gueudeville, 12. 10 *voll.*
Quintinye Instructions pour les Jardins fruitiers, 4.
Recueil des belles Tailles douces en maniere noire, par Parmens, Spagnolet, Vaillant & autres, fol.
Rumphii Thesaurus Conchyliorum, fol.
Recueil de divers Voyages curieux, faits en Tartarie, en Perse & ailleurs, 4.
Scamozzi Oeuvres d'Architecture, fol.
Nouveau Theatre du Monde, par Gueudeville, fol.
Novum Testamentum Græcum, fol. Parisiis, Typis Regiis.
Trommii Concordantiæ Græcæ, fol. 2 voll.
Tuschi practicæ Conclusiones Juris, cum Additionibus, fol. 10 voll.
Vaillant Numismata Imperatorum, fol. 2 voll.
Vavassoris Opera omnia, fol.
Tillemont Memoires pour servir a l'Histoire Ecclesiastique, 12. 27 *Parties.*
—— *Histoire des Empereurs*, 12. 13 *Parties.*
Vignole Architecture, par Daviler, 4. 2 *voll.*
Voyages d'Olearius & Mandelslo, en Perse & aux Indes Orientales, fol.
Erasmus in Novum Testamentum, Gr. & Lat. fol.
J. O. Westenbergius ad Pandectas, 8.
—— de Jurisprudentia Q. Cerbidii Scævolæ, 4.
Wieling Jurisprudentia restituta, 8.
Mornacii Opera omnia, vel Observationes ad Digesta & ad Codicem, nec non alia, fol. 4 voll. Ed. Nov.
Morisonii Historia Plantarum, cum Umbelliferis, fol. 3 voll.
Miræi Opera Diplomatica & Historica, fol. 2 voll.
H. Boerhaave Index Plantarum Horti Academiæ Lugduno Batavæ, 4.
—— Idem, Charta majori.
Hugenii Opera varia, curâ G. J. s'Gravesande, 4. 2 voll.
Lucretius carus de Rerum Natura, cum Notis Variorum & Havercampi, 4. 2 voll.
Vesalii Opera omnia Anatomica & Chirurgica, fol. Charta majori, 2 voll.
Swammerdamii Historia Insectorum generalis, 4.
Morhofii Polyhistor, Literarius, Philosophicus & Practicus, 4 2 voll.
Henrici Mori Opera omnia, fol 2 voll.
Marianæ Historia de Rebus Hispaniæ, cum Continuatione & Iconibus Regum, fol. 4 voll.
Launoii Opera omnia, fol. 10 voll.
—— Opera varia selecta & rariora, 8. diversis Voluminibus.
Du Cange Glossarium Latinitatis, fol. 6 voll.
J. de Gorter de Perspiratione insensibili Sanctoriana Batava, 4. Editio nova, auctior. sub Prælo.

J. de

J. de Gorter de Secretione Humorum e Sanguine, 4.
—— Medicinæ Compendium, 4.
—— —— Pars 2. sub Prælo.
—— gezuiverde Geelkonst/ 8.
Pluimers Gedichten/ 4. 2de deel.
Proeve van Dichtoeffening/ 8. met heerlyke platen.
Effigies Professorum Academiæ Lugduno-Batavæ, fol. 2 voll.
Fritschii Corpus Juris Venatorio Forestalis, fol. 2 voll.
Polybe Histoire, par V. Thuillier & de Folard, 4. *Paris*, 6 *voll.*
Dictionaire universel de la France ancienne & moderne, fol. 3 *voll.*
—— *de la Langue Françoise ancienne & moderne, de Pierre Richelet, fol.* 3 *voll.*
—— —— *le meme in quarto*, 2 *voll.*
—— *Geographique & Critique, par M. Bruzen la Martiniere, fol.* 5 *voll.*
—— *Historique, Critique, Chronologique & Litteral de la Bible, par A. Calmet*, 4. 4 *voll.*
Tragedies & autres Poesies de Mad. Barbier, 12. *avec fig.*
Ciceronis Opera, cum Notis Variorum & Is. Verburgii, 8. XI voll.
Delices de Rome ancienne & moderne, 12 10 *voll.*
—— *de l'Espagne & du Portugal*, 12. 6 *voll.*
—— *de la Ville de Leide*, 8.
—— *de la Hollande*, 12. 2 *voll.*
D'Acherii Spicilegium, sive Collectio veterum aliquot Scriptorum, fol. 4 voll.
Freheri Rerum Germanicarum Scriptores, fol. 3 voll.
Panzirolus de claris Legum Interpretibus, 4.
Pistorii Scriptores Rerum Germanicarum, curâ B. G. Struvii, fol. 3 voll.

Pharmacopœa Argentoratensis, fol.
Æliani variæ Historiæ, Gr. & Lat. cum Not. Variorum & Abr. Gronovii, 4. 2 voll.
—— Idem, Charta majori.
Riverii Opera Medica universa, fol.
Gottfried's Zee-en Landreizen/ fol. 8 deelen.
—— dezelve in fol. 8 deelen/ gr. papier.
Petavii Dogmata Theologica, fol. 6 voll.
—— Doctrina Temporum, fol. 3 voll.
Plumier Art de tourner, fol.
Poëtæ Latini minores, cum Notis Variorum & P. Burmanni, 4 2 voll.
Buchanani Opera omnia, cum Præfatione P. Burmanni, 4. 2 voll.
Vieussens novum Vasorum Corporis humani Systema, 8.
Histoire de France, par le Pere G. Daniel, 4. 10 *voll.*
—— *Physique de la Mer, par le Comte de Marsilli, fol.*
—— *de Dauphiné, fol.* 2 *voll.*
—— *de Provence, fol.* 2 *voll.*
—— *Genealogique de la Maison d'Auvergne, par Baluze, fol.* 2 *voll.*
—— *du Monde, par Mr. Chevreau*, 12. 8 *voll.*
—— *Ecclesiastique & Civile de Loraine, par Calmet, fol.* 3 *voll.*
—— *de l'Empire, par Mr. Heiss*, 12. 8 *voll.*
—— *generale d'Espagne, du P. Jean de Mariana*, 4. 5 *voll.*
Horatius, Bentleji, 4.
Gobart Tractatus Philosophicus de Barometro, 12. cum fig.
Homere Iliade & Odyssee, par M. Dacier, 12. 6 *voll.*
Wolfii Elementa Matheseos universæ, 2 voll.
Willis Opera omnia, Blasii, 4.

CATALOGUS LIBRORUM.

Voyages de J. B. Tavernier, en Turquie, en Perse, & aux Indes, 8. 6 tomes.
— *nouveau au tour du Monde, par Barbinais*, 12. 3 voll.
— *historique d'Abissinie, du R. P. J. Lobo*, 4.
— *ou Description du Senegal, par Labat*, 12. 5 voll.
— *du P. Labat, en Espagne & en Italie*, 12. *Amst.* 8 voll.
Voltaire Oeuvres, 8. 2 voll.
Claubergii Opera omnia Philosophica, curâ Schalbruchii, 4.
Clerici Historia latorum Lumbricorum, 4
— *Histoire de la Medicine*, 4.
Chuverius Bataafsche Oudheeden/ vermeerdert door J. Lobe / 8. 2 deelen.
Le Clerc Geschiedenissen der Vereenigde Nederlanden/ fol. 3 deelen.
Courtonne Traité de la Perspective pratique, fol.
Blondel Cours d'Architecture, fol. *grand papier*, 2 voll.
Bellosse Chirurgien d'Hôpital, 12.
Oeuvres de M. le Noble, 12. 19 voll.
Beschryving van Japan/ door E. Kempfer / fol.
Dlugossi seu Longini Historia Polonica, fol. 2 voll.
Dionysius Halicarnasseus, Gr. & Lat. fol.
Dictys Cretensis de Bello Trojano, 8.
Dousæ Poemata, 8
Dukerus de Latinitate Jurisconsultorum veterum, 8.
P. Burmannus de Vectigalibus Populi Romani, 4.
Caelius Aurelianus de Morbis acutis & chronicis, 4.
Biblia Græca septuaginta Interpretum, curâ L. Bos, 4.
— *Histoire de la Bible, par Mr. D. Martin*, 4.
Bisschop Chorus Musarum, sive Poemata, 8.
Boecleri Dissertationes Academicæ, Orationes &c. 4. 4 voll.
Ludewig Scriptores Rerum Germanicarum, fol. 2 voll.
— Reliquiæ manuscriptorum omnis Ævi Diplomatum, ac Monumentorum, 8. 9 voll.
Mac Laurin Geometria Organica, 4.
Magatus de rara Medicatione Vulnerum, 4. 2 voll.
Magnol Hortus Regius Monspeliensis, 8.
Luylens Afbeelding der Menschelyke Bezigheden in 100 Printverbeeldingen / 4.
Variolarum Methodus per Transplantationem, 8.
Varignon nouvelle Mechanique ou Statique, 4. 2 voll.
Tournefort Institutiones Rei Herbariæ, 4 3 voll.
Valentini Historia Simplicium reformata, fol.
Sommersberg Silesicarum Rerum Scriptores, fol. 3 voll.
Les Souverains du Monde, 8. 4 voll.
Suiceri Thesaurus Ecclesiasticus, fol. 2 voll.
Rycquius de Capitolio Romano, 12.
Ramos, Tribonianus, sive Errores Triboniani de Pœna Parricidii, 4.
Quintilianus, cum Notis Variorum & P. Burmanni, 4. 4 voll.
Rabuel Commentaires sur la Geometrie de M. Descartes, 4.

Multique alii in quavis Facultate atque Lingua.





